D.O.M. SUMMA PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ, ET SCOTISTICÆ IN QUATUOR...

Sebastien Dupasquier

Digitized by Google

5. 8. 789

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

D. O. M.

SUMMA PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ, ET SCOTISTICÆ

IN QUATUOR PARTES ſcripta, & digeſta breviter, & clarè

PER Fr. SEBASTIANUM DUPASQUIER,
Minor. Convent. ſacræ Theolog. Doct. ac Profeſſor. Emeritum, Provinciæ D. Bonav. Exprovincial. primar. & Convent. Camberienſis Alumnum.

TOMUS II. METAPHYSICA.

PATAVII, Typis Seminarii. MDCCV.
Apud Joannem Manſrè.
SUPER. PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX DISPUTATIONUM, ET QUÆSTIONUM

Totius Metaphyſicæ, ac de Meteoris.

DISPUTATIO I. De Metaphyſica ſecundum ſe. pag. 2
QUÆSTIO I. *De exiſtentia, & nominibus metaphyſicæ.* ibidem.
Q. II. *De objecto metaphyſicæ.* 3
Q. III. *An metaphyſica deſcendat ad omnia entia in particulari.* 11
Q. IV. *Quomodo metaphyſica ſe habeat ad alias ſcientias.* 18
Q. V. *An metaphyſica ſit ſcientia, & qualis. An ſapientia.* 25
Q. VI. *An metaphyſica ſubalternet ſibi alias ſcientias.* 29
DISPUTATIO II. *De Ente.* 31
Q. I. *Quid ſit ens. An habeat conceptum communem, & univocum enti reali, & rationis, negativo, & poſitivo.* ib.
Q. II. *An detur unus conceptus entis.* 36
Q. III. *De præciſione entis à ſuis infe-*

rioribus. 46

Q.IV. *Quomodo* [redacted] *prædicetur de ſuis inferioribus.* 58

Q.V. *De tranſcendentia entis. An prædicetur formaliter, & directè de ſuis differentiis, & modis.* 62

Q.VI. *Quomodo ens contrahatur ad ſua inferiora. An per veras differentias. An per modos intrinſecos, & quid ſint illi modi.* 68

DISPUTATIO III. *De principiis, & proprietatibus entis.* 75

Q.I. *An, & quæ ſint principia entis.* ibid.

Q.II. *An ens habeat veras, reales, & poſitivas proprietates, & quomodo diſtinguantur ab illo.* 81

Q.III. *Quæ, & quot ſint paſſiones entis.* 86

Q.IV. *An, & quomodo paſſiones entis de illo demonſtrari poſſint.* 91

Q.V. *De unitate. An ſit proprietas entis. Quid addat ſupra ens, ſeu, in quo conſiſtat formaliter.* 94

Q.VI. *Quid importet indiviſio entis. ſeu, quam diviſionem excludat unitas.* 104

Q.VII. *De veritate: an, & quid ſit.* 109

Q.VIII. *De falſitate: quid, & unde ſit.*

Digitized by Google

ſit. A quo proveniat difficultas aſſequendæ veritatis. 118
Q. IX. *De bonitate, an, & quid ſit.* 126
Q. X. *De malo, an, & quid ſit.* 134
DISPUTATIO IV. *De paſſionibus complexis, & disjunctivis entis.* 138
Q. I. *De actu, & potentia.* ib.
Q. II. *De neceſſario, & contingenti.* 141
Q. III. *De ente per ſe, & per accidens.* 143
Q. IV. *De eodem, & diverſo, ſeu de identitate, & diſtinctione, quid, & quotuplex ſit utraque.* 145
Q. IV. *De diſtinctione, & identitate reali.* 152
Q. V. *De diſtinctione, & identitate rationis.* 158
Q. VII. *De diſtinctione, & identitate formali ex natura rei.* 162
Q. VIII. *De diſtinctione, & identitate eſſentiali, modali, & virtuali.* 175
Q. IX. *De præciſionibus.* 178
Q. X. *De diviſionibus entis.* 187
DISPUTATIO V. *De Statibus entis, ſeu de eſſentia, exiſtentia, & ſingularitate.* 193
Q. I. *Quid ſit eſſentia, & exiſtentia.* 194
Q. II. *Quid addat exiſtentia ſuper eſ-*

Digitized by Google

ſentiam? Quomodo diſtinguantur. 197
Q. III. *Quod eſſe habeant eſſentiæ rerum ab æterno.* 209
Q. IV. *Quid ſit illud eſſe diminutum eſſentiarum ab æterno.* 218
Q. V. *De inæqualitate eſſentiarum.* 227
Q. VI. *De ſingularitate eſſentiarum, ſeu de principio individuationis, & primò, an omnis eſſentia ſit ſe ipſa ſingularis, an vel per aliquid diſtinctum realiter.* 233
Q. VII. *An principium individuationis diſtinguatur ab exiſtentia naturæ. An quid purè negativum.* 241
Q. VIII. *An quantitas, vel aliud accidens ſit principium individuationis.* 246
Q. IX. *An principium individuationis ſumatur à materia.* 250
Q. X. *An forma ſeorſim, & per ſe, vel ſimul cum materia ſit principium individuationis.* 256
Q. XI. *An formæ ſubſtantiales, maximè Anima rationalis, individuentur per materiam, & accidentales per ſubjectum.* 260
Q. XII. *Quidnam ſit verè, & propriè principium individuationis.* 266
Q. XIII. *An ab omnibus individuis ab-*

ſtrahi

ſtrahi poſſit aliqua ratio communis omnibus. 272
Q. XIV. *An omnia individua unius ſpeciei ſint æqualia.* 277
DISPUTATIO VI. *De ſubſiſtentia, ſuppoſitalitate, & perſonalitate* 283
Q. I. *An, & quid ſit ſubſiſtentia, ſuppoſitum, & perſona.* 284
Q. II. *Unde probari poſſit diſtinctio ſubſiſtentiæ à natura ſingulari, & completa, An ratione aliqua naturali.* 289
Q. III. *An ſubſiſtentia formaliter dicat aliquid poſitivum.* 292
Q. IV. *An ſubſiſtentia creata ſit quid compoſitum, vel ſimplex.* 308
Q. V. *Quomodo ſubſiſtentia influat in actiones, ſeu quo ſenſu dicatur, quod actiones ſunt ſuppoſitorum.* 311
DISPUTATIO VII. *De ſpeciebus entis; & primò de ſubſtantia.* 316
Q. I. *De perſeitate ſubſtantiæ.* ib.
Q. II. *De diviſionibus ſubſtantiæ in primam, & ſecundam.* 320
Q. III. *De proprietatibus ſubſtantiæ.* 323
DISPUTATIO VIII. *De accidente in communi.* 325
Q. I. *An, & quid ſit accidens prædica-*

men-

mentale. ib.

Q.II. *Quid, & quotuplex ſit inhæſio accidentis.* 329

Q.III. *De accidentibus materialibus, & ſpiritualibus, an illa poſſint ſubjectari in ſubjecto ſpirituali, & viciſſim.* 338

Q.IV. *An idem numero accidens poſſit eſſe in pluribus ſubjectis realiter, & immediatè, aut plura in eodem.* 343

DISPUTATIO IX. *De quantitate.* 348

Q.I. *Quid ſit quantitas.* ib.

Q.II. *De ratione quantitatis, in quo conſiſtat.* 350

Q.III. *De diſtinctione quantitatis à ſubſtantia.* 364

Q.IV. *De diviſione, & ſpeciebus quantitatis.* 368

Q.V. *De proprietatibus quantitatis.* 378

DISPUTATIO X. *De qualitate.* 379

Q.I. *An, & quid ſit qualitas.* ibid.

Q.II. *Quotuplex ſit qualitas. Quæ, & qualis ſit ejus diviſio.* 383

Q.III. *De habitu, & diſpoſitione.* 386

Q.IV. *De potentia, & impotentia.* 390

Q.V. *De paſſione, & paſſibili qualitate.* 392

Digitized by Google

Q.VI. *De forma, & figura.* 394
Q. VII. *De proprietatibus qualitatis.* 395
DISPUTATIO XI. *De relatione prædicamentali.* 396
Q.I. *Quid ſit relatio conſtitutiva hujus prædicamenti.* ibid.
Q.II. *An dentur relationes diſtinctæ ab extremis.* 401
Q.III. *De ratione formali conſtitutiva relationis, &c.* 413
Q.IV. *De fundamento relationis, quale ſit.* 415
Q.V. *Quotuplex ſit fundamentum relationis. De triplici genere relativorum.* 421
Q.VI. *De termino relationis: an ſit quid abſolutum, vel relativum.* 423
Q.VII. *Unde ſumatur unitas relationum.* 430
Q.VIII. *Qualis debeat eſſe diſtinctio inter extrema relationis.* 435
Q.IX. *Quod ſit ſupremum genus hujus prædicamenti, & quæ proprietas ejus.* 438

De

Digitized by Google

De Meteoris.

DISPUTATIO UNICA *De Meteoris.*

442
Q.I. *De nomine, exiſtentia, quidditate, materia, efficiente, & loco meteororum.* 443
Q. II. *De meteoris, & primò de Cometis.* 448
Q.III. *De aliis meteoris ignitis.* 458
Q.IV. *De meteoris lucidis, & apparentibus in aere.* 463
Q.V. *De ventis, turbine, procella, & terræ motu.* 468
Q. VI. *De meteoris Aqueis, nube, pluvia, nive, grandine, glacie, &c.* 475
Q. VII. *De ſalſedine, motu, & æſtu maris.* 478
Q. VIII. *De fontibus, & fluminibus.* 487
QUÆST. ULTIMA. *De meteoris terreis.* 488

Digitized by Google

SUMMA PHILOSOPHIÆ SCOTISTICÆ.

* * *

Metaphyſica.

HÆc Philoſophiæ noſtræ pars dignitate cæteras præcellit, imò, ut ex nomine præfert, reliquas omnes ſcientias, quæ naturali hominis intelligentiæ, & capacitati ſubſunt, ſuis finibus coercet; nam illarum ſtabilit principia, quo fit, ut eas ſibi devinciat vectigales, & ſine hac cadant illæ dignitate neceſſe eſt. Nulla ſiquidem ſcientia ſine principiis, nulla verò, aut ferè nulla principia ſine Metaphyſica. Sed, ne ejus venuſtates potius devenuſtemus rudiori calamo, quàm cohoneſtemus, quippe cui extollendæ jamdiu deſudarunt, quotquot de ipſa illuſtres ſcripſere Philoſophi, ſeu meliùs, quotquot viri principes tum in eloquentia, tum in ſcientiis extitere, & tàm inſignibus elogiis, ac nominibus decorarunt, ut addi præterea nihil poſſit, ideo in ejus laudibus recenſendis non diutius immoramur.

De Metaphyſica duodecim libros ſcripſit Ariſtoteles, quos ſubtiliter, ac ſolidè, ut ſolet, commentatus eſt Scotus noſter Subtilium Princeps, & ſuis commentariis quæſtiones propoſuit, atque diſcuſſit. Nos breviter, & quantum tyronibus ſufficiat, ea, quæ reſtant de illius materiis examinanda, tractabimus. Dico, *quæ reſtant;* nam plura jam attigimus in Logica, quæ huc pertinebant, & maximè res prædicamentales in particulari, & aliqua etiam de univerſalibus in eſſendo, & de ente rationis.

Maxima pars Philoſophorum, quos viderim, agunt de

Digitized by Google

de Metaphyſica in fine Curſus, & poſt alias omnes Philoſophiæ partes, quia reſpiciunt illam, ut metam, & apicem totius ſcientiæ naturalis; at mihi videtur ordo ſcientiæ hunc ei locum aſſerere. Semper enim ab univerſalioribus ad particularia deſcendendum, & à principiis ad concluſiones. Metaphyſica autem agit de univerſaliſſimis, & de principiis primis aliarum omnium ſcientiarum, ut ſupponitur, & brevi dicetur. Metaphyſica enim, inquit Doctor, [1] eſt prima ſecundum ordinem ſciendi diſtinctè, quia ipſa habet certificare principia aliarum ſcientiarum, & ejus cognoſcibilia ſunt primò diſtinctè cognoſcibilia.

DISPUTATIO I.

De Metaphyſica ſecundum ſe.

IN hoc veſtibulo tantiſper hærebimus examinantes exiſtentiam, nomina, dignitatem, eſſentiam, objectum, & finem Metaphyſicæ.

QUÆSTIO I.

De nominibus, & exiſtentia Metaphyſicæ.

UT à nomine, ut par eſt, incipiamus, *Metaphyſica* dicitur ex vocis etymologia, *ſcientia tranſnaturalis*, quia tranſgreditur quodam modo terminos ſcientiæ naturalis; agit enim de rebus abſtractiſſimis, & ſummis, & ideò puriſſimis, ac perfectiſſimis, & primis rerum principiis, quantum ſe ſe attollere poteſt humanum ingenium viribus ſuis naturalibus.

Aliis etiam nominibus inſignitur, ac veluti titulis decoratur, quibus ejus dignitas prædicatur, & 1. dicitur *Philoſophia* ſimpliciter, & per antonomaſiam, quia de ſuo, & proprio jure eſt humanarum, ac divinarum rerum ſcientia, aliæ verò dependent ab ipſa, cùm ab ea mutuentur ſua principia. 2. dicitur *prima Philoſophia*, ut clariùs explicetur ejus ſuper alias omnes ſcientias præcellentia. 3. *Theologia naturalis*, quia

[1] *P. 1. diſt. 3. q. 2. n. 23.*

quia de Deo,ejuſque attributis, quantum lumine naturali attingi poteſt , differit . 4. *Scientia naturalis*, quia de ente,ut ſic , quod omnia tranſcendit aliarum ſcientiarum objecta,loquitur , & qui in hac verſatus eſt,de omnibus aliqualiter differere poteſt. 5. *Sapientia*, quia occupatur circa univerſaliſſima, difficillima , certiſſima, & omnes cauſas, principia,& maximè , & propter ſe appetenda eſt, aliis ſcientiis,veluti famulis imperans,& eas in ſuos ordinans fines. Dico 1. *Univerſaliſſima*,nempe circa ens,ut ſic,ejuſque paſſiones, quo nihil univerſalius . 2. *Difficillima*, nam,quæ magis ſunt abſtracta , magis à ſenſibus diſtant , &, quò magis objecta à ſenſibus diſtant, tantò ſunt difficiliora . 3. *Certiſſima*,quia objecta ejus ſunt univerſaliora, & ſimpliciora, & ideò minùs corruptibilia,& contingentia . 4. *Circa omnium principia,& cauſas* , nempe circa ens,& ejus proprietates; ut enim entia hæc univerſaliſſima ſunt , ita & omnium principia, & cauſæ . 5. *Maximè , & propter ſe appetenda* ; quia eſt maximè ſcientia,& ſpeculativa,ut dicemus . 6. denique *cæteris imperat*,quia tradit prima omnium principia .

Igitur *Metaphyſicæ* nomine intelligimus eam ſcientiam, quæ verſatur circa ens in communi , & in abſtracto,prout præſcindit à materialitate, imò & prout eſt commune Deo , & creaturis,& ideò dicitur *tranſnaturalis*, ſeu tranſgrediens ſcientiam naturalem , qualis eſt ea , quæ conſiderat ens corporeum, ſeu naturale,prout naturale eſt.

Quantum ad exiſtentiam hujuſmodi ſcientiæ, non eſt,quod immoremur in ea probanda . Sufficit enim ad hoc communis omnium Philoſophorum conſenſus,qui eam admittunt cum ampliſſimis elogiis , & glorioſis nominibus .

QUÆSTIO II.

De objecto Metaphyſices .

SUppoſitis iis, quæ in Logica diximus de objecto ſcientiæ, de illius conditionibus, ac diviſionibus, breviter ab hac quæſtione nos expediemus . Procedit autem de objecto totali, & adæquato,& quidem Metaphyſicæ,prout eſt ſcientia aliqua particularis diſtin-

Digitized by Google

cta à reliquis, maximè à Phyſica, & Mathematica.

Porrò notandum eſt, quòd nomen entis ſumi poteſt. 1. latiſſimè, prout ſc. complectitur tàm realia, quàm fictitia, ſeu rationis. 2. minùs latè, ſeu magis propriè, prout comprehendit ſola entia realia: ſed adhuc eſt in tanta latitudine, ut complectatur, non ſolùm entia per ſe, ſed etiam entia per accidens, quæ ex rebus diverſorum prædicamentorum coaleſcunt. 3. Strictè, & propriè pro ente reali, & per ſe: eſt tamen commune Creaturæ, & Deo, ſubſtantiæ, & accidenti, & huic quidem materiali, & ſpirituali.

CONCLUSIO I.

E*Ns latiſsimè, aut latè ſumptum non eſt objectum adæquatum Metaphyſicæ*. Eſt Doctoris, & ſuorum cum aliis.

Prob. 1. pars ex Scoto docente, [1] Metaphyſicam eſſe unam ex tribus ſcientiis realibus, quia conſiderat ens, quod eſt objectum reale: ſed ens rationis non eſt reale, ergo, ex Scoto, ens, prout intelligitur complecti entia rationis, non eſt objectum Metaphyſicæ.

Confirm. Nam ſic argumentatur. [2] Ab omnibus ſpeculabilibus realibus poteſt unum commune, ſc. ens, abſtrahi, & hoc commune habet proprias paſſiones, *unum*, *verum*, *bonum*, & tale ens ponit objectum Metaphyſicæ, per quod diſtinguitur à reliquis ſcientiis realibus, ergo ens, quod eſt objectum Metaphyſicæ, non eſt commune entibus rationis, ſed ſolùm realibus.

Prob. 2. ratione. Ens latiſſimè ſumptum ſupponitur includere ens reale, & rationis, &, ſi eſset objectum Metaphyſicæ, ens rationis eſſet objectum ejus partiale æquè, ac reale: ſed hoc eſt falſum, & abſurdum, ergo ens latiſſimè ſumptum non eſt objectum adæquatu Metaphyſicæ. Prob. mi. 1. Quia Metaphyſica non eſſet propriè ſcientia realis: ſed hoc eſt contra Philoſophum, & Philoſophos omnes, ergo, &c. 2. Quia ens in ea latitudine non habet conditiones veri objecti ſcientiæ: ergo, &c. Prob. ant. Una ex præcipuis conditionibus objecti adæquati ſcientiæ eſt, ut ſit

[1] *L. 1. Metaph. q. 2. n. 10.* [2] *ibid.*

Digitized by Google

ſit quid unum conceptibile,& definibile una definitione, & conceptione, quæ conveniat univocè omnibus, quæ tractantur in illa : ſed non datur unusconceptus univocus reſpectu entis realis, & rationis,ergo, &c. Min. patebit ex dicendis diſp. ſequenti de univocatione entis.

Prob.2.p.1.ex eodem Scoto. Quia ens per accidens non eſt per ſe unum , nec poteſt una definitione explicari; nec eſt ratio ejus, quod non eſt per ſe unum , inquit Ariſtot. ergo ens in ea latitudine,in qua comprehendit entia per accidens , non eſt objectum adæquatum Metaphyſices.

Prob. 2. Quia illud non eſt objectum adæquatum ſcientiæ, cui non conveniunt paſſiones,quæ demonſtrantur in ea : ſed paſſiones, quæ demonſtrantur de ente in Metaphyſica,non conveniunt illi, inquantum comprehendit entia per accidens,ergo ſub ea latitudine non eſt objectum Metaphyſicæ. Maj.patet ex dictis de conditionibus objecti totalis in Logica. Prob. mi. Nam una ex præcipuis paſſionibus,quę demonſtrãtur de ente, eſt,quòd ſit unum : ſed ens per accidens non eſt unum; dicit enim eſſentialiter multa, ergo, &c.

Confirm. per rationes allatas in præcedenti parte. Quia objectum ſcientiæ debet eſſe definibile, ſeu conceptibile uno conceptu ,qui conveniat omnibus, quæ traduntur in ſcientia , ſeu quæ ſub illo objecto totali continentur: ſed ens in ea latitudine, in qua comprehendit entia per ſe, & per accidens, non eſt ſic conceptibile, ſeu definibile, ergo ſub illa non eſt objectum Metaphyſicæ. Prob.min. Quia, ut mox dicebamus, ens, ut ſit definibile, &conceptibile unico conceptu,debet eſſe unum : ſed prout comprehendit entia per ſe,& per accidens,non eſt quid unum,ergo,&c. Prob.mi. Quia,prout comprehendit entia per accidens, excludit unitatem.

Prob. 3. Objectum ſcientiæ debet eſſe quid neceſſarium, ita ut non poſſit aliter ſe habere ſecundum id,quod cadit ſub ſcientiam: ſed ens per accidens non eſt quid neceſſarium , ergo non poteſt contineri diſtinctè, & per ſe in objecto Metaphyſicæ. Ma. patet ex dictis in Logica,tàm de objecto, quàm de ſcientia. Min. eſt evidens. Nam ens per accidens poteſt aliter ſe habere, ergo, &c.

Digitized by Google

Objicies 1. contra 1.p. Ens rationis conſideratur ex profeſſo à Metaphyſica, ergo pertinet ad ejus objectum totale, ergo ens, quod eſt objectum Metaphyſicæ, extenditur ad ens rationis. Prob. ant. 1. Quia nulla eſt alia ſcientia, per quam debeat conſiderari. 2. Quia revera poteſt reduci ad ejus objectum, ſeu ad ens reale per connexionem, quam habet ad illud, ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & 1. probat. ejus. Nam conſiderabitur à ſcientia rationali, non autem à ſcientia reali, qualis eſt Metaphyſica, niſi valdè per accidens, & indirectè. Ad 2. probat. diſt. ant. Reducitur per accidens, tanquam per oppoſitionem quandam, & indirectè, conc. ant. reducitur per ſe, & veluti pars conſtitutiva, aut ſpecies, vel proprietas, vel accidens objecti totalis, neg. ant. & conſeq. Nam, ut diceretur reduci per ſe ad objectum totale, deberet pertinere ad illud aliquo ex his modis.

Inſt. ex Ariſt. Contrariorum eadem eſt ſcientia; ſed ens reale, & ens rationis ſunt contraria, ergo ad eandem ſcientiam pertinent.

Reſp. diſt. ant. Ita ut eodem modo ſit diſcurrendum de utriſque, conc. ant. ita ut æquè diſtinctè, & per ſe eadem ſcientia de utriſque agat, neg. ant. & conſeq. Dicitur, quòd contrariorum eſt eadem lex, quatenus eodem modo eſt diſcurrendum de illis proportione ſervata, ſed non ſequitur, quòd æquè primò, directè, & per ſe agat de utriſque. Unde Metaphyſica per ſe primò, & directè agit de ente reali, ut ſic, indirectè verò, & per accidens de ente rationis: Logica per ſe primò agit de modo rectè diſcurrendi, & per accidens de erroribus, & fallaciis, ſeu defectibus boni diſcurſus: ſic Theologia de virtutibus per ſe, & de vitiis per accidens, &c.

Objic. 2. Ens latiſſimè ſumptum eſt unum ſcibile, & objectum intellectus, & alicujus ſcientiæ, ergo eſt objectum Metaphyſicæ. Prob. conſeq. Nulla enim poteſt aſſignari aptior.

Reſp. abſolutè neg. ant. Nam nulla una ratio entis objici poteſt intellectui, & ſcientiæ, quæ ſit communis univocè enti reali, & rationis, ut conſtat ex fundamento concluſionis.

Inſt. Univocatio non eſt neceſſaria in illo conceptu,

Digitized by Google

ptu, ſed ſufficit analogia: ſed conceptus ille eſſet analogus enti reali, & rationis, id eſt, ſufficeret ad unitatem objecti ſcibilis.

Reſp. diſt. maj. Sufficit analogia perfecta, & quæ ſtat cum unitate conceptus, conc. maj. imperfecta; & quæ non ſtat cum unitate conceptus objectivi, neg. maj. & conſeq. diſtincta pariter minori. Nam ens rationis, & reale non conveniunt, niſi ſecundum analogiam imperfectam proportionalitatis, ut videbimus infrà.

Objic. 3. Ens rationis eſt ſcibile, ergo pertinet ad aliquam ſcientiam, ergo ad Metaphyſicam. Prob. ultima conſeq. ex Ariſtotele, aliiſque Philoſophis, qui agunt hìc de illo ente.

Reſp. diſt. ant. Eſt ſcibile indirectè, & per accidens, conc. ant. directè, & per ſe, neg. ant. & conſeq. in eodem ſenſu. Igitur Metaphyſica agit de ente rationis per oppoſitionem, aut proportionalitatem, quam habet cum ente reali, quod per ſe, & directè conſideratur, & ad formam cujus concipitur ens rationis: ſicut contrarium unum confert ad clariorem cognitionem alterius contrarii.

Objic. contra 2. p. Ens per accidens eſt per ſe ſcibile, ergo debet conſiderari à Metaphyſica in communi. Prob. ant. Aliquæ ſcientiæ conſiderant entia particularia per accidens, ergo & in communi etiam erit ſcibile. Prob. ant. Muſica habet pro objecto numerum ſonorum, Perſpectiva lineam viſualem: ſed hæc ſunt entia per accidens, ergo, &c.

Reſp. neg. 1. & 2. ant. & min. probat. Nam objecta Muſices, & Perſpectivæ ſunt unum per ſe, quantum ſufficit ad rationem ſcientiæ minùs rigoroſæ, quales ſunt Muſica, & Perſpectiva.

CONCLUSIO I.

E*Ns reale, ut ſic, eſt objectum adæquatum Metaphyſicæ*. Ita Scotus, & Scotiſtæ.

Prob. 1. ex Ariſtot. [1] & Scoto, ille enim ait: *Eſt autem ſcientia quædam, quæ ſpeculans ens, ut eſt ens, & quæ huic inſunt ſecundum ſe*, quæ verba ſic commentatur iſte: *Cùm hìc dicitur, quòd quædam ſcien-* *tia*

A 4

[1] *L. 3. Metaph. 1. & comm. 1. & 2. & 3.*

tia Metaphyſica ſpeculatur ens,inquantum ens, ly *inquantum accipitur reduplicativè ad denotandum; quòd ratio formalis entis eſt ratio formalis objectiva hujus ſcientiæ, ut, quidquid conſideratur in hac ſcientia, conſideretur ſub ratione, qua ens formaliter .... Notandum, quòd nulla ſcientia alia à Metaphyſica conſiderat ens, inquantum ens communiter*, ad hoc etiam faciunt textus allati pro concluſione prima, ergo, &c.

Prob. 2. Quia ens reale, ut ſic, & reduplicativè, ut ens, habet omnes conditiones objecti adæquati, ergo eſt, &c. Prob. ant. Nam ad rationem objecti ſcientiæ requiritur 1. ut habeat *quid eſt*, ſeu, ut definiatur in ea. 2. ut per illud *quid eſt*, ſeu per definitionem demonſtrentur in eadem proprietates ejus. 3. ut ad illud referantur omnia, quæ in ea tractantur, ita, ut non excedat, nec excedatur ab illo: ſed iſtę omnes conditiones reperiuntur in ente reali, ut ſic, ergo, &c. Prob. min. Nam 1. habet *quid eſt*, & definitur à Metaphyſica. 2. per illam demonſtrantur paſſiones ejus, ut patebit infra: & denique omnia, quæ tractantur in Metaphyſica, continentur ſub ente reali, ut ſic, & ad illud pertinent, ergo, &c.

Prob. 3. Quia nihil poteſt aptius aſſignari pro objecto adæquato, ergo, &c. Prob. ant. inductione. Nam 1. Deus conſideratur à Metaphyſica, quantum eſt cognoſcibilis naturaliter, ideò dicitur Theologia naturalis: ſed ad ipſum non reducuntur entia creata, neque accidentia tanquam partes, vel proprietates ejus, ergo, &c.

2. Non etiam rectè aſſignatur ſubſtantia immaterialis extenſa ad Deum, & Angelos, nec ſub ulla alia ratione ſubſtantiæ, quia accidentia non conveniunt in ulla ratione univoca ſubſtantiæ, ut ſuppono ex dicendis, ergo, &c.

3. Non rectè aſſignatur ens finitum, quia ſic excluderetur Deus, ergo nihil melius aſſignari poteſt pro objecto adæquato Metaphyſicæ præter ens reale ut ſic.

Objic. 1. Scientia non denominatur, niſi ab objecto adæquato: ſed Metaphyſica denominatur Theologia naturalis à Deo, ergo Deus eſt ejus objectum adæquatum.

Reſp,

Digitized by Google

Reſp.neg.maj. Nam denominatur ſępius ab objecto partiali, & maximè à nobiliori, ut eſt Deus:

Inſt. Hęc ſcientia magis nobilitatur ex hoc objecto, quàm ex omnibus aliis, ergo iſtud eſt illi tribuendum.

Reſp. neg. conſeq. Non enim tribuendum eſt ſcientiis, quod nobilius eſt, ſed quod verius.

Reſp.2.n.ant. Quia, licèt verſetur circa ens, ut quid latius patens Deo, non excluditur Deus, & ideò minus dignificatur ex illo objecto, quàm ex iſto: immò extenſivè nobilior eſt, quàm ſi ad Deum ſolummodò limitaretur.

Objic. 2. *pro ſubſtantia*, Ariſt. dicentem, [1] ſe hìc de ſubſtantia primùm, & ſolùm agere velle; & accidentia reduci ad illam, additque, omnia accidentia reduci ad ſubſtantiam; & quòd ſpeculatio de ſubſtantia eſt, &c. ergo, ex Philoſopho, ſubſtantia eſt objectum adæquatum Metaphyſicæ.

Reſp. neg. conſeq. Nam, ut notat Scotus in illos textus, [2] *licèt Metaphyſica maximè, & principaliter conſideret de ſubſtantia, non tamen ſolùm, nec præciſe conſiderat de ſubſtantia, cùm ſit de toto ente, & ideò ſignanter Ariſtoteles ait ſolum, ut eſt dicere de ſciente, hoc enim, quod dicitur, ut eſt dicere, eſt additio diminuens, qua additione ſolemus uti in his, quæ non habent omninò veritatem.* Et idem notat in alios textus Metaphyſices, quæ ſanè agit principaliùs de ſubſtantia, utpote nobiliori parte ſui objecti primi, quod eſt ens, ſicut etiam inter ſubſtantias principaliùs agit de ſubſtantiis immaterialibus, non obſtante, quod agat de omni ente, &c.

Inſt. Accidentia conſiderantur, ut paſſiones ſubſtantiæ, ergo ipſamet ſubſtantia eſt unicum, & adæquatum objectum, & non aliquod commune ipſi, & accidentibus, *ut ens.* Prob. conſeq. ex eodem Philoſopho. Quia objectum, & paſſiones ejus non debent confundi, ergo accidentia non cenſentur objecta partialia.

Reſp. neg. ant. Quia tàm accidentia, quàm ipſa ſubſtantia conſiderantur in Metaphyſica ſub ratione entis; non autem purè, ut proprietates ſubſtantię.

A 5 Ob-

[1] *L.7. Metaph.l.5. & l.9. & 2. & l. 12. initio.*
[2] *L.7. n.7. fin.*

Digitized by Google

Objic. 3. Idem Philoſophus docet, Metaphyſicam verſari in ſcientiis à materia ſeparatis, & Phyſicam in materialibus, ergo ſubſtantia immaterialis eſt objectum adæquatum Metaphyſicæ.

Reſp. neg. conſeq. Nam ex illis textibus ſequitur, ſubſtantiam immaterialem eſſe quidem de objecto, & quidem principali, & nobiliori Metaphyſicæ, non tamen adæquato.

Objic. 4. Objectum Metaphyſicæ abſtrahit à materia: ſed ſola ſubſtantia ſpiritualis, ſeu ſeparata abſtrahit ab omni materia, ergo illa ſola eſt objectum adæquatum Metaphyſicæ.

Reſp. diſt. maj. Abſtrahit logicè, aut metaphyſicè, ſeu formaliter objectivè, conc. maj. abſtrahit phyſicè, neg. maj. & conſeq. Ens, ut ſic, abſtrahit logicè, ſeu metaphyſicè, ſeu formaliter objectivè, à materialitate, & ab immaterialitate, & ſic ponitur à nobis objectum adæquatum hujus ſcientiæ.

Objic. 5. Si ens, ut ſic, & univerſaliter eſſet objectum Metaphyſicæ, eſſet omnis ſcientia, & nulla eſſet præter illam, ſed falſum conſeq. ergo & ant. Prob. maj. Nam objectum Metaphyſicæ contineret objecta aliarum omnium, ergo & ſcientias omnes.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. probat. Contineret objecta omnium ſecundum rationem aliquam generalem, & materialem, conc. ant. ſecundum rationes particulares, & formales ſingulares, neg. ant. & conſeq. Nam omnes aliæ ſcientiæ, & illarum objecta continentur quidem ſub iſta, quia omnes conſiderant aliquod ens, ſed in hoc ab ea differunt, quòd conſiderant aliquod ens ſub particulari aliqua ratione, ac modo, ſub quo ad nos deſcendit iſta, ut dicetur brevi.

Objic. 6. Ens, ut ſic, non habet principia, & proprietates demonſtrabiles de ipſo in Metaphyſica, ergo non eſt ejus objectum. Conſeq. patet ex dictis. Prob. ant. Eſt enim formalitas ſimpliciter ſimplex, & non reſolubilis in plures conceptus.

Reſp. diſt. ant. Non habet principia ſui conſtitutiva, quaſi priora, & partes, conc. ant. quoad hanc partem; non habet entitatem, quæ ſit principium, à quo manant ejus proprietates, neg. ant. Ens igitur eſt quid incomplexum, & ſimplex in ſua entitate,

ſed

Digitized by Google

ſed habet principia complexa non in eſſendo, ſed in cognoſcendo, v.g. *quodlibet eſt, vel non eſt*, ſeu *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*, & per hæc, & ſimilia principia probat Metaphyſicus proprietates de ente, ut docet Scotus. [1]

Objic. denique. Illa reduplicatio, *ut ens*, ſignificat ens conſiderari cum omnimoda abſtractione: ſed hoc non poteſt dici. ergo malè ſic aſſignatur pro objecto Metaphyſicæ. Probatur min. Ens, ut ens, tàm eſt indifferens ad res materiales, quàm ad immateriales, ergo Metaphyſica non magis debet conſiderare iſtas, quàm illas: ſed hoc eſt falſum, & contra omnes, nam agit ex profeſſo de Deo, & Angelis, qui ſunt ſubſtantiæ immateriales, & non agit de materialibus, quas relinquit Phyſicæ, ergo non poteſt dici, quòd ens deſignet omnimodam præciſionem entis.

Reſp. diſt. maj. Cum omnimoda abſtractione entis, adeò ut ratio entis ſit formalitas principalis, quæ, & ſub qua res conſiderantur in Metaphyſica, conc. maj. adeò ut illa ratio ſit totalis ſic, quòd non deſcendat ad aliquas differentias entis, neg. maj. & primam conſeq. 2. argumenti. Nam, licèt ratio entis ſit eadem in rebus materialibus, & in immaterialibus, tamen, quia in iſtis magis abſtrahit à materia; ideò placuit Philoſopho, ut Metaphyſica, velut ſublimior ſcientia, non deſcenderet ultra iſtas, relinquens materiales alicui ſcientiæ inferiori, ut eſt Phyſica, Ita Scotus poſt Ariſt. [2] de quo mox ſermo redibit.

QUÆSTIO III.

An Metaphyſica deſcendat ad omnia entia in particulari.

QUia diximus, ens reale, ut ſic, & in genere, eſſe objectum Metaphyſicæ, videtur etiam, quòd omnia, & ſingula entia realia, quæ ſub illo univerſali continentur, debeant ab ea conſiderari: quod an ita ſit, an verò limitetur ejus conſideratio ad ens in abſtractiſſimo illo genere tranſ-

A 6 cen-

[1] 3. *Metaph. c.* 2. *n.* 17. [2] 6. *Metaph. q.* 1. *Ariſt.* 10. *text.* 2.

Digitized by Google

cendentali, an verò ad aliqua tantùm deſcendat, hîc examinandum eſt.

Notandum autem, quòd, ut alibi diximus, diviſio ſcientiarum in Mathematicam, Phyſicam, & Metaphyſicam eſt quidem valdè congrua, & receptiſſima, non tamen adeò neceſſaria, ut non potuerit aliter diſtribui, aut ſub unam totalem uniri, cujus objectum eſſet omne ens reale in tota ſua latitudine, aut etiam omne ens tàm reale, quàm rationis, & morale, & talis dici poſſet Metaphyſica, aut alio nomine inſigniri, quod probat Ariſtoteles, & poſt illum Scotus, [1] quia *ejuſdem ſcientiæ eſt conſiderare ea, quæ habent ordinem attributionis, ut ſcientiæ Medicinæ omnia ſalubria: ſed omnia entia ſunt hujuſmodi, ut oſtenſum eſt, ergo ad unam ſcientiam ſpectat conſiderare omnia entia.* Hoc igitur ſenſu ſcientiæ omnes ſunt veluti partes integrales unius, quæ dici poſſet Metaphyſica.

Id tamen non impedit, quominùs ipſemet Philoſophus, & omnes alii diſtinguant has ſcientias, & maximè Phyſicam, & Mathematicam à Metaphyſica, veluti ſcientias totales ad majorem claritatem, & ordinem commodiorem.

Rurſus Metaphyſica ſpectari poteſt, vel quatenus tractatur ab ipſo Ariſt. vel aliis Philoſophis, vel ſecundùm ſe, qualis tractari poſſet. In primo ſtatu limitatum habet objectum, in ſecundo non haberet, ſed poſſet omnia entia comprehendere, aut magis arctari: ſed loquimur de primo, &, hoc ſuppoſito, ſit

CONCLUSIO I.

Metaphyſica de facto non deſcendit, nec extenditur ad omnia entia, & ſpecies, & individua, nec limitatur ad ens in genere tranſcendentali, & abſtracto. Conformior eſt Doctori, & nobilioribus Scotiſtis, nec in re videtur contraria aliis.

Prob. autem 1. p. imò & tota concluſio, ex Doctore. [2] qui approbat diſtinctionem ſuprà dictam ſcientiarum realium, & eam probat ex objectis earum his verbis .... *Scientia alia eſt de conceptu communiſſimo per*

[1] *L. 5. Metaph. t. 3. & 4. n. 1.*
[2] *Lib. 4. Metaph. t. 1. n. 12.*

Digitized by Google

per ſe paſſiones habente, ſcilicet de ente, alia de conceptu minùs communi, &c. Sed non diſtinguerentur per objecta, ſi Metaphyſica deſcenderet ad omnia, & ſingula entia, ergo de facto non deſcendit ad omnia, & ſingula.

Confirm. Quia Metaphyſica abſtrahit omninò à materia: quia, ſicut ens, quod primò conſiderat, ita & quodlibet, in quantum ſub ejus conſiderationem cadit, non includit materiam, ergo Metaphyſica de facto non deſcendit ad ſpecies omnes entis, ſed tantùm ad illas, quæ abſtrahunt à materia. Et ſic manet probata utraque pars concluſionis ex authoritate, quæ plurimum in hac theſi valet: nam extenſio hujus ſcientiæ pēdet ab inſtitutione Philoſophorum.

Prob. 2. ratione quoad 1. par. Nam, ſi Metaphyſica deſcenderet ad omnia, & ſingula entia, nulla daretur alia ſcientia realis præter Metaphyſicam: ſed hoc eſt contra omnes ferè Philoſophos, ergo, &c. Prob. maj. Nam diſtinctio ſcientiarum petitur ab objectis: ſed Metaphyſica attingeret objecta omnium, ergo, &c.

Prob. 2. p. Certum eſt enim, & patet ex omnium conſenſu, quòd Metaphyſica, prout traditur, agit non ſolùm de ente, de eſſentia, ſubſtantia, natura communi, & de proprietatibus generalibus entis, unitate, bonitate, & veritate, ſed etiam de ſubſtantiis immaterialibus, ſcil. de Deo, & Angelis, ergo non limitatur ad ſolam conſiderationem entis in genere.

Ob. 1. con. 1. p. varias authoritates Scoti, [1] quibus tribuit Metaphyſicæ cognitionem multorum entium particularium, quæ tractantur in Phyſica, & Metaphyſica, ergo, ex Scoto, Metaphyſica deſcendit ad quidditates omnium entium particularium. Prob. conſeq. Nam non eſt major ratio de illis, quæ ibi Scotus commemorat, quàm de aliis quibuſcumque, ergo, &c.

Reſp. Scotum ibi loqui de Metaphyſica latiſſimè ſumpta, ſeu prout ab aliquibus fuit uſurpata, & uſurpari ſolet, id eſt, pro univerſali Philoſophia: in hoc enim ſenſu deberet attingere omnia, & ſingula entia, non autem loquitur de Metaphyſica, prout de facto tractatur ab Ariſtotele, & nos de ipſa hic loqui-

[1] *in* 1. *diſt*. 3. *qu*. 2. *nu*. 2. 5. *verſ. commentar. ibid. num*. 14.

Digitized by Google

loquimur, videlicet, prout eſt ſcientia particularis, & diſtincta à Phyſica, & Mathematica.

Objicies 2. Ens, ut ſic, eſt objectum Metaphyſicæ, ergo & ſingula entia in particulari. Prob. conſeq. cujus enim eſt totum, ejuſdem etiam ſunt partes. Et præterea. Ratio entis eſſet in aliquo, quod ad Metaphyſicam non pertineret.

Reſp. diſt. anteced. Ens, ut ſic, & prout abſtrahit à materialitate, conc. antec. Ens, ut ſic latiſſimè, ſeu latè, & prout includit omnia prorsùs entia realia, neg. anteced. & conſeq. Ratio patet ex dictis quæſt. ſuperiori.

Objicies 3. Si Metaphyſica non conſideraret inferiora entis, eſſet imperfecta: ſed hoc non admittimus, ergo. Prob. maj. Quia eſt imperfectio conſiderare res in communi tantùm, & non deſcendere ad ſingularia, ergo, &c.

Reſp. neg. ſuppoſition. maj. nempè Metaphyſicam non deſcendere ad inferiora entis: deſcendit enim, non quidem ad omnia, ſed ad ea, quæ ſub ente immateriali continentur: quamvis enim conſideret ens reale in communi, tamen ex inſtitutione rationabili Magiſtrorum limitatur ad entia immaterialia, materialia verò ſecundum prædicata tranſcendentalia tantùm: quia reſpectu prædicatorum, quæ materiam ſapiunt, limitatur.

Inſtab. Potentia ſuperior attingit quæcumque poteſt attingere inferior: ſed Metaphyſica eſt ſcientia ſuperior aliis, ergo attingit, quæcumque illæ poſſunt attingere, ſed illæ attingunt quidditatem ſuorum objectorum in particulari, ergo & iſta.

Reſp. neg. conſeq. & paritatem. Quia potentia ſuperior [1] habet majorem virtutem, quàm inferiores, & continet eminenter virtutes inferiorum, ideòque cognoſcit omnia, quæ cognoſcuntur ab inferioribus mediantibus ſpeciebus: non ſic eſt de habitibus, qui non habent vim repræſentativam objectorum, quæ ſpectantur ab inferioribus, niſi ſecundum rationem, ſecundum quam objecta illa ſpectantur ab iis: objecta verò Phyſicæ, ver. gr. repræſentantur ſolùm per habitum Metaphyſicæ ſecundum gradus præſcindentes à materia.

In-

[1] *Scot. 1. metaph. t. 9. n. 20.*

Digitized by Google

Inſtab. 2. Ad eandem ſcientiam pertinent genus, & ſpecies, ſeu partes, & totum: ſed ens, quod eſt velut genus, & quoddam totum, ſpectatur à Metaphyſica, ergo ſpecies omnes entis.

Reſp. diſt. maj. Sub eadem ratione, ſub qua totum pertinet ad ſcientiam, conc. maj. ſub alia ratione, neg. maj. & ſimiliter diſt min. Totum, ſeu genus conſideratur à Metaphyſica ſub ratione aliqua generali, & prout à materia præſcindit, conc. min. abſolutè, & ſub omni ratione, ſub qua ab aliis ſcientiis attingitur, neg. min. & conſeq. Ratio negati petitur ex quæſtione præcedenti.

Inſtab. 3. Metaphyſica attingit omnia cauſarum genera: ſed materia eſt una cauſarum, ergo Metaphyſica attingit etiam entia materialia.

Reſp. diſt. maj. Attingit ſecundum aliquas rationes generales, conc. maj. ſecundum differentias ſpecificantes particulares, neg. maj. & conſeq. Metaphyſica conſiderat cauſam materialem, prout concurrit intrinſecè ad conſtitutionem omnis compoſiti per modum partis determinabilis, & ſubjectivæ, & cauſam formalem, prout concurrit per modum partis actuantis, ſeu determinantis, & ſecundum has rationes præſcindunt à materia prima phyſica.

Inſtab. 4. Metaphyſica dividit ſubſtantiam, ut ſic, in ſpiritualem, & corpoream, ergo attingit entia, ut contracta per materiam: nam corporea contrahitur poſitivè per materiam primam.

Reſp. diſt. conſeq. Indirectè, & per accidens, conc. conſeq. directè, & per ſe, neg. conſeq. Subſtantia corporea non eſt amplius intra ſphæram Metaphyſicæ, nec eam attingit, niſi indirectè, & ut eam diſtinguat ab incorporea, ad quam per ſe convertitur.

Inſtab. 5. Metaphyſica cognoſcit differentiam inter hominem, & Angelum, ergo attingit entia materialia. Prob. conſeq. Nam homo includit eſſentialiter materiam. Idem eſt de leone, &c.

Reſp. neg. antec. Nam in eo caſu illa diſtinctio non eſt purè à Metaphyſica, de qua hic agimus, ſed eſt etiam mixtim ex Phyſica.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO II.

M*Etaphyſica attingit aliquo modo entia omnia ſecundum rationes eorum generales, & tranſcendentes.* Eſt Doct. & aliorum.

Prob. 1. ex Scoto dicente, id eſſe de mente Ariſtotelis, [1] quòd *nulla alia ſcientia conſideret ens, ſive quid in communi, niſi hæc*: & in hoc ſenſu dicit, quòd quantitas, quæ eſt ſubjectum Mathematices, eſt ſubjectum remotum reſpectu paſſionum metaphyſicarum, quæ ſunt primò ens, & quòd lapis, & albedo conſiderantur in Metaphyſica ſub ratione entis, & aliarum paſſionum univerſalium, & tranſcendentium, v.g. *veri, boni, & unius*, ergo, ex Scoto, verè Metaphyſica attingit aliquo modo entia omnia ſecũdum rationes earum communes, & univerſales.

Prob. 2. ratione. Metaphyſica reſpicit ens, ut ſic, & ut ens eſt, & proprietates, quæ ipſi competunt in illa generalitate, ergo ad illam ſpectat reſpicere omnia ſecundum illam rationem generalem. Antec. patet ex quæſt. præced. Prob. conſeq. Res omnes ſunt ſcibiles ſecundum iſtos gradus, ſeu prædicata, *entis, boni, veri, unius, ſubſtantiæ, accidentis*, &c. ſed per nullam ſcientiam poſſunt ſciri magis, quàm per Metaphyſicam, ergo, &c. Maj. non videtur dubia. Prob. min. Metaphyſica eſt univerſaliſſima ſuper omnes alias, ergo ad nullam aliam ſpectare poteſt conſideratio graduum univerſaliſſimorum.

CONCLUSIO III.

M*Etaphyſica extenditur, & deſcendit ad entia immaterialia, v. gr. Deum, & Angelos.* Eſt etiam Doct. [2] & aliorum communiter.

Prob. 1. Metaphyſicus aggregat multas concluſiones de Deo *propter quid*, vel *quia* oſtenſas, & talis ſcientia, ſi qua eſſet, eſſet una maximè in illo genere unitate ſubjecti, vel quæ aggregat multas propoſitiones, & principia de Deo, & de aliis attributis ad ipſum,

[1] *lib. 1. metaph. q. 9. n. 9. ut notat Scotus ibid. & lib. 6. qu. 1. num. 19. ad 6.*

[2] *lib. 1. metaph. qu. 1. num. 40.*

Digitized by Google

ſum , ut ad primum : non vult tamen, quòd habeatur de Deo ſcientia *propter quid*, ſed ſolùm *quia* : poteſt igitur prima ſcientia poſſibilis per rationem naturalem acquiri , & poni ſcientia , *quia* , & de Deo , ut ſubjecto primo , & de omni ente , ut de materia , inquantum attribuitur ad primum ens , &c. Alibi etiam docet , [1] quòd conſideratio attributorum Dei naturaliter à nobis intelligibilium eſt conſideratio Metaphyſica , ergo , &c.

Prob. 2. Quia de facto Metaphyſici omnes hìc agunt de Deo , & Angelis , prout ſunt à nobis naturaliter cognoſcibiles: agunt de Deo ſub ratione entis ſummi , infiniti , boni , ſapientis , & ita de Angelis, & intelligentiis ſub ratione actuum puriſſimorum entium immaterialium, ergo , &c.

Objic. 1. Anima rationalis ſeparata eſt immaterialis, ſed tamen de illa non agit Metaphyſica, ergo nec de aliis ſubſtantiis immaterialibus . Antec. patet ex praxi . Prob. conſeq. Non eſt potior ratio , cur agat de iſta , quàm de aliis , ergo , &c.

Reſp. diſt. min. Non agit de illa, quoad ea, quæ dicunt ordinem ad materiam, ſeu corpus, conc. minor. ſecundum ea , quæ ipſi ſunt communia cum intelligentiis, ut *ſpiritualitas*, *ſubſiſtentia*, & *intellectivitas*, neg. min. ut videbimus in tractatu de anima . Partiuntur ſiquidem ſibi tractatum hunc Metaphyſica , & Phyſica : nec enim inconvenit , inquit Maſtrius, [2] ſcientias in ſuis confiniis aliqua invicem communicare .

Per entia abſtrahentia à materia intelligimus de abſtractione reali , ſeu eſſentiali , qualis eſt in rebus eſſentialiter immaterialibus, adeò ut in materia nunquam reperiantur , in quo differunt à corporeis, quæ ſunt eſſentialiter additæ corporeitati: alia abſtrahunt intentionaliter per indifferentiam , quatenùs in ſuo conceptu non includunt ullum gradum ſubſtantiæ, vel rei materialis , ut ſunt gradus omnes univerſales entis , & ſubſtantiæ , ut ſic, ut ſcilicet utraque abſtracta tàm poſitiva , quàm negativa , ſeu indifferentia ſpectant ad conſiderationem Metaphyſicæ.

QUÆ-

[1] *ibid. nu. 41. & 4. 5. 7. 9. prolog. A.*
[2] *hìc diſp. 1. nu. 17.*

Digitized by Google

QUÆSTIO IV.

Quomodò Metaphyſica ſe habeat ad alias ſcientias: an ſit illis utilis: quæ ſint ejus munera.

CUm Metaphyſica ſit univerſaliſſima, & reſpiciat objectum, quod tranſcendit, & divagatur per omnia reliquarum ſcientiarum objecta, & maximè realium, & ideò ſuperioritatem quandam habeat ad illas, meritò hìc quærimus, in quo illa conſiſtat: quomodò reſpiciat illarum objecta: quid illis præſtet adjumenti quæ munera circa illas obeat. Illa autem munera communiter dicuntur, 1. quòd unicuique ſcientiæ præſcribat proprium objectum, illudque demonſtret. 2. quòd aliarum objecta ſtabiliat, & probet. 3. quòd cæteras omnes ſuperet certitudine, & evidentia. 4. quòd ſit aptior ad docendum. 5. quòd tradat inſtrumenta ſciendi. 6. quòd præter cæteras maximè appetatur. 7. quòd cæteris præſit, & imperet: quæ breviter hìc explicanda ſunt, quantum Tyronibus ſufficiat.

CONCLUSIO I.

METaphyſica probare poteſt à priori objecta aliarum ſcientiarum quoad eſſe, non quoad quidditatem, ſeu quoad quid eſt. Eſt conformis Scoto.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quòd *præter ſcientias particulares oportet eſſe aliquam communem, in qua probentur in communi omnia, quæ ſunt communia ipſis ſpecialibus*, ergo poteſt probare ſaltem quoad, *ſi eſt*, & quidem à priori. Prob. conſeq. Nam ſcientiæ particulares poſſunt probare exiſtentiam ſui objecti ſaltem à poſteriori, ſeu per effectus, vel per proprietates aliquas, ergo, ſi quid probare poteſt Metaphyſica, quæ illis eſt prior, id probabit à priori.

Prob. 2. 1. pars. Quia Metaphyſica agit de ente, & illud dividit in ſuprema genera, donec perveniat ad materialitatem, quæ eſt extra ſphæram illius attingentiæ: ſed ex illa diviſione graduum ſuperiorum probari poteſt à priori exiſtentia inferiorum, quæ ſunt

[1] *qu. 3. prolog. 1. ad 2.*

Digitized by Google

ſunt objecta aliarum ſcientiarum, ergo, &c. Verbi gratia, dividit ens in ſubſtantiam, & accidens, & ſubſtantiam in ſpiritualem, & materialem, & materialis incipit pertinere ad Phyſicam. Idem eſt de cæteris, ergo, &c.

Confirm. Quia ſcientiæ ſpeculativæ non probant, ſed ſupponunt ſuum objectum quoad eſſe, ſaltem à priori, ergo hæc probatio à priori pertinet ad ſcientiam univerſalem, ſeu ad Metaphyſicam.

Prob. 2. pars ex eodem Scoto. Quælibet ſcientia ſpecialis eſſentialiùs cognoſcit, *quid*, proprii objecti, quàm Metaphyſica, ergo,ex Scoto, Metaphyſica non probat quidditatem objecti aliarum ſcientiarum.

Prob.2.ex dictis quæſt.præced. Nam, ſi Metaphyſica deſcenderet ad quidditatem objectorum aliarum ſcientiarum, excederet fines propriæ abſtractionis, ergo, &c.

Prob.3. Quia quælibet ſcientia definit ſuum objectum, & ex illa definitione, quaſi per principia, demonſtrat de illo proprietates, ergo non ſpectat ad Metaphyſicam illud definire. Fateor, Metaphyſicam non parùm juvare alias ad ſua objecta definienda, quandoquidem illis ſubminiſtrat, & explicat quidditatem graduum genericorum, quos illæ non cognoſcerent, niſi valdè imperfectè, & confusè ſine illius ope. Phyſica v.gr. non ſcit perfectè de ſe,quid ſit ſubſtantia, quæ conjungitur cum corporeitate, ſive cum mobilitate, ſub qua illam conſiderat, & ſic de aliis.

CONCLUSIO II.

M*Etaphyſica probat, & firmat aliarum ſcientiarum principia*. Eſt communis cum Doct.

Prob.1.ex Scoto poſt Ariſt.[1] *Illa,quæ conſequuntur omne ens, pertinent ad hanc ſcientiam philoſophalem* (Metaphyſicam) *quæ eſt de omni ente: unde omnes ſcientiæ utuntur eis circa quoddam ens particulare* (objectum ſuum) *de quo conſiderant, ſecundum quod ſufficit eis. Dicit* (Ariſtoteles) *quòd principia communia, quæ dicuntur dignitates, inſunt omnibus entibus, & ſcientiæ omnes utuntur eis, quia unumquodque ſcientiæ objectum recipit prædicationem entis,*

[1] *lib.4. metaph.cap.2.num.240.*

tis: iſta autem principia communia non ingrediuntur demonſtrationem ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum virtutem, pro quanto omnia principia particularium ſcientiarum firmantur per ea, & roborantur, ergo ex Ariſtotele, & Scoto Metaphyſica roborat, & firmat principia aliarum ſcientiarum, quatenùs illa principia particularia innituntur iſtis communibus, vel termini eorum illuſtrantur, declarando videlicet terminos, ex quibus illa principia particularia conſtant.

Prob. 2. Quia principia ſcientiarum vel ſunt communia, vel particularia, ut patet ex allatis exemplis: ſed circa utraque Metaphyſica exercet munus illud, ergo, &c. Prob. min. Nam confirmat communia explicando terminos, ex quibus illa conſtant: termini enim hujuſmodi principiorum ſunt, ver. grat. *ens, totum, pars, æquale, inæquale, dici de omni, dici de nullo*, &c. At iſti omnes pertinent ad Metaphyſicam, ergo ad ipſam pertinet eorum explicatio: unde explicat, quid ſit *ens*, quid *ſubſtantia*, quid *totum*, quid *pars*, &c. cognitis verò terminis, ſtatim intellectus aſſentitur principiis complexis ex illis, v. gr. ubi perfectè cognoſcimus, quid ſit *totum*, quid ſit *pars*, quid ſit *majus*, ſtatim aſſentimur huic principio: *omne totum eſt majus ſua parte*, ergo, &c.

Confirm. ex eod. Doct. [1] Nihil concipitur diſtinctè, niſi quandò concipiuntur omnia, quæ continentur in ratione ejus eſſentiali: ſed ens continetur quidditativè in omnibus conceptibus quidditativis inferioribus, ergo nullus conceptus inferior diſtinctè cognoſcitur, niſi concepto ente: ſed ad Metaphyſicam ſpectat cognitio diſtincta entis, & aliorum terminorum, ex quibus coaleſcunt principia aliarum ſcientiarum, ergo ſine Metaphyſica non poſſunt diſtinctè cognoſci. Metaphyſica, inquit Doctor, [2] eſt prima ſecundum ordinem ſciendi diſtinctè, quia ipſa habet certificare principia aliarum ſcientiarum.

Prob. 3. Quia Metaphyſica poteſt probare principia aliarum ſcientiarum per reductionem ad impoſſibile, accipiendo ver. grat. contradictorium illius principii, quod negaretur à protervo, & dum non poſſet protervus admittere illud contradictorium, con-

[1] *in 1. d. 3. q. 2. n. 44.* [2] *ibid. n. 26.*

Digitized by Google

convinceretur de alio per hoc principium generale Metaphyſicum: *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe.*

Objic. Principia Phyſicæ, ver. grat. ſunt per ſe nota, & immediata, ergo non poſſunt probari. Patet antec. Alioquin enim non eſſet ſcientia parta per demonſtrationem, &c. Prob. autem conſeq. Demonſtratio conſtat præmiſſis primis, ut evidentibus, & per ſe notis: ſed hæc non poſſunt probari, ergo,&c.

Reſp. neg.conſeq.& diſt. min. probat. Non poſſunt probari in illa ſcientia, conc.minor. in ſcientia ſuperiori, neg.minor. Nam ſunt quidem prima principia in ſcientiis inferioribus, ſed non reſpectu ſuperioris, qualis eſt Metaphyſica, & ideò poſſunt per eam probari, vel per explicationem diſtinctam terminorum, vel per reductionem ad impoſſibile, per quam protervi convincuntur reducti ad generaliſſima illa principia, *quodlibet eſt, vel non eſt, impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe.*

CONCLUSIO III.

Metaphyſica ſuperat certitudine alias ſcientias. Eſt etiam communis cum Doctore.

Prob.ex Ariſt. [1] & Scoto. Quia ideò *ſcientia Metaphyſica meretur nomen ſapientiæ, quia verſatur circa cauſas, & principia*, & quidem circa *primas cauſas, & principia*: ſed ſcientia per primas cauſas, & principia eſt certior, ergo, &c. Prob. min. Nam prima principia, & cauſæ ſunt immediatiora, per ſe evidentiora, & certiora, juxta illud Philoſ. [2] *ſcientiarum illæ certiores ſunt, quæ maximè primorum ſunt, nam quæ ſunt ex paucioribus, certiores ſunt iis, quæ ex additione dicuntur.*

Prob.2. ex eodem Scoto. [3] Quantò ſcientiæ ſunt priores, tantò ſunt certiores: ſed ſcientiæ de maximè univerſalibus ſunt primæ naturaliter, ergo & certiores: ſed talis eſt Metaphyſica, ergo, &c.

Prob. 3. ex dictis. Nam Metaphyſica probat objecta, & principia aliarum, ergo, &c.

Objic.1. Quæ ſunt abſtractiora, ſunt obſcuriora, & in-

[1] *lib.1.metaph.qu. 2.num.18.*
[2] *ibid.nu.23.* [3] *ibid.nu.23.*

Digitized by Google

incertiora: ſed Metaphyſica eſt de abſtractioribus, ergo eſt obſcurior, & incertior. Prob. maj. Nam abſtractiora ſunt remotiora à ſenſibus: omnis enim cognitio incipit à ſenſu, ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Sunt obſcuriora ſecundum nos, propter dependentiam noſtram à ſenſibus, conc. maj. ſecundum ſe, & de ſe, neg. maj. & conſeq. Nam certitudo objecti penſanda eſt ab objecti neceſſitate, non ex intellectus infirmitate.

Inſt. Ergo ſaltem quoad nos Metaphyſica eſt incertior, & obſcurior Mathematica.

Reſp. neg. conſeq. Abſolutè loquendo Metaphyſica eſt quidem acquiſitu difficilior: ſed, ubi penetrantur ejus principia, fit certior, & evidentior propter certitudinem, & neceſſitatem objecti: difficultas enim venit ab intellectu noſtro, non ab objecto.

CONCLUSIO IV.

Metaphyſica eſt aptior aliis ad docendum. Ita communiter cum Scoto, & Philoſopho. [1]

Prob. ex iiſdem, [2] & ex dictis. Nam 1. aliæ ſcientiæ in ſuis principiis ab iſta plurimum dependent, & habent objecta minùs univerſalia, & minùs prima, ergo eſt aptior ad docendum, ſeu meliùs docet. 2. Poteſt de omnibus diſcurrere, ſaltem in generali, aliæ verò limitata habent objecta. 3. Denique aliæ ſcientiæ non attingunt ſua objecta uſque ad ultima, & ſuprema prædicata, verbi gratia ad prædicatum *ſubſtantiæ*, *entis*, *veri*, &c. hæc enim ſpectant ad Metaphyſicam, ergo, &c.

Objic. 1. Illa eſt aptior ad docendum, quæ meliùs demonſtrat: ſed ſcientiæ particulares meliùs demonſtrant, ergo, &c. Prob. min. Demonſtratio eſt magis ſcientifica, quæ procedit ex magis propriis principiis: ſed demonſtrationes ſcientiarum particularium ſunt ex magis propriis principiis, ergo, &c. Prob. min. Metaphyſica demonſtrat per principia univerſalia, quæ dicimus dignitates, ergo reliquæ demonſtrant ex magis propriis.

Reſp. neg. min. 1. & 2. argum. & conſeq. 3. Nam principia Metaphyſicæ tàm ſunt illi propria, quàm prin-

ci-

[1] *ibid.* [2] *Scot. lib. metaph. qu. 1. fin.*

Digitized by Google

cipia aliarum ſint illis propria reſpectivè , & aliunde iſta accipiunt ſuam firmitatem , & evidētiam à principiis Metaphyſicæ, ut patet ex dictis : & iſta non ingrediuntur formaliter , & in ſubſtantia demonſtrationem aliarum , ſed virtualiter , fiuntque certiora , altiora , efficaciora , & magis à priori.

Objic. 2. Si eſſet aptior ad docendum, præmitteretur aliis : ſed non præmittitur , imò tradi ſolet poſt alias , maximè poſt Logicam , ergo , &c.

Reſp.neg.maj. maximè quoad Logicam. Nam Logica docet quoad modum, & formam, quia tradit inſtrumenta ſciendi , & docendi , non verò quoad materiam , & principia, per quæ fiunt demonſtrationes: hæc enim tradit Metaphyſica , & ab ea pendet Logica quoad hæc.

Quantum ad alias certum eſt , quòd ordine naturæ , & modo cognoſcendi diſtinctè objecta, hæc reliquas omnes debet præcedere: quia , ut diximus ex Doctore, [1] ſola per ſe cognoſcit diſtinctè objectum ſuum , & alias juvat ad certam cognitionem terminorum : ſed , ſervato ordine doctrinæ accommodato captui noſtro , aliæ priùs tradi ſolent à pleriſque : nam incipimus a ſenſibilioribus, & ſingularibus, tanquam nobis notioribus,ut aſcendamus ad abſtractiora , & univerſaliora , tanquam minùs nota : hæc tamen ratio non ſic convincit , quin , habita notitia Logices , tanquam inſtrumenti ſciendi omnia , quæ in ſingulis aliis Philoſophiæ partibus traduntur , ad Metaphyſicam ritè properaverimus , quia accepta ſemel notitia entis , & aliorum prædicatorum univerſalium , longè facilior , & ſecurior via eſt ad inferiora.

CONCLUSIO V.

M*Etaphyſica , propriè loquendo , non tradit aliis inſtrumenta ſciendi .* Videtur communis,& conformior Scoto.

Prob.1.ex Doct. [2] Quia *Logica docet modum ſciendi pro tanto quid eſt de ſyllogiſmo, vel de argumento, per quod habetur tantùm ſcientia*, ergo id non ſpectat ad Metaphyſicam. Ob eandem rationem *Logica* *dici-*

[1] *in* 1. *diſt.*3. *qu.*2.
[2] *qu.*1.*univ.num.*4. *&* *qu.*2. *nu.*2.

Digitized by Google

dicitur ſcientia communis, quia ejus ſubjectum cadit in uſum aliarum ſcientiarum, quia omnes ſcientiæ utuntur ſyllogiſmo.

Prob. 2. ex communi omnium conſenſu, qui munus illud reſervant Logicæ. Nec placet in hoc diutiùs decertare.

Objic. 1. Niſi traderet inſtrumẽta ſciendi, non eſſet aptior ad docendum: ſed hoc eſt contra nos, ergo, &c. Prob. maj. Illa enim aptitudo non poteſt aliunde venire, niſi ex traditione modi ſciendi.

Reſp. neg. maj. & antec. prob. Aptitudo major ad docendum tribuitur Metaphyſicæ, quia tradit principia prima, certiſſima, & evidentiſſima, quibus demonſtrationes nituntur.

Objic. 2. Logica non valet definire, dividere, nec argumentari de ſuo, ergo non tradit modum ſciendi. Prob. antec. Definitio pendet ex cognitione definiti: ſed hæc pendet ab aliis ſcientiis, ergo, &c.

Reſp. 1. neg. antec. Nam, ut diximus, Logica poteſt definire in propria materia, v. gr. ſyllogiſmum.

Reſp. 2. neg. conſeq. & diſt. maj. Materialiter, conc. maj. formaliter, & quoad regulas, & modum definiendi, neg. maj. & conſeq.

CONCLUSIO VI.

Metaphyſica inter alias ſcientias eſt maximè appetenda. Eſt communis cum Ariſt. & Scoto.

Prob. ex iiſdem. Quia *omnes homines naturaliter ſcire deſiderant*: unde, inquit Scotus, [1] *in principio hujus libri proponit Ariſtoteles hanc propoſitionem dignitatem, atque nobilitatem hujus ſcientiæ virtualiter continentem*: ſed ſcientia Metaphyſicæ eſt maximè ſcientia, ergo eam maximè deſiderant homines.

Prob. 2. ex iiſdem. [2] Nam Metaphyſica eſt finis omnium aliarum ſcientiarum, *non ordinatur ad aliquam aliam naturalem, tanquam ad finem*, ſed aliæ ad ipſam, ergo eſt maximè appetenda, & quidem propter ſe: unde Philoſophus ait, quòd *hæc ſola libera ſit; ſola namque hæc ſui cauſa,* inquit Doct. [3] *quia,*

[1] *lib. 1. metaph. c. 1. n. 1.* [2] *prol. in q. metaph. n. 8.*
[3] *lib. 1. metaph. cap. 1. num. 29.*

Digitized by Google

quia, cùm ſit circa altiſſimas cauſas, & circa cauſam finalem omnium, ut prædictum eſt (nam conſiderat finem omnium ultimum, ſcil. Deum, propter quem omnes aliæ ſcientiæ ad eam ordinantur tanquam ad finem) ideò hæc ſcientia eſt maximè gratia ſui ipſius.

CONCLUSIO VII.

M*Etaphyſica cæteris omnibus ſcientiis imperat ſpeculativo modo*. Eſt etiam communis.

Prob. Nam ex Ariſtotele, & Scoto [1] citatis, eſt aliarum finis, aliis præſcribit objectum, earum firmat principia, habet objectum univerſaliſſimum, & aliis omnibus ſuperius, &c. Et ſic iſta ſcientia prima eſt primatu dignitatis, quatenùs agit de ente immobili, & divino, & primatu communitatis, & univerſalitatis, quatenùs conſiderat de ente univerſaliter, inquantum ens. Unde *nec tali aliam nobiliorem exiſtimare oportet*, inquit Philoſophus, [2] quia iſta ſcientia eſt maximè divina, & maximè honoranda.

QUÆSTIO V.

An Metaphyſica ſit ſcientia, & qualis, an ſapientia.

Metaphyſica eſt habitus intellectualis, verſatur circa ens reale, ut ſic, ſive ut ens eſt, & inter diverſa nomina, & titulos honoris, quibus decoratur, illud eſt, quod dicitur *ſcientia*, & *Philoſophia* ſimpliciter, & per antonomaſiam: dicitur etiam *ſapientia*, & *prudentia*, quod cum ſcientia non videtur convenire. Non repeto definitiones, nec conditiones ſcientiæ, nec diſtinctionem *practicæ* à *ſpeculativa*: de his enim ſatis in Logica.

CONCLUSIO I.

M*Etaphyſica eſt verè, & propriè ſcientia, eaque ſpeculativa*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scot. [3] & Ariſt. qui ſemper eam vocant ſcien-

[1] *lib. 6. metaph. c. 10. n. 14.* [2] *l. 1. c. 1. q. 33.*
[3] *qu. 3. prol. 5. ad 1. & lib. 6. cap. 1.*

Digitized by Google

ſcientiam, & quidem ſpeculativam. Quod ſic probatur: *Omnis illa ſcientia, in qua quæritur ipſum ſcire propter ſeipſum, eſt ſpeculativa, non practica*: Metaphyſica eſt hujuſmodi, ergo, &c. Min. prob. Illa „ ſcientia, quæ quæritur ſolum propter fugam igno„ rantiæ, intendit ipſum ſcire propter ſe: ſed Me„ taphyſica eſt hujuſmodi, quia circa iſtam ſcien„ tiam, & alias ſpeculativas admirati cœperunt ho„ mines philoſophari: admirari autem oritur ex i„ gnorantia; philoſophati ſunt ergo homines pro„ pter fugam ignorantiæ, unde Ariſt. [1] dicit, quòd „ hæc ſcientia non ſit activa, id eſt practica.

Prob. 2. quoad 1. par. Ad ſcientiam veram requiritur, & ſufficit, quòd ſit cognitio certa, & evidens rei neceſſariæ, & quòd habeat objectum habens principia, & paſſiones, demonſtrabile per illas: ſed hæc habet Metaphyſica, ergo, &c. Prob. min. Ens eſt objectum Metaphyſicæ, & habet principia propria, ſaltem cognoſcendi, atque paſſiones verè demonſtrabiles tàm de ipſo, quàm de ſubſtantiis immaterialibus, quæ ſub ipſo continentur, & ad hanc ſcientiam pertinent, ergo, &c. Antec. quoad 1. par. patet ex dictis, quoad 2. verò patebit ex dicendis infra.

Confirm. Nam hæc eſt vera demonſtratio Metaphyſicalis: omne ens eſt unum, ſed ſubſtantia eſt ens, ergo eſt una, & ſic de aliis, de quibus patebit ex decurſu hujus tractatus.

Prob. 2. pars. Non enim eſt de objecto operabili, nec dirigit praxim, ſed eſt propter ſe ipſam, ut probavimus ex Scoto, atque ex omnium conſenſu ponitur inter ſpeculativas, ergo, &c.

Objic. 1. Metaphyſica non diſcurrit circa proprium objectum, ergo non eſt diſcurſiva, nec propriè ſcientia. Prob. antec. Ens, quod eſt objectum ejus, non habet cauſam, nec aliquid prius, per quod probetur, nec genus, nec differentiam, per quæ definiatur, ergo, &c.

Reſpondet Tataretus, non eſſe propriè ſcientiam ex ea parte, qua conſiderat ens in ſe, ſed tantùm impropriè, quatenus ſcientia dici poteſt cognitio certa, & clara, quæ habetur de propoſitionibus primis, & immediatis. Hæc reſponſio non placet omnibus, ideò Reſp.

[1] *ibid.*

Digitized by Google

Reſp. neg.conſeq. quoad utramque par. Nam, licèt non ſit diſcurſiva de ipſo ente à priori, nec habeat definitionem ejus rigoroſam, quia eſt quid ſimpliciſſimum, ſufficienter tamen cognoſcitur quidditas ejus, ut ea cognitione demonſtrentur paſſiones illius, & inde pariatur vera ſcientia.

Objic. 2. Dicitur *ſapientia*, & *prudentia*: ſed tales habitus non ſunt ſcientia, ergo nec Metaphyſica.

Reſp. neg.maj.quoad prudentiam propriè, & rigoroſè loquendo, ſed id dicitur per appropriationem quandam: quoad *ſapientiam*, conc. maj. neg.minor. Nam *ſapientia* eſt ſublimior ſcientia.

Objic. 3. cont. 2. par. Metaphyſica ordinatur ad mores componendos, ergo eſt practica: mores enim ſunt praxes. Prob.antec. Ordinatur ad ultimum finem, ſeu ſummum bonum cognoſcendum, & amandum, in quo eſt ſuprema felicitas, ergo, &c.

Reſp.neg.antec.& diſt.prob. Ad ſummum bonum cognoſcendum ſpeculativè, conc. practicè, neg. niſi valdè per accidens.

Inſtab. Non poteſt docere, quòd Deus ſit ſummum bonum, niſi ut ſummè ametur, & ad id inclinet, ergo dirigit actus practicos.

Reſp. diſt. antec. Virtualiter, & remotè, conc.antec. formaliter, & proximè, neg.antec. & conſeq. Nam in hoc ſyllogiſmo: *ſummum bonum eſt amandum*: *ſed Deus eſt ſummum bonum, ergo eſt amandus*, major eſt practica, & pertinet ad ſcientiam moralem, minor verò eſt ſpeculativa, & pertinet ad Metaphyſicam.

Objic. 4. Metaphyſica eſt communis ad ſpeculativas, & practicas, ergo vel eſt ſimul ſpeculativa, & practica, vel neutra. Prob. conſeq. Nam, quod eſt commune, participat æqualiter de inferioribus, ergo, &c.

Reſp. diſt. antec. Eſt communis communitate applicationis, conc. antec. communitate prædicationis, neg. antec. & conſeq. Eſt communis aliis, quatenùs ſua objecta, & principia communicat aliis, ſicut Logica illis communicat ſua inſtrumenta, ſeu regulas definiendi, & argumentandi, non verò eſt communis prædicabiliter, ſicut v. gr. animal reſpectu hominis, & equi, ſed ab aliis differt ſpecie.

Digitized by Google

Inſt. Probat, & confirmat principia aliarum: ſed aliqua ex illis principiis ſunt practica, ergo, &c.

Reſp. Speculativo modo, conc. maj. practico modo, neg. maj. Nam, ut diximus ſuprà, explicat, & probat illa per applicationem ſuorum propriorum principiorum, quæ ſunt prorſus ſpeculativa.

Objic. 5. Metaphyſica id præſtat in ordine naturali, quod Theologia in ſupernaturali, ſed Theologia in ordine ſupernaturali eſt practica, & dirigit ad amorem Dei, ergo & Metaphyſica in ordine naturali.

Reſp. diſt. maj. Quantum ad cognitionem Dei naturalem formaliter, & proximè, ad amorem verò virtualiter, & remotè, conc. maj. ad amorem formaliter, & proximè, neg. major. propter rationem mox allatam.

CONCLUSIO II.

M*Etaphyſica poteſt etiam dici ſapientia*. Eſt etiam communis.

Prob. ex Ariſt. & Scoto [1] dicente, quòd *hæc ſcientia eſt ſapientia*, quod fit manifeſtum, *ſi aliquis numerando comprehendat communes exiſtimationes hominum, quas habemus de ſapiente*, &c. Nunc tradit conditiones in ſapientia acquiſita, & eas agnoſcit eſſe in Metaphyſica, ergo, ex Scoto, & Philoſopho, Metaphyſica eſt ſapientia. Prob. ant. 1. Eſt ſcientia univerſalis, & utcumque verſatur circa omnia, quia ſpeculatur ens, ut ſic, & circa communes illius proprietates; uno verbo, aliquo modo attingit res omnes. 2. Verſatur circa res difficillimas, quia circa res abſtractiſſimas, & à ſenſibus remotiſſimas. 3. Quia eſt cognitio valdè certa. 4. Eſt maximè idonea ad docendum. 5. Eſt maximè appetibilis propter ſe, tùm propter rationes ſuperiùs allatas, tùm propter Deum, qui eſt objectum ejus principale, tùm quia omnes aliæ coordinantur ad illam, eique ſubjiciuntur. 6. Denique alias ſcientias ordinat, iis præſcribit objecta, & confirmat earum principia: hæc omnia patent ex dictis, ergo habet omnes conditiones veræ ſapientiæ.

Prob. 2. Sapientia eſt altiſſimus mentis habitus circa

[1] *lib. 1. metaph. cap. 2. nu. 12.*

Digitized by Google

ca univerſaliſſima, difficillima, & certiſſima occupatus, omnium cauſas, & principia proferens, maximè propter ſe appetendus, cæteris ſcientiis imperans: ſed hæc omnia competunt Metaphyſicæ, ut patet, ergo eſt vera ſapientia.

Quæ circa hanc concluſionem objici poſſunt, jam propoſuimus, & diluimus ſuperiori quæſtione, & præcedenti concluſione.

QUÆSTIO VI.

An Metaphyſica ſubalternet ſibi alias ſcientias.

SUppoſitis iis, quæ diximus in Logica de vera ſubalternatione ſcientiarum, facilis eſt deciſio hujus quæſtionis: breviter repeto tres conditiones requiſitas ad veram, & propriam ſubalternationem. 1. Ut ſubalternans, & ſubalternata reſpiciant idem objectum. 2. Ut ſubalternata reſpiciat illud ſub aliqua ratione accidentali. 3. Ut ſubalternata habeat pro præmiſſa in ſuis demonſtrationibus aliquam propoſitionem, quam ipſamet non demonſtrat, ſed eam accipit ut demonſtratam in ſubalternante.

CONCLUSIO I.

M*Etaphyſica non eſt propriè ſubalternans reſpectu aliarum ſcientiarum, nec ulli ſubalternatur.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Doctore [1] aſſignante prædictas conditiones ſubalternationis: ſed illæ non conveniunt Metaphyſicæ reſpectu aliarum ſcientiarum, ergo non eſt ſubalternans, nec ſubalternata reſpectu ipſarum. Prob. min. Nam aliæ ſcientiæ habent ſua principia ſibi per ſe nota, & non dependentia à Metaphyſica, ergo, &c. Prob. antec. Quia nullæ concluſiones Metaphyſicæ ſunt principia phyſica, vel mathematica.

Prob. 2. de alia conditione. Nam objectum ſubalternatæ debet contineri ſub objecto ſubalternantis non tantùm in eſſe rei, ſed etiam in eſſe ſcibilis: ſed

[1] *lib. 1. metaph. q. 9. 7. & q. 3. prol. qu. 4.*

Digitized by Google

objecta Mathematicæ, & Phyſicæ non continentur ſub objecto Metaphyſicæ in eſſe ſcibilis, ſed ſolummodò in eſſe rei, ergo deeſt quoque illa prima conditio ſubalternationis rigoroſæ. Prob. min. Objecta illarum habent propriam definitionem, ergo & propriam ſcibilitatem.

Prob.3.de alia. Nam objectum ſubalternatæ debet addere ad ſubjectum ſubalternantis rationes accidentales, non qualitercumque, ſed ita, ut illa ratio afficiat immediatè objectum ſubalternantis: ſed id non accidit in Mathematica, & Phyſica, ergo, &c. Prob. min. *Naturalitas*, quæ eſt objectum formale Phyſicæ, & *Quantum*, quod eſt objectum formale Mathematicæ, non afficiunt immediatè *ens ut ſic*, ſed ens materiale, ergo, &c.

Quoad 2.par. concluſio non eget probatione: evidens enim eſt ex dictis, Metaphyſicam nulli ſcientiæ humanæ ſubalternari: nulla enim eſt, quæ habeat objectum, nec principia univerſaliora.

Dixi autem, eam *non eſſe propriè ſubalternantem*. Nam, ſi per ſubalternantem intelligeretur ſcientia, quæ habet objectum univerſaliſſimum, & principia, quæ juvare poſſunt alias, quæ habent objecta contenta ſub iſto per aliqualem dependentiam ab iſta, facilè dici poſſet, Metaphyſicam eſſe ſubalternantem, & illas eſſe ſubalternatas. Loquimur ergo de vera, & rigoroſa ſubalternatione: & hanc negamus inter Metaphyſicam, & Phyſicam, atque Mathematicam.

Objic. Principia aliarum ſcientiarum debent probari, & confirmari per Metaphyſicam, ergo aliæ ſcientiæ illi ſubalternantur. Prob. conſeq. Nam per veram ſubalternantem nihil aliud intelligitur, quàm ea, à qua ſic aliæ dependent, ut non ſint veræ ſcientiæ ſine illa: ſed abſque tali probatione, & confirmatione non ſunt veræ ſcientiæ, ergo, &c. Prob. min. Non enim ſunt planè evidentes, & certę, donec earum principia ſint confirmata, & probata, ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Debent probari per explicationem terminorum, vel per reductionem ad impoſſibile, conc. antec. per demonſtrationem à priori, ita ut illa principia ſint concluſiones demonſtratæ in Metaphyſica, neg. antec. & conſeq. loquendo de propria ſubalternatione: eſt autem vera tantùm de impropria, &, quam-

Digitized by Google

quamvis antec. verum eſſet de aliquibus paucis propoſitionibus, non ſequeretur vera ſubalternatio, abſolutè loquendo: nam ad hoc neceſſaria eſt talis dependentia in omnibus, aut ſaltem in maxima parte.

Quæri hìc poſſet de *unitate Metaphyſica*: ſed hoc facilè reſolvetur ex dictis in Logica de unitate ſcientiarum: nec in hac ampliùs re immorandum eſt.

DISPUTATIO II.

De Ente.

AB univerſalioribus ad particularia, à ſimplicioribus ad compoſita, ab objecti natura ad proprietates ejus deſcendimus. *Ens eſt* univerſaliſſimum, ſimpliciſſimum, & objectum Metaphyſicæ.

QUÆSTIO I.

Quid ſit ens: an habeat conceptum communem, & univocum enti reali, & rationis.

NOmen *entis* venit à verbo ſubſtantivo *ſum, es, eſt*, & ſumitur vel ſubſtantivè, vel participialiter. In hac ſecunda acceptione ſignificat primariò, & principaliter actualem exiſtentiam rei, & idem eſt ens in hoc ſenſu, atque *exiſtens*, ſeu *habens exiſtentiam*, ſubſtantivè autem ſignificat *eſſentiam*, ſeu quidditatem, ſeu *eſſe rei.*

Ens ſubſtantivè deſcribitur communiter *id, cui non repugnat realis exiſtentia*. Et ſufficiens eſt hæc deſcriptio, quantum licet definire rem adeò ſimplicem, ſed paulò rigoroſior eſt: reſtringitur enim ad ſolum *ens reale*, & excludit entia rationis: ſi verò diceretur *ens* eſſe id, *quod eſſe, vel intelligi poteſt*, minùs exacta eſſet hæc definitio, & extenderetur ad *ens rationis* æquè, ac ad reale. De ente rationis egimus in Logica, unde hìc de ſolo reali agemus, & quærimus 1. an nomen illud, *ens*, univocè, & verè conveniat enti reali, & rationis.

Digitized by Google

CONCLUSIO I.

Est negativa ex Scotiſtis, & aliis magis communiter.

Prob.1.ex Doct.[1] dicente, quòd *relationi reali, & rationis non eſt commune aliquid idem, quod eſt in uno rei, & in alio rationis*, &c. Unde ad marginem commentatores ponunt *enti reali, & rationis nihil commune*, ergo, ex Scoto, nomen *ens* non eſt univocum enti reali, & rationis.

Prob.2. Ad univocationem requiritur, ut ratio per nomen ſignificata ſit eadem æquè, ac nomen in univocatis: ſed ratio per nomen *entis* ſignificata non eſt eadem in ente reali, & rationis, ergo, &c. Prob.min. Ratio ſignificata per nomen *entis* eſt *non repugnantia* ad exiſtendum: ſed hæc non convenit enti rationis, quod potiùs habet repugnantiam ad exiſtendum, ergo, &c.

Prob.3. Vox, *homo*, non eſt univoca homini reali, & homini picto, ergo nec *ens* eſt univocum enti reali, & rationis. Prob. conſeq. Tàm, imò magis opponuntur ens reale, & rationis, quàm homo verus, & pictus, ergo, &c.

Prob.4. Nam illa ratio, ſeu conceptus communis enti reali, & rationis correſpondens nomini, *ens*, vel eſt à parte rei, & independens ab intellectu, vel per intellectum: ſi à parte rei, ergo non poteſt convenire enti rationis, cujus totum eſſe eſt ab intellectu: ſi per intellectum, ergo non poteſt convenire enti reali, cujus totum eſſe eſt independens ab intellectu.

Dices, præſcindere ab utroque.

Contra. Inter eſſe à parte rei, & non eſſe à parte rei, non datur medium, ergo non datur conceptus, ſeu ratio communis, & præſcindens ab ente reali, & rationis.

Contra 2. Quia non poteſt explicari, quæ ſit illa ratio communis, & indifferens inter utrumque, ergo gratis aſſeritur.

Dices, poſſe dici, quòd ſit intelligibilitas, ut ſic, nam ens rationis eſt intelligibile, ergo, &c.

Contrà. Si hæc ratio valeret, ens eſſet etiam univo-

[1] 1. *diſt.* 29. *qu.un.n.*1. *A.*

Digitized by Google

vocum negationibus, & privationibus ipſiuſmet *entis*: ſed falſum conſ.ergo & antec. Prob.ſeq.Nam illæ ſunt intelligibiles æquè, imò & meliùs, quàm entia rationis. Prob.etiam min. Nam negationes ſunt non entia realia: ſed implicat univocatio inter *ens*, & non *ens* reale, ergo, &c.

Dices 3. Illam rationem ſufficienter explicari dicendo, quòd *ens*, ut ſic, ſit potens exiſtere, præſcindendo ab exiſtere realitèr, vel intentionaliter.

Contra. Nam in omnium ſenſu potens exiſtere, ſemper intelligitur de exiſtentia reali, ergo, &c.

Objic. 1. Ens reale, & rationis participat eaſdem proprietates *entis*, ergo & eſſentiam quoad gradus *entis*. Prob. antec. Intelligibilitas eſt proprietas entis: ſed intelligibilitas participatur ab utroque, ergo & ratio entis.

Reſp. neg. antec. & diſt. maj. prob. Intelligibilitas motiva, conc. maj. & diſt. pariter min. intelligibilitas terminativa, ſecundaria, & indirecta, conc. min. imò convenit etiam non enti, & privationibus, & negationibus motiva, neg. min. Nam, ſicut ens rationis non habet verum eſſe, ita nec veras proprietates, ſed ſimilitudinarias, nec intelligibile eſt per ſe, ſed indirectè per ſpecies alienas, ſcil. entis realis, ut diximus in Logica.

Objic.2. Ens reale eſt terminus complexus duo ſignificans (idem eſt de ente rationis) ergo in utroque ſunt duo conceptus tàm objectivi, quàm formales, ergo & duæ formalitates, quarum una eſt communis utrique, per quam conveniunt: alia particularis, per quam differunt: prima ſignificatur per nomen *ens*, ergo, &c.

Reſp. diſt.antec. Complexus materialiter, & quoad vocem, conc. antec. formaliter, & quoad ſignificationem, neg.antec. Nam *reale* additur tantùm ad tollendam æquivocationem, non autem ad exprimendam ullam novam formalitatem, *ens* abſolutè, ac ſolitariè ſumptum idem ſignificat, atque *ens reale*: ſicut *homo* abſolutè, & ſolitariè ſumptus ſignificat *animal rationale*, & ſi additur *homo verus*, id fiet, non ad ſignificandam in eo novam formalitatem, ſed ad majorem explicationem, & tollendam æquivocationem.

Inſt. Id, per quod *ens reale* differt à *fictitio*, eſt quid ſuperadditum *enti, ut ſic*, ſeu ſimpliciſſimo conceptui *entis*, ergo iſte ſimpliciſſimus conceptus entis eſt quid commune reali, ac *fictitio*.

Reſpondeo neg. antec. Nam ens ipſomet nomine, ſicut conceptu ſimpliciſſimo *entis*, per ſe differt à *non ente*, & fictitio: ſicut homo per ſe, & abſque ullo addito intrinſeco differt *ab homine picto*, vel *non homine*.

Objic. 3. Poſſem eſſe certus de re aliqua, quòd eſſet *ens*, & incertus, an eſſet *reale*, vel *rationis*, ergo præſcindi poteſt aliqua ratio communis ab utroque: ſed illa ratio ſignificaretur per *ens*, ergo *ens* eſt univocum utrique.

Reſp. diſt. antec. Certus, & incertus per conceptum confuſum, conc. antec. per conceptum diſtinctum, & determinatum, neg. antec. & conſeq. Nam conceptus confuſus, & indeterminatus non eſt ſufficiens ad univocationem: oportet enim, ut illa una ratio ſit conceptibilis determinatè, & diſtinctè abſque differentiis contrahentibus. Reſtat igitur, nomen entis eſſe æquivocum enti reali, & rationis.

CONCLUSIO II.

E*Ns non eſt univocum poſitivo, & negativo, vel privativo*. Eſt communior cum Doctore.

Prob. ex eodem [1] dicente, quòd eſſe ſub privatione non eſt *taliter*, ſeu *entiter* ſe habere, *quia privativo non eſt aliqua entitas*, ergo ens non convenit univocè enti poſitivo, & negativo. Prob. conſeq. Nam, ex Scoto, privatio non eſt *ens*, ſeu entitas, ergo nomen *entis* non convenit univocè privationi.

Prob. 2. Ratio illa, quæ eſt communis poſitivo, & negativo, eſt aliquid, vel nihil; ſi nihil, ergo non convenit enti poſitivo, ſi aliquid, ergo non convenit negativo. Prob. hæc conſeq. Nam, ex omnium ſenſu, aliquid ſumitur ſemper pro aliquo poſitivo: ſed illud *ens* abſtractum, & univocum eſſet aliquid, & conveniret negationi, ergo negatio includeret quid poſitivum in ſua eſſentia.

Objic. 1. Ariſtot. ponit analogiam *entis* ad corruptio-

[1] 4. *diſt*. 11. *qu*. 1.

Digitized by Google

ptiones, & privationes, ergo *ens* habet aliquam rationem communem poſitivo, & privativo. Prob. conſeq. Nam, ex dictis in Logica, analoga ſunt ea, quorum nomen eſt idem, ratio verò partim eadem, partim diverſa.

Reſp. neg. conſeq. & antec. probat. Nam in Logica diximus, non dari talia analoga, niſi quatenùs ratio, quæ eſt propriè in uno analogorum, dicitur de alio per attributionem, vel proportionem, & ſic *entia* rationis, negativa, & privativa dicuntur *entia* per aliquam attributionem, vel proportionem ad vera *entia*, non tamen ſunt vera *entia*.

Objic. 2. Quidquid eſt à parte rei, poteſt vocari *ens*, & participat de ratione *entis*: ſed negationes, & privationes ſunt à parte rei, ergo participant rationem *entis*, & quidem realis.

Reſp. diſt. maj. Quidquid eſt poſitivè, ſeu per poſitivam exiſtentiam, conc. maj. quidquid eſt negativè, ſeu quod negat exiſtentiam, eſt ens reale, neg. maj. & diſt. minor. negationes ſunt à parte rei, negativè per negationes exiſtentiæ, ſeu *entis* realis, conc. min. poſitivè, neg. min. Senſus verus hujus oppoſitionis, & ſimilium: *tenebræ ſunt in aere*, & *lux eſt in aere*. Negatio lucis eſt abſentia, ſeu non exiſtentia *entis* realis, qualis eſt lux.

Inſtab. Illa negatio lucis eſt vera, ergo eſt aliquo modo *ens*. Prob. conſeq. *Verum*, & *ens* convertuntur, ergo, ſi eſt vera, eſt etiam ens.

Reſpond. diſt. antec. Eſt vera Logicè, [1] ſeu quoad connexionem prædicati cum ſubjecto, ſeu conformitatem enunciationis cum objecto, conc. antec. Metaphyſicè, ſeu quoad realem aliquam exiſtentiam entitatis enunciatæ, neg. antec. Senſus ergo talis propoſitionis eſt, quòd verè lux abeſt ab aere, & veritas non cadit in negationem, quaſi proprietas ejus, ſed in totam enunciationem, quæ exprimit ſtatum aeris, qualis eſt.

Objic. 3. Album, & non album realiter opponuntur contradictoriè, ergo extrema ſunt realia, ergo negatio albedinis, quæ eſt unum extremorum, eſt quid reale, ergo participat aliquam rationem *entis*.

Reſpondeo diſtin. 1. conſeq. Extrema ſunt realia rea-

[1] *Scot. in 1 diſt. 30. qu. 2. ad alind, n. 19.*

Digitized by Google

realitate non ficta per intellectum, conc. conſequen. realitate poſitiva, aut ſaltem entitativa, neg. conſeq. utramque. Aliud enim eſt, quod unum membrum oppoſitionis ſit *non albedo*, id eſt negatio illius entis, & quod independenter ab intellectus fictione illud *ens* abſit à ſubjecto, quod eſt verum, & aliud, quod illa negatio illius *entis* ſit quid *entis* intrinſecè, & hoc eſt falſum.

QUÆSTIO II.

An detur unus conceptus entis.

Conceptus alius eſt *formalis*, alius *objectivus*: *formalis* eſt ipſamet cognitio, ſeu repræſentatio rei, *objectivus* eſt ipſa res cognita: primus conceptus inhæret potentiæ cognoſcitivæ, & convenit cum ſpecie expreſſa, ſecundus non ſemper inhæret, & ſe tenet ex parte ſpeciei impreſſæ.

Porrò *ens* dividi ſolet 1. in *ſubſtantiale*, & *accidentale*, 2. in *infinitum*, ſeu *increatum*, & *finitum*, ſeu *creatum*. Creatum ſubdividitur in *prædicamenta*. Hoc poſito, quæritur, an detur aliquis conceptus formalis, vel objectivus *entis*, qui omnibus illis inferioribus conveniat. Pro conceptu *formali* ſufficit, quòd intellectus poſſit formare aliquem conceptum, ſeu cognitionem de illo gradu ſupremo, & ſimpliciſſimo *entis*, qui conceptus non attingat explicitè, ſeu diſtinctè ullum genus, vel ſpeciem ejus: ſed de omnibus generibus, & ſpeciebus ſit prædicabilis verè prædicatione, quæ illis conveniat. Pro *objectivo* autem neceſſe eſt, ut ex parte rerum omnium, ſeu generum, ac ſpecierum, & individuorum *entis* ſit aliqua formalitas, quæ illi uni conceptui formali conveniat.

CONCLUSIO I.

Datur unus conceptus entis tàm formalis, quàm objectivus.

Prob. ex Doct. [1] poſt Ariſtot. *Quæ prima ſunt ad intelligendum, ſunt communiſſima, quia ſemper communius priùs intelligitur, & non eſt proceſſus in infi-*

[1] *lib. 4. metaph. qu. 1. nu. 5.*

Digitized by Google

infinitum in intelligibilibus, *ergo illud, quod eſt primum intelligibile ſimpliciter*, *eſt communiſſimum ſimpliciter: ſed nullum eſt tale*, *niſi ens*, *quia nullum decem generum*, *ſeu prædicamentorum eſt communiſſimum ſimpliciter*, quia nullum prædicatur de *genere*, ergo ens poteſt ſubire unum conceptum communem. Item ex locis innumeris, quibus docet, ens eſſe univocum Deo, & creaturis, nec enim poſſet eſſe univocum Deo, & creaturis, niſi haberet unum conceptum ad minus formalem.

Prob. 2. ex eodem quoad 2. partem. [1] *Omnis intellectus certus de uno conceptu, & dubius de alio habet conceptum, de quo eſt certus, alium à conceptibus, de quibus eſt dubius*, id eſt, quandò habemus conceptum formalem certum, & alios incertos de aliqua re, ille, qui eſt certus, diſtinguitur ab incertis, ſed poſſum eſſe certus de aliquo, quod ſit ens, & incertus, an ſit finitum, vel infinitum, creatum, vel increatum, & ſic de reliquis, ergo conceptus ille formalis entis eſt unus diſtinctus à conceptibus formalibus finiti, vel infiniti, & aliorum entium. Maj. patet. Nam certitudo, & incertitudo ſunt contradictoria in eodem. Prob. min. Nam philoſophi ethnici certi erant de Igne, aut Sole, quem adorabant, quod erat ens, & non erant certi, quòd erat ens creatum, vel increatum, ergo, &c. Prob. ant. Non enim certi erant, quòd Sol, vel Ignis, quem adorabant, erat ens increatum, quia certi fuiſſent de falſo, quod repugnat, nam falſum non eſt ſcibile: non etiam certi erant, quòd eſſet creatum, alioqui non adoraſſent, ut Deum, ergo, &c.

Confir. ex eodem. Nam videns, philoſophos illos ſic diſcordare, etiam dubitaret de illo ente, v.g. Sole, an eſſet creatum, aut increatum; & quandò per rationes certificaretur, quòd eſſet creatum, non admitteret conceptum priorem de ente, ſed confirmaret eum cum illo poſteriori, quo cognoſceret Solem eſſe creatum, ergo conceptus entis, ut ſic, præſcindit à conceptu creati, vel increati, & eſt indifferens ad utrunque.

Prob. 2. eadem pars. Experimur, nos, audita hac voce

[1] *In* 1. *d.* 3. *q.* 2. *n.* 6. *&* *q.* 8. *n.* 7. *Theorem.* 13. *n.* 7. *&* *q.* 21. *de anima*.

voce *ens*, nihil aliud intelligere, niſi entitates, ſeu rationem aliquam illi reſpondentem præciſam à ſubſtantia, & accidente, à Deo, & creaturis. Nec enim difficilius eſt eam ſic abſtractam concipere intellectu, quàm ſignificare voce, ergo datur conceptus unus formalis entis, & ab omnibus inferioribus præſcindens.

Prob. 2. p. Nam illi conceptui formali correſpondet in rebus aliqua formalitas, ſeu ratio, quæ eſt ſic conceptibilis in abſtracto: ſed illa ratio, ſeu formalitas eſt conceptus objectivus entis, ergo datur unus conceptus objectivus entis. Prob. maj. Omnis intellectio eſt de aliquo objecto: ſed conceptus formalis entis, ut ſic, eſt intellectio ejuſdem entis, ergo eſt de aliquo objecto, ergo datur in rebus ratio correſpondens conceptui formali entis, ut ſic.

Confirm. 1. Nam, ſi conceptus formalis entis eſt unus, & indifferens ad inferiora, ergo importat rationem aliquam ſimiliter communem, & indifferentem, quæ poſſit omnibus applicari: ſed illa ratio eſt conceptus objectivus, ergo, &c.

Confir. 2. Conceptus formalis ſpecificatur ab objecto, & ab illo accipit unitatem: ſed conceptus formalis eſt unus, ut probatum eſt, & admittunt ferè omnes adverſarii, ergo & objectivus. Prob. maj. Conceptus formalis habet tantùm ſuum eſſe repræſentativum ab objecto repræſentabili, ergo ab eo accipit ſpeciem, & unitatem.

Dices, unitatem illam in conceptu objectivo eſſe extrinſecam, & ab unitate conceptus formalis præciſam.

Contra. Conceptus formalis eſt unus in repræſentando æquè, ac in eſſendo: ſed non eſſet unus in repræſentando, niſi objectum repræſentatum eſſet in ſe unum, qualiter repræſentatur, ergo illa unitas eſt intrinſeca objecto. Prob. maj. Nam dicitur unus, quia repræſentat unum objectum; nec enim ipſe actus poteſt plura, ut plura repræſentare, ut ſuppono ex dicendis in libris de anima, ergo, &c.

Alii reſpondent, conceptum objectivum entis non eſſe unum adæquatè, ut ab inferioribus præciſum, ſed tantùm inadæquatè, quatenus non præciſus, & ſeparatus à conceptibus ſuorum inferiorum, v. g. ſub-

Digitized by Google

ſtantiæ, accidentis, &c. Sed ſi nihil aliud volunt, non multum à nobis diſſident, nec enim volumus, conceptum objectivum, ſeu formalitatem entis eſſe quid adæquatè præciſum: modò ſit conceptibile ſecundum rationem illam entis, ſecundum quam participatur à ſuis inferioribus, & de illis verè prædicatur, de quo iterùm dicemus infrà.

Prob. 2. eadem pars ex eodem Scoto. [1] Quandò plura inter ſe conveniunt, & differunt, poteſt intellectus concipere illud, in quo conveniunt, ſeorſim ab eo, in quo differunt: ſed Deus, & Creatura, ſubſtantia, & accidens conveniunt in ratione eſſendi, ergo illa ratio poteſt concipi ſine illorum differentiis. Patet ma. Nam, ſi nulla eſſet diſtinctio inter ea, per quæ conveniunt, & ea, per quæ differunt, intellectus non conciperet niſi vel convenientiam, vel differentiam, ſi ergo diſcernit eorum diſtinctionem, poteſt ea ſeorſim conſiderare. Prob. mi. Nam Deus, & Creatura, ſubſtantia, & accidens magis inter ſe conveniunt, quàm ens, & nihil conveniunt in gradu entis, ergo, &c.

Prob. 3. Ens contrahitur ad Deum, & Creaturam per infinitatem, & per finitatem, & ad ſubſtantiam, & accidens per perſeitatem, & inhærentiam, ergo ens, quod contrahitur, eſt conceptibile ſeorſim à differentiis contrahentibus: ſed quod contrahitur, eſt commune illis generibus, & ſpeciebus, quæ per differentias illas contrahentes conſtituuntur, ergo, &c.

Prob. deniquè ex dicendis de univocatione entis. Nam ſi probaverimus, ens eſſe univocum Deo, & Creaturis, ſubſtantiæ, & accidenti, non poterit negari, quin ratio ſignificata illo nomine ſit eadem in illis, & per conſequens conceptibilis uno conceptu, tàm objectivo, quàm formali.

Objic. 1. contra 1. p. Ens dicitur de Deo, & creatura æquivocè, aut ſaltem analogicè, ergo conceptus ejus formalis non eſt unus, ſed involvit neceſſariò plura, ſeu inferiora ejus.

Reſp. neg. ant. Eſt enim univocum.

Objic. 2. contra utramque partem. Conceptus entis imbibitur per omnimodam identitatem cum inferio-

[1] *In* 1. *d.* 8 *q.* 3.

Digitized by Google

ferioribus : ſed conceptus formalis , nec objectivus inferiorum non eſt unus , ergo , &c.

Reſp. neg. antec. de quo etiam infrà patebit , ens diſtingui formaliter à ſuis differentiis contrahentibus.

Objic. 3. Si entis conceptus eſſet unus objectivè, decem ſuprema genera prædicamentorum non eſſent primò diverſa : ſed conſeq. eſt falſum , & contra omnes , ergo & ant. Prob. ſeq. Convenirent enim in ratione entis , quæ eſt prima in ſingulis , ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Non eſſent primò diverſa , quatenus convenirent in aliquo, quod eſt illis commune, & ſuperius, conc. maj. quatenus ſingula ſunt ſuprema in ſuo ordine, neg. maj. & min. Nam , quandò dicimus, illa genera eſſe primò diverſa, hoc intelligitur, quatenus in ſua coordinatione ſunt ſuprema capita rerum , quæ ſub illis collocantur ; non autem quia nullam habent ſupra ſe rationem , in qua conveniant.

Inſt. 1. Ille conceptus communis eſſet vel abſolutus, vel relativus , quia inter abſolutum , & relativum non datur medium : ſed neutrum dici poteſt , ergo nec illud . Prob. mi. Nam, ſi eſſet abſolutus, non conveniret entibus relativis ; ſi verò eſſet relativus , non conveniret abſolutis , & ſic non eſſet communis omnibus, ergo, &c.

Reſp. Retorqueo argumentum contra illos, qui admittunt conceptum formalem , & negant objectivum , nam æquè concludit de utroque ; & ſimiliter contra eos , qui non negant unitatem conceptus ſubſtantiæ , ut ſic, reſpectu materialis , & ſpiritualis : nam , cùm non magis detur medium inter materiale, & ſpirituale (quia involvunt contradictionem) quàm inter abſolutum , & relativum , idem fieret argumentum .

Reſp. 2. ad maj. quòd conceptus entis non eſt poſitivè, & formaliter abſolutus, nec relativus, ſed præcisè *ens* , & utrunque permiſſivè, ſeu potentialiter ; ſicut animal præcisè , & formaliter non eſt rationale , nec irrationale , ſed eſt animal , & utrunque permiſſivè .

Objic. 4. Si conceptus entis eſſet unus, & cõmunis, nõ eſſet tranſcendens ; ſed eſt tranſcendens, ergo non eſt com-

Digitized by Google

communis. Pr.maj.Omnis gradus tranſcendens neceſſariò, & eſſentialiter imbibitur in ſuis inferioribus, ergo non poteſt eſse communis, ideſt unus in omnibus.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. Ens enim non imbibitur in conceptu objectivo differentiarum, vel mediorum, quibus contrahitur, niſi identicè, ſeu realiter, non autem formaliter, ut dicemus; quòd ſi per tranſcendentiam vellent adverſarii intelligere incluſionem eſsentialem, atque formalem in omnibus differentiis entis, minor illa eſset pura petitio principii, & tàm facilè negaretur, quàm aſſeritur.

Inſt. Ens eſt de eſſentia differentiarum, quibus contrahitur, ergo non præſcindit ab illis.

Reſp. diſt.ant. Eſt de eſsentia identicè, & realiter, quatenus illis identificatur in ordine ad conſtituendam unam eſsentiam, conc. ant. quatenus includitur in earum formali conceptu, & quidditate, neg. ant. Aliæ objectiones, quas faciunt adverſarii contra hanc ſecundam partem, ſolventur quæſtione ſequenti.

CONCLUSIO II.

Unitas illa entis conceptus tàm illi convenit reſpectu Dei, & creaturæ, quàm ſubſtantiæ, & accidentis. Eſt contra Thomiſtas, & alios.

Prob. 1. ex Doct. [1] Omnis perfectio ſimpliciter creaturæ eſt in Deo, ſublatis imperfectionibus creaturę: ſed ratio entis eſt perfectio ſimpliciter, ut eſt in creatura, ergo & in Deo. Maj. patet. Nam, ſi aliqua perfectio ſimpliciter creaturæ non eſset in Deo formaliter, ille non eſset ſummè, nec infinitè perfectus, deeſset enim illi aliqua perfectio poſſibilis. Prob. min. Perfectio ſimpliciter ea eſt, quam melius eſt ineſse, quàm ullum aliud contrarium (ex Doctore poſt D. Anſelmum)[2] ſed ratio entis talis eſt: nec enim habet contrarium, quod melius ſit, ergo, &c.

Dices, illam perfectionem entis in Deo eſse eſsentialiter diverſam ab ea, quæ eſt in creaturis; nec aliam

[1] *Scotus ubi ſupra, & in* 1. *d.* 8. *q.*3. *n.* 16.
[2] *Quodlib.* 5.

Digitized by Google

aliam habere unitatem, vel ſimilitudinem, quàm proportionis, ergo non eſt verè una in Deo, & creatura.

Contra. Si eſset eſsentialiter diverſa, non poſset habere conceptum formalem, qui ſit unus, ſed conſeq. eſt contra adverſarios, ergo & ant. Prob. ſeq. Nam, quę ſunt eſſentialiter diverſa, non poſſunt concipi uno conceptu formali, qui ſit verus, & illi conveniat, ergo ſi ratio entis in creatura, & in Deo eſſet eſſentialiter diverſa, non haberet in eis unum conceptum formalem etiam cum illa proportione, nam proportio ipſa plus eſſet diſſimilitudinis, quàm ſimilitudinis, & ſic potiùs impedit, quàm juvat ad unitatem conceptus formalis.

Dixi autem, *ablatis imperfectionibus.* Nam in creaturis ratio, ſeu gradus entis unitur imitationi, & dependentiæ, & aliis defectibus, à quibus depuranda eſt, & præſcindenda, ut ſit communis, & ab illis de facto defectibus pręſcindit formaliter, & objectivè, ut mox dicemus.

Prob. 2. Iiſdem textibus, & argumentis Scoti, [1] quæ adduximus pro præcedenti, nam æquè concludunt de Deo, & creatura, ac de ſubſtantia, & accidente, ut diſcurrenti facilè patebit.

Prob. 3. ex eod. [2] *Nunquam aliqua comparantur, ut menſura ad menſurantem*, vel exceſſa ad excedens, niſi in aliquo uno conveniant, *& ideò omnis comparatio eſt in aliquali re univoca*: ſed Deus, & Creatura verè, & propriè comparantur in ratione entis, ergo ratio entis eſt aliquo modo una in utroque extremo. Maj. eſt Ariſtotelis, & ratio eſt clara. Nam loquimur de comparatione vera, & propria, ad quam requiritur in comparatis participatio ejuſdem formæ, ergo, &c. Min. etiam patet. Nam, ſi hæc comparatio eſset tantùm per aliquam proportionem, creatura, v.g. aut Deus non diceretur ſimpliciter ens, ſed tantùm *ſecundum quid*: ſed conſeq. eſt falſum, ergo, &c. Prob. maj. Quod eſt tale per proportionem, non dicitur tale *abſolutè*, ſed *ſecundum quid*, v.g. riſus non dicitur ſimpliciter de prato, ſicut de homine.

Dices. Sancti Patres non dicunt, Deum eſſe ſimpli-

[1] 1. *d. 8. q. 3. n. 16.* [2] *ibid. ſub E. n. 14.*

Digitized by Google

pliciter ens, *ſed ſuper ipſum ens eſſe*, inquit D. Damaſc. [1]non eſt verè ſubſtantia,ſed ultra ſubſtantiam, inquit Boetius,&c.[2]ergo Deus & Creatura non comparantur propriè, ſed per proportionem in ratione entis.

Contra: ex omnium conſenſu, Deus eſt propriè ens, & ſubſtantia, & hoc non impedit, quin ex ratione ſuâ diſtinctiva, & ſpecifica, *ſit ſuper ipſum ens, & ultra ſubſtantiam creatam*, propter divinitatem: ſic homo eſt animal ſicut leo, & equus, & eſt etiam ſuper equum, & leonem propter rationalitatem.

Prob. 4. Deus, & creatura conveniunt in hoc, quòd non ſunt nihil, ergo conveniunt in eo, quòd ſunt ens. Prob.conſeq. communi axiomate: *non plus tollit negatio, quàm ponit affirmatio*: ſed *nihil* tollit omne ens, ſive finitum, ſive infinitum, ergo *ens* ponit quodcunque ens tàm infinitum, quàm finitum.

Objic. 1. Tota ratio entis reperitur in Deo, ergo nequit eſſe quid ſuperius, ſeu commune Deo,& creaturæ. Patet conſeq. Quia ratio ſuperior eſt univerſalior, & ideò reperiri debet in ſingulis inferioribus, non verò tota in aliquo illorum. Prob. ant. Creatura eſt ens participativè à Deo, ergo tota ratio entis per ſe eſt in Deo ſolo, quia ipſe ſolus eſt per eſſentiam.

Reſp.diſt.ant.Tota ratio entis eſt in Deo abſolutè, & ita, ut etiam reperiatur in creatura, conc. ant. in Deo ſolo totaliter, & adæquatè, ita, ut non reperiatur etiam in creatura, neg. ant. & ſimiliter diſt. ant. prob. Creatura eſt ens participativè, ut creatura eſt, concedo ant. ex ratione præciſa entis, neg. ant. Nam ratio entis, quæ eſt in creatura præſcindit à dependentia, quæ eſt differentia contractiva entis ad Deum.

Inſt. 1. Ratio communis debet immediatè deſcendere in inferiora, ſed ratio entis non deſcendit immediatè in Deum, & creaturam, ergo non eſt una, ſeu communis Deo, & creaturæ. Prob. mi. Non deſcendit in creaturam, niſi dependenter à Deo, ergo, &c.

Reſp. neg. abſolutè maj. Alioqui ratio entis non eſſet

[1] *L.1.de fide 1.4.* [2] *L. de Trinit.*

Digitized by Google

eſſet una, & communis ſubſtantiæ, & accidenti quia accidens non habet eſſe ſuo modo, niſi dependenter à ſubſtantia: eſt enim ens entis, uno verbo, inæqualitas, deſcenſus, & mediatio, vel immediatio non tollit unitatem gradus communis, provenit enim à ratione propria talis, vel talis entis.

Inſt. 2. Ens deſcendit ad Deum per infinitatem, priuſquã ad creaturam per finitatem, ergo totaliter, & adæquatè eſt in Deo. Prob. conſeq. Infinitas entis abſorbet totum ens, ita ut nihil ſit extra ipſum: ſi enim aliquid eſſet extra ipſum, non eſſet infinitas, ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Deſcendit prius per infinitatem, phyſicè loquendo, & in ordine cauſarum, conc. ant. Metaphyſicè, & Logicè, & ut ens eſt, neg. ant. Nam ens, ut ens, Metaphyſicè loquendo, immediatè reſpicit finitum, & infinitum, quamvis de facto, & in ordine cauſalitatis, & ex ratione particulari Dei, & creaturæ ſit totum in Deo per Eſſentiam, & in creatura non ſit, niſi dependenter à Deo, & participativè.

Objic. 2. Ratio communis debet contrahi ad inferiora per differentias oppoſitas: ſed ens non ſic contrahitur ad Deum, & creaturam, ergo non eſt commune utrique. Min. patet. Nam totum ens eſt in Deo, & per Deum derivatur in creaturam. Prob. maj. Niſi contraheretur per differentias oppoſitas, illæ non eſſent ſimul natura, ſed una ſupponeret aliam, creatura ſupponeret Deum, à quo accepit eſſe, & in eo eſt eminenter, ergo, &c.

Reſp. neg. min. & rationes ejus. Oppoſitio enim non impedit illam dependentiam, & continentiam eminentialem unius in altero, v. g. vivens immediatè dividitur in ſenſitivum, vegetativum, & intellectivum, ſed intellectivum continet eminenter duo alia membra.

Inſtabis. Eadem ratio entis prædicaretur indifferenter de Deo, & creatura: ſed hoc eſt falſum, ergo non eſt communis utrique. Prob. maj. Eſſet eadem in utroque, ergo, &c. Prob. min. Nihil participatum, & contingens poteſt prædicari de Deo, ſed ratio entis, quæ eſt in creatura, eſt contin-
gens,

Digitized by Google

gens, & participata, ergo, &c.

Reſp. neg. min. primi argumenti, & diſt. min. ſecundi. Ratio entis, quæ eſt in creatura formaliter, & reduplicativè, ut eſt in creatura, conc. min. ſpecificativè, & in ſtatu præciſionis, neg. min. non loquimur de ente creato (eſt enim contingens) ſed præſcindendo à differentiis creati, & increati.

Inſtabis 2. Ratio communiſſima entis in creatura eſt eſſentialiter participata, & in Deo eſt imparticipata, ergo non poteſt præſcindere ab utroque. Prob. ant. Illa ratio communis eſt creata, vel increata, participata, vel imparticipata; neque enim datur medium, ergo non præſcindit, ergo, &c.

Reſpondeo diſt. ant. formaliter, & reduplicativè, prout in creatura, & Deo, conc. ant. ſpecificativè, & ſecundum præciſam rationem entis, neg. ant. Nam ſecundum illam rationem ab utroque præſcindit.

Objic. 3. cum Thomiſtis. Aliquid eſſet prius, & ſimplicius Deo: ſed hoc eſt abſurdum, & falſum, ergo ratio entis non præſcindit à Deo. Probatur ſeq. Quod eſt prius Deo, eſt ſimplicius Deo: ſed ens, ut ſic præciſum, & commune, eſſet ſuperius Deo, ergo, &c.

Reſpondeo diſt. maj. Simplicius, & prius ſimplicitate, & prioritate Logica, vel Metaphyſica, conc. maj. & neg. min. ſimplicitate, aut prioritate reali, ac phyſica, nego maj. (idem eſt de ſuperioritate) Deus non eſt adeò ſimplex Logicè, vel Metaphyſicè, quin reſolvi poſſit in plures conceptus, quorum alii aliis communiores ſunt, ut conceptus *entis*, & *infiniti*, aut *independentis*, &c.

Inſtabis. Ergo eſſet compoſitio in Deo: ſed hoc eſt inconveniens, ergo, &c. Probatur ſeq. Ea ratione eſt compoſitio, qua tollitur ſimplicitas: ſed tollitur ſimplicitas Logica, & Metaphyſica, ergo, &c.

Reſpondeo, nec Thomiſtas, nec alios poſſe negare compoſitionem Logicam in Deo; quia admittunt unitatem conceptus formalis entis in Deo, & creatura. Quoad Metaphyſicam verò dicemus ſuo loco; interim diſt. ſubſumptum; compoſitio im-

pro-

propria, quæ conſiſtit in pluralitate conceptuum objectivorum, quorum unus ſe habeat, ut determinabilis, alter ut determinativus, conc. ſubſumptum quorum alter ſe habeat propriè, ut actus, alter, ut potentia, neg. ſubſumptum, & ſic diſt. min. & rationes ejus.

Reliquæ objectiones, ac difficultates, ſicut & præcedentes, magis patebunt ex ſequentibus.

QUÆSTIO III.

De Præciſione entis à ſuis inferioribus.

Ex dictis his duabus quæſtionibus conſtat, quòd ratio, ſeu conceptus entis aliquo modo diſtinguatur, & præſcindat à ſuis differentiis, quibus contrahitur ad ſua inferiora, ſc. ad Deum, & creaturam, ſubſtantiam, & accidens. Reſtat videndum, an illa præciſio ſit realis, an rationis, ſeu per intellectum, adeò ut à parte rei, & in ſuo conceptu, ſeu ratione formali nihil dicat in Deo diſtinctum ab infinitate; nec in ſubſtantia diſtinctum à perſeitate.

Repete, quæ diximus de præciſione: hanc definivimus ſeparationem unius formalitatis ab alia, & diximus, illam eſſe, vel *Logicam*, vel *Phyſicam*, vel *Metaphyſicam*. *Logica* eſt ea, qua rem, alioqui verè unam, à ſeipſa diſtinguimus per intellectum: & hoc vel ſine fundamento ullo ex parte objecti, & eſt purum ens rationis: vel cum fundamento, & eſt propriè illa, quam Logicam dicimus, ut cùm animalitatem in homine concipimus ſine rationalitate; uno verbo præciſio Logica attenditur penes actum intellectus, quo unum concipimus ſine alio, & ideò dicitur præciſio formalis.

Præciſio *phyſica* eſt duorum ab invicem actualis, & realis ſeparatio, ut ſi abſcindas caput à corpore.

Metaphyſica eſt duarum formalitatum realiter inter ſe identificatarum, & inſeparabilium diſtinctio talis, ut non ſolùm poſſint concipi ſine ſe invicem, ſed etiam ex ſe ſint ita conceptibiles abſque ulla operatione intellectus eas diſtinguentis, ſed tales ſe illi repræſentent; & hæc eſt propriè *præciſio objecti-*

va

Digitized by Google

va realis, & coincidit cum diſtinctione formali ex natura rei, quam Scotiſtæ ſuſtinent, & de qua dicemus infrà.

Rursùs præciſio, alia *perfecta*, alia *imperfecta*: prima eſt, qua conceptus aliquis, ſeu una formalitas, unus gradus rei ſic ab alio abſtrahitur, ut ipſe in eo nullo modo reluceat nec explicitè, nec implicitè, ut animalitas à rationalitate; nam hæc non includitur ullo modo in conceptu, ſeu definitione animalitatis. *Imperfecta verò* eſt, quandò aliquis gradus, vel formalitas non ſic abſtrahitur ab alia, quin in ejus conceptu, ſeu definitione includatur, ſaltem implicitè, adeò ut non poſſit definiri, vel explicari diſtinctè natura unius ſine alterius etiam explicatione, aut definitione.

Advertenda eſt etiam diſtinctio inter differentiam, & modum intrinſecum. Hæc inter ſe conveniunt in eo, quòd ambo contrahunt gradus, ſeu naturas ſuperiores, & communes: ſed in hoc differunt, quòd modus non perficit naturam, quam determinat, & contrahit, nec facit cum ea compoſitionem, quia illa non ſe habet ad illum, ut vera potentia, ſeu tanquam perfectibilis, benè verò reſpectu differentiæ, quæ ſe habet ad illam, ut actus perfectivus, & ideò facit cum natura illa communi compoſitionem veram Metaphyſicam. Sed de his infrà ex profeſſo dicemus.

Aliqui etiam diſtinguunt inter Entitatem *objectivam*, & *ſubjectivam*. Entitas *ſubjectiva* dicitur de naturis communibus prædicamentalibus, quæ ſunt contrahibiles per veras differentias, cum quibus faciunt compoſitum metaphyſicum ex vero genere, & differentia: objectiva verò dicitur de natura communi, quæ conceptibilis eſt uno conceptu communi, ſed contrahi non poteſt, niſi per modos intrinſecos, cum quibus non facit unum compoſitum verum; talis eſt realitas entis reſpectu infinitatis, & finitatis, quæ ſunt modi ejus intrinſeci.

Denique alii diſtinguunt conceptum in *quidditativum*, & *quantitativum*. Primus prædicatur, *in quid*, de ſuis inferioribus, ut genera omnia; ſecundus, *in quale*, ut omnes differentiæ tàm accidentales, quàm eſſentiales; primus ſubdividitur in *tranſcen-*

cen-

Digitized by Google

ſcendentalem, ut ens, & *prædicamentalem*, ut ſubſtantia, corpus, &c.

Quæritur ergo, an conceptus entis præſcindat ſeu diſtinguatur à parte rei ab omnibus ſuis inferioribus, à Deo, & creatura, à ſubſtantia, & accidente, an verò tantùm imperfectè, & per intellectum.

CONCLUSIO.

Ens perfectè, & à parte rei præſcindit ab omnibus ſuis inferioribus, non ſolùm creatis, ſed etiam increatis. Eſt contra aliquos Scotiſtas quoad 2. partem.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Ens priùs dividitur in finitum, & infinitum, quàm in decem genera, quia ens finitum eſt commune ad decem genera*; ſed diviſio eſt realis Metaphyſica, & tale diviſum diſtinguitur à parte rei à differentiis dividentibus, ergo ens diſtinguitur, ſeu præſcindit à parte rei ab inferioribus creatis, imò & increatis. Ob eandem rationem item docet ens eſſe univocum, non ſolùm ad ſubſtantiam, & accidens, ſed etiam ad Deum, & creaturam, ut dicemus, ergo ratio ſignificata per nomen Ens eſt eadem in Deo, & creatura à parte rei, ergo diſtinguitur à parte rei ab illis gradibus, ſeu differentiis, per quas Deus, & creatura differunt. Item pro entibus creatis docet univerſaliter, naturas communes eſſe præciſas à ſuis inferioribus, in quibus faciant unitatem formalem realem minorem unitate numerica, ut diximus in Logica; ſed eadem eſt ratio de ente, ergo, &c.

Prob. 2. ex iiſdē locis, [2] & rationibus, quibus probavimus unitatem illius conceptus objectivi. Nam valent etiam ad conceptum realem: nec enim ille conceptus objectivus, imò nec formalis poſſet eſſe verè unus, & prædicari verè de inferioribus ejus tàm creatis, quàm increatis, niſi verè illis ineſſet, & quidem à parte rei, ſicut humanitas non poſſet verè prædicari de homine, licèt in eo conciperetur, ergo ſi hęc ratio, ſeu formalitas entis non eſset verè, & à parte rei in Deo, & creaturis, & quidem diſtincta ab eorum infi-

[1] 1. d. 8. q. 3. N. n. 18. [2] *In* 2. d. 3. q. 1. E. n. 7.

Digitized by Google

infinitate, & finitate , aliiſque rationibus particularibus , non poſſet verè de illis prædicari .

Confirm. Nam à parte rei , & nullo cogitante ratio entis convenit verè Deo , & creaturis, & per hanc rationem conveniunt, & per alias formalitates , v.g. finitatem, & infinitatem diſconveniunt,ergo à parte rei ratio entis in Deo , & creaturis præſcindit ab aliis rationibus,ſeu formalitatibus , per quas differunt .

Dices. Per eam rationem conveniunt , dum conſiderantur inadæquatè , non verò ſi conſiderentur adæquatè , ſic enim differunt .

Contra. Ergo Deus poteſt conſiderari inadæquatè, & adæquatè , & dum conſideratur inadæquatè , ratio entis eſt illi communis cum creatura, ergo illa ratio verè eſt aliquid in Deo de ſe conceptibile ſeorſim à Deitate , quod eſt totum intentum noſtrum . Quis enim ſomniavit nos velle , quòd Deus conſideratus, ut ens præcisè, nihil cogitando de Deitate, ſit conſideratus adęquatè? & idem eſt de homine conſiderato ſecundum animalitatem , & nihil cogitando de rationalitate .

Prob.3.ex eodem,& ex dicendis de diſtinctione formali inter gradus Metaphyſicos . Si enim hi gradus diſtinguuntur formaliter ex natura rei , ergo etiam præſcindunt .

Prob. 4. ſpecialiter contra illos Scotiſtas , qui negant illam præciſionem realem in Deo,& quidem authoritate Doctoris , quem conantur trahere in ſuam ſententiam . Nam *concedo, inquit,* [1]*quod ipſe conceptus entis dictus de Deo,& de Creatura in quid , contrahitur per aliquos conceptus contrahentes , dicentes quale* , & ſuperius dixerat : [2] *Tenes opinionem meam mediam , quod cum ſimplicitate Dei ſtat , quòd aliquis ſit conceptus communis ſibi , & Creaturæ , non tamen communis , ut genus . . .* [3] *Quidquid dicitur communiter de Deo , & creatura , eſt indifferens ad finitum, & infinitum , loquendo de eſſentialibus,*ergo, ex Scoto, conceptus entis diſtinguitur à parte rei , & præſcindit à modis finitatis, & infinitatis , quibus contrahitur ad Deum,& creaturam, ergo à parte rei

 Deus,

[1] *In* 1.*d*.7.*q*.3. 1.*n*.26. [2] *ibid*.*n*.16. *F*.
[3] *ibid*. *G*. *H*. & *I*.

Digitized by Google

Deus, quantumcunque ſimplex, includit conceptus, ſeu formalitates entis, qui conceptus eſt illi communis cum creatura, & per conſequens eſt alius à conceptu infinitatis, per quem differt ab eadem creatura, ergo conceptus entis eſt de ſe indifferens ad finitatem, & infinitatem, ergo de ſe ab utroque præſcindit, ex Scoto.

Confirm. Quia in illis, & aliis locis nullam aliam docet Scotus differentiam hujus præciſionis, atque conceptus entis ab aliis pariter communibus, niſi quòd negat, illam habere propriam rationem generis; quia, inquit, non contrahitur ad Deum, & creaturam per veras differentias actuantes, & perficientes, ſed per modos intrinſecos, ſi autem exiſtimaſſet, illum conceptum non perfectè, & à parte rei præſcindere ab illis differentiis contrahentibus, id non diſſimulaſset: quandoquidē hoc declarando vitabat facilius (ut adverſariis placet) difficultates, & opiniones conciliabat.

Addit paulò inferiùs hæc verba clariſſima. *Requiritur igitur diſtinctio inter illud, à quo accipitur conceptus proprius* (ſc. infinitas, ſeu Deitas) *non ut diſtinctio realitatis & realitatis; ſed ut diſtinctio realitatis, & modi proprii, & intrinſeci ejuſdem, &c.* [1] Ergo, ex Scoto, conceptus entis, qui eſt communis, & per quem Deus convenit cum creatura, eſt realitas diſtincta ab infinitate, per quam differt ab eadem creatura, & quæ eſt modus intrinſecus ejuſdem entis, non autem realitas perfecta, ut ſunt differentiæ propriæ entium creatorum.

Dices cum Maſtrio, [2] Scotum non dicere, quòd conceptus entis in Deo ſumatur ab aliqua realitate communi, ſed ab ipſa realitate Dei præciſè inſpecta; & conceptus proprius ab eadem realitate diſtinctè, & cum ſuo modo inſpecta.

Contra. Nam ex ipſis terminis patet, Scotum ne id quidem ſomniaſſe; dicit enim, conceptum illum communem diſtingui à proprio, ſicut realitas communis diſtinguitur à modo proprio, & intrinſeco, ergo conceptus entis ſumitur à realitate diſtincta, diſtinctione non quidem formali ex natura rei, ſed modali; plura vide apud Fabrum, [3] & Poncium.

Sol-

[1] *ibid n.27.* [2] *Diſp.2. 101.* [3] *Faber theorem. 94. Poncius diſp. 2. à n.22.*

Digitized by Google

Solvuntur objectiones ex Scoto.

Objic. 1. ex Scoto. [1] Deus, & creatura non ſunt primò diverſa *in conceptibus*, *ſed in realitate, quia in nulla realitate conveniunt*, ergo in Deo ratio entis non eſt realitas præciſa, quæ ſit illi communis cum creatura. Prob. conſeq. Alioqui enim non eſſent primò diverſa in realitate.

Reſp. neg. conſeq. Nam ibidem Scotus addit, *quomodò eſſe poſſit conceptus communis ſine convenientia in realitate, in ſequenti dicetur, ſcil. infrà n.* 26. ut notat Lichetus; loquitur ergo de realitate, quæ ſit propriè generica, quia hæc involvit imperfectionem, ſc. potentialitatem: *ſed ipſe conceptus*, inquit Doctor, *dictus in quid non eſt conceptus generis*, quod eſt intentum totius illius quæſtionis. Deus ergo, & creatura ſunt primò diverſa in realitate generica, non verò in realitate tranſcendentali entis.

Objic. 2. ex eodem. [2] Cùm illi objiceretur, quòd Deus eſt ſingularis, ergo nihil poteſt concipi in illo, quod ſit commune, ſed ſingulare: reſpondet, *neg. conſeq. quia Sortes, ut Sortes, eſt ſingularis, & tamen à Sorte plura poſſunt abſtrahi prædicata, & ideò ſingularitas alicujus non impedit, quin ab eo, quod ſingulare eſt, poſſit abſtrahi aliquis conceptus communis, licèt, quidquid eſt ibi, in re ſit ſingulare ex ſe in exiſtendo, & tamen illud poteſt concipi, ut hoc in re, vel quodammodo indiſtinctè, & ita, ut ſingulare eſt, vel commune*, ergo quidquid eſt in Deo, eſt ex ſe ſingulare à parte rei, non verò commune, niſi per actum intellectus abſtrahentis.

Reſp. 1. illud argumentum nimis probare in ſententia Maſtrii, & aliorum Scotiſtarum, quos in ſuam trahit ſententiam. Nam ſic probaret, inter Petrum, & Paulum non dari ullam realitatem communem naturæ ſpecificæ; ſed illos eſſe primò diverſos à parte rei; ita eſt de homine, & equo, de bruto, & planta: uno verbo neque ens, neque genera non magis præſcinderent, ac diſtinguerentur à ſuis gradibus inferioribus in individuis creatis, quàm in Deo, nam Scotus exemplificat in homine ſingulari, ſc. Sorte, quod eſt contra adverſarios, qui admittunt entis præciſio-

[1] *In* 1. *d.* 8. *q.* 3. *n.* 12. [2] *ibid. diſt.* 3. *q.* 2. *I. n.* 29.

Digitized by Google

ciſiones à parte rei in creatis , ergò ſicut ſingularitas Sortis non impedit , quin includat plures naturas,ſeu realitates communes illi cum Petro , Bucephalo , & aliis creaturis , v.g. humanitatem , animalitatem , vitalitatem,ſubſtantiam,& ens in eſſe ſingularizato, ita eſt de Deo,ſublatis imperfectionibus potentialitatis, &c.

Reſp. igitur 2.diſt. conſeq. Eſt ſingulare realiter, & identicè , conc. conſeq. formaliter , & præcisè , neg. conſeq. Nam , ut cum Scoto ipſo loquar , licèt Petrus ſit abſolutè ſingularis , poteſt tamen cognoſci ſub conceptu communi præſcindente à parte rei à Petreitate , ita ſingularitas Dei non impedit conceptibilitatem objectivam entis præcisè ab infinitate, vel ſingularitate.

Inſtabis 1. Realitates omnes illæ in Petro ſunt quidem ſingulares in exiſtendo , at non ex ſe : ſed in Deo ratio entis eſt ex ſe ſingularis, ergo non eſt eadem ratio de Deo , & creatura , ex Scoto.

Reſp. neg. min. Nam ex Scoto, tàm ratio entis eſt ſingularis ex ſe in Petro , quàm in Deo , non tamen eodem modo : nam in Deo contrahitur per modos intrinſecos, & abſque dependentia , & imperfectione, alioqui ens non poſſet magis prædicari univocè de Deo, & Petro , quàm ipſa Deitas, vel Petreitas.

Inſt.2.Conceptus ille entis in Deo eſt conceptus inadæquatus , & indiſtinctus, ex Scoto , ut hac in re, vel quodammodo indiſtinctè,ergo non perfectè præſcindit à parte rei in Deo , ſicut in creatis.

Reſp. neg. ant. Scotus enim ibi non magis loquitur de conceptu individui creati , quàm increati , & nullam unquam differentiam ponit in conceptibus illis communibus, niſi, quòd reſpectu Dei non habent rationem generis , quam habent in creatis.

Objicies 3. ex eodem , [1] qui videtur negare, ſeu improbare, quòd *intentioni generis correſpondet propria realitas , & non ſic alii intentioni communi* , ergo , ex Scoto , propria realitas non correſpondet in Deo à parte rei conceptui entis , quia in Deo conceptus entis non habet rationem generis.

Reſp.

[1] *L.1, d.8, q.3, L, n,17, in addit,*

Reſp.(quidquid ſit de illo textu, qui non eſt Scoti, ſed alterius Doctoris additio, quæ in textum inſeritur) diſt.conſeq. realitas, quæ ſit genus, conc.conſeq. quæ ſit realitas diſtincta formaliter à modis infinitatis, & finitatis, & per quam Deus conveniat cum creatura, neg. conſeq. Id enim non intendit Scotus, ſed potiùs contrarium, ut patet evidenter ex vero textu, ad quem iſta verba nos remittunt, ut dicetur infra, quandò reſpondebitur ad dubium adductum contra reſponſionem primi argumenti principalis: nam ex illa reſponſione patet clare, quòd ens eſt vera aliqua realitas conceptibilis diſtinctè à modo ſuo intrinſeco, per quem contrahitur ad Deum: dubium illud erat, quod ſi ens ſit realitas communis Deo, & creaturæ, habet rationem generis: *Reſpondeo*, inquit, [1] *quòd, quandò intelligitur aliqua realitas cum modo intrinſeco ſuo, ille conceptus non eſt ita ſimpliciter ſimplex, quin poſſet concipi illa realitas abſque modo illo: ſed tunc eſt conceptus imperfectus illius rei*, id eſt, res illa, ſeu Deus, non concipitur perfectè, & adæquatè, ergo ratio entis eſt realitas præſcindens à modo infinitatis, per quam contrahitur, ſed non eſt realitas potentialis, ſeu generica, ſed purè communis.

Et, ni fallor, id clariſſimè inſinuat, cùm dicit, [2] *concedo, quòd conceptus ille communis Deo, & creaturæ eſt finitus; hoc eſt, non eſt de ſe infinitus poſitivè, ita quòd de ſe includat infinitatem, quia, ſi eſſet infinitus, non eſſet communis de ſe finito, & infinito, nec eſt de ſe finitus poſitivè, ita quòd de ſe includat finitatem; quia tunc non competeret infinito; ſed de ſe indifferens eſt ad finitum, & infinitum*, ergo conceptus entis non ex arbitrio, vel præciſione intellectus, ſed de ſe præſcindit ab infinitate, & eſt indifferens de ſe ad finitum, & infinitum.

Objic. 4. denique, ex Scoto. [3] *Nulla realitas poteſt eſſe, ut diximus, aliquo modo diſtincta ex parte rei, à qua ſumatur ille conceptus dictus in quid, quæ realitas ſit determinabilis per aliam realitatem; ſicut conceptus communis eſt determinabilis in intellectu per alium conceptum*, ergo in Deo conceptus objectivus entis non præſcindit à parte rei ab infi-

C 3

[1] *ibid.* [2] *ibid. ant. A. n.* 28. [3] *L.* 1. *d.* 26. 9. *n.* 28.

Digitized by Google

infinitate , nec ab aliis conceptibus contrahentibus .

Reſp. neg. conſeq. Nam , ut jam dictum eſt , Scotus nomine *realitatis* intelligit entitatem genericam , ſeu quæ ſit in potentia , reſpectu differentiæ determinativæ , quæ habeat rationem perfectivi , ut accidit in entibus creatis, quod patet ex Licheto, quem adverſarii citant pro ſe: *nota hanc reſponſionem* (inquit) *quia ex hoc habetur expreſsè, quod datur aliquis conceptus dictus in quid de Deo, qui tamen eſt verè poſterior , cum non accipiatur ab aliqua realitate priori , quæ ſit in potentia ad aliam* . Et ita ſemper intelligunt veri Scotiſtę . [1] Conceptus autem entis non contrahitur ad Deum per differentiam perfectivam , ſed per modos intrinſecos , v.g. infinitatis, aſeitatis,&c.

Solvuntur objectiones à ratione .

Objectiones ab authoritate Scoti præmiſimus , quia in hoc puncto quoad præciſionem objectivam realem entis in Deo acriter pugnant inter ſe Scotiſtæ, & ſinguli trahunt Magiſtrum in ſuam ſententiam . Jam argumentamur ex aliis principiis , & res eſt nobis tàm cum Scotiſtis , quàm cum Thomiſtis , & aliis.

Objicies 1. Si conceptus entis fundatur in aliqua entitate reali communi Deo , & creaturæ , ſequitur compoſitio ſaltem Metaphyſica in Deo ; ſed hoc eſt falſum , quia repugnat ſummæ ejus ſimplicitati , ergo non ſic fundatur . Probatur ſeq. Omnis realitas communis eſt contrahibilis ad plures , ergo eſt neceſſariò potentialis , id eſt perfectibilis per realitates contrahentes , quæ dicuntur differentiæ: ſed in Deo eſſent tales realitates, ſi conceptus entis fundaretur , &c. ergo, &c.

Reſp. neg. ſeq. & diſt. maj. probat. Si ſit neceſſariò contrahibilis per veras differentias , atque etiam cum dependentia ab aliqua cauſa reali , conc. maj. ſi per modos intrinſecos, & independenter ab ulla cauſa extrinſeca, neg. maj. & conſeq. Sed de hac compoſitione dicemus infrà : interim ratio reſponſionis patet ex dictis.

Inſt. Modus intrinſecus non conſtituit res ; ſed ſup-

[1] *ibid. n.4.*

Digitized by Google

ſupponit jam conſtitutas in ſuo eſſe eſſentiali, ergo, ſi ratio entis eſt realitas communis Deo, & creaturæ; non contrahitur per modos, ſed per veras differentias. Ant. eſt receptum ab omnibus Scotiſtis. Prob. conſeq. Prima ratio contractiva naturæ communis realis eſt conſtitutiva, & de quidditate eſſentiali rei: ſed illa ratio non poteſt eſſe modus intrinſecus, ergo erit vera differentia.

Reſp. 1. n. ant. abſolutè. Nam finitas, v.g. dependentia, & ſimiles ſunt priores rationalitate, imò & animalitate, & ſubſtantialitate in homine, quia ſe tenent ex parte entis, quod eſt primum prædicatum quidditativum hominis; & tamen illæ realitates non ſunt primò conſtitutivæ hominis, ergo falſum eſt, generaliter loquendo, quòd modus intrinſecus ſupponat rem in ſuo eſse conſtitutam.

Reſp. 2. diſt. antec. Modus intrinſecus, generaliter loquendo, & qui non eſt quid primum in re, cujus eſt, non conſtituit illam, conc. ant. ſi ſit primum, neg. ant. & conſeq. Conſtituit enim, & ſupplet locum differentiæ, ſed ſine imperfectionibus, quas invehit ſecum differentia, videlicet compoſitionem ex actu, & potentia, ex perfectibili, & perfectivo, etiam Metaphyſicè, ut ſæpè diximus. Hæc fortè reſponſio in terminis non videtur admodum Scotiſtica: ſed in re non poteſt, ni fallor, meliùs explicari hæc difficultas ad mentem Doctoris. Nam, cùm exiſtimet, nomina *differentiæ*, & *generis* non eſſe admittenda in Deo, & tamen gradus contractivus entis ad Deum obeat munus differentiæ, ideòque vocet illum nomine modi intrinſeci; non puto meliùs poſſe explicari hoc Myſterium ad evitandas altercationes Scotiſtarum inter ſe, & cum aliis. Cui autem non placuerit reſponſio, videat alias apud Poncium, Columbum, Fabrum, & alios. Iterùm redibit hæc difficultas, cum quæremus, an Deus ſit in genere.

Objic. 2. Si ens diceret in Deo realitatem diſtinctam, & communem creaturę, eſset aliquid prius, & independentius Deo: ſed falſum conſeq. ergo. Prob. ſeq. Omne conſtituens eſt prius, & independentius conſtituto: ſed illa realitas entis eſset conſtitutiva Dei, ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Aliquid prius, & independentius,

Digitized by Google

quatenus poſſit concipi ſine deitate, & prædicari de Deo *in quid*, veluti prædicatum eſſentiale, & reperiri in aliquo, quod non ſit Deus, conc. maj. & neg. min. Quid enim in hoc abſurdi? quatenus exiſtere poſſit realiter, & independenter à Deo, vel realiter diſtinguatur ab eo, neg. ſeq. maj. & ſimiliter diſt. min. probat. Eſt independentius, & prius prioritate conceptibilitatis, & ſubſiſtendi conſequentia, quatenus poteſt concipi ſine illo, & reperiri in alio, & de illo prædicari, ut quid commune aliis, conc. maj. prioritate præeminentiæ, & independentiæ phyſicæ, ac realis, neg. maj. & conſeq. Igitur in hoc ratio entis eſt prior, & independentior Deo, quia poteſt concipi ſine illo, non autem Deus ſine illa; & poteſt eſſe in aliquo, quod non ſit Deus, ſcil. in creatura. Quid in hoc difficultatis?

Inſt. Ita realitas entis præſcindit à parte rei à ratione deitatis, & ſe habet ad hanc, ſicut animalitas ad rationalitatem in homine: ſed animalitas in homine habet prioritatem cum dependentia, ergo & ratio entis in Deo. Maj. patet. Nam animalitas non præſcindit, niſi formaliter ex natura rei, ſicut ens à deitate. Prob. min. Animalitas verè conſtituit, & cauſat hominem metaphyſicè, & eſt prior illo prioritate aliqua naturæ, ſed hæc prioritas involvit dependentiam propter quandam cauſalitatem, ergo, &c.

Reſp. neg. maj. & prob. ejus. Animalitas ita cauſat, & conſtituit hominem, ut poſſit exiſtere ſine homine, ut de facto exiſtit in brutis; ens verò non poteſt exiſtere ullo modo ſine Deo, & extra Deum, & ſic Deus non dependet propriè ab ente, licèt illud realiter includat.

Objic. 3. Illa realitas entis eſt quid creatum, vel increatum, ergo vel eſt quid divinum, vel repugnat Deo.

Reſp. neg. ant. Præcisè enim ens, ut ſic, eſt id, cui non repugnat realis exiſtentia; & ſic abſtrahit ab utroque, & eſt ad utrunque indifferens, ut probavimus ex Scoto.[1] Ratio eſt evidens. Si enim ens in ſuo conceptu formali includeret alterutram differentiam, v. g. *increatum*, non poſſet prædicari de creatura,

[1] 1. *d*. 8. *q*. 1. *E*. *n*. 2.

Digitized by Google

tura, niſi æquivocè, &, ſi includeret *Creatum*, non poſſet prædicari de Deo, quod eſt contra adverſarios: ſicut *animal*, ſi includeret formaliter rationalitatem, non poſſet prædicari de *equo*, vel *bove*. *Concedo* (inquit Doctor) *quòd conceptus entis non eſt formaliter conceptus creati, nec increati*.

Inſt. Nihil poteſt cogitari de Deo, quod non ſit increatum, & infinitum, ergo ratio entis in Deo non præſcindit ab increato, & infinito.

Reſp. diſt. ant. Formaliter, & reduplicativè, & quatenus eſt in Deo, conc. ant. ſpecificativè, & præciſivè, neg. ant. Idem eſt de homine; nihil enim poteſt cogitari de homine, ut homo eſt, quod non ſit humanum; nihil de creatura, quod non ſit creatum; ſed ratio entis in creatura, & in homine præciſè non includit creationem, neque humanitatem.

Objic. 4. Deus ſecundum omnes formalitates ſuas eſt eſſentialiter ſingularis, ergo nihil habet à parte rei commune, ne realitatem quidē entis. Prob. ant. ex Scoto. [1] Ens, ut convenit Deo, eſt ipſum eſſe infinitum, & non tantùm aliquid, cui convenit ipſum eſſe: & ideò ex ſe eſt hoc, ergo realitas entis, quæ eſt in Deo, eſſentialiter, & ex ſe eſt ſingularis.

Reſp. diſt. ant. Secundum omnes ſuas formalitates reduplicativè & prout ſunt ejus, conc. ant. ſpecificativè, vel præciſivè, & ſecundum ſe conſideratas, neg. ant. Hæc eſt ipſiſſima mens Scoti: dicit enim; *ens, ut ſic convenit Deo*, particula, *ut*, eſt reduplicativa, Deus ergo eſt ſingularis per ſuam propriam ſingularitatem aliqua ratione poſteriorem ipſa infinitate, & aliis modis intrinſecis, per quos ens contrahitur ad ipſum infinitum: *Ut quaſi per prius intelligatur aliquo modo infinitas eſſe modus entitatis per eſſentiam*, quia eſt Deus, *quàm ipſum intelligatur eſſe hoc*, ideſt, ſingulare.

Inſt. In creatis unaquæque res eſt ſingularis ſecundum omnes ſuas formalitates, per individuationem naturæ ſuperadditam, ergo Deus eſt ſingulariſſimus eſſentialiter, & abſque ſuperaddito, ſecundum omnes formalitates ſuas, ergo & ſecundum rationem entis, ergo illa non erit communis illi, & Creaturis.

Reſp. diſt. conſeq. Secundum omnes formaliter

[1] *In* 1. *diſt.* 8. *q.* 3. *B. n.* 29.

Digitized by Google

reduplicativè, & quatenus ſunt ejus, conc.conſ. ſecundum ſe, & præciſè, neg.conſeq. quia, ut tales, ſunt indifferentes, ut ſint ejus, vel creaturæ. Loquor de formalitate entis, & aliis, quæ illam comitantur, ut ſunt prædicata tranſcendentalia.

Inſt. Ergo eſſet in Deo aliqua formalitas, quæ non eſſet Deus: ſed hoc eſt falſum, & impium, ergo, &c. Prob. maj. Illa realitas entis, quæ eſt in Deo, eſſet etiam in creatura: ſed quod eſt in creatura, non eſt Deus, ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. utriuſque argumenti. Quæ non eſſet Deus formaliter conc.maj. & neg. min. realiter neg.maj. Ens igitur ſub eodem conceptu præciſè, & formali, ſub quo eſt in Deo, reperitur etiam in creatura: id fateri debent omnes Scotiſtæ, quandoquidem agnoſcunt, ens prædicari univocè de utroque, ut mox dicemus: ſed, prout eſt in Deo, eſt ens ſummum, ens per eſſentiam, ens infinitum: &, prout eſt in creatura, eſt ens per participationem, ens finitum, &c.

QUÆSTIO IV.

Quomodò ens prædicetur de ſuis inferioribus.

QUæritur hìc, num ens prædicetur de Deo, & creatura, de ſubſtantia, & accidente univocè, ut volunt Scotiſtæ, & alii, an æquivocè, ut docent aliqui, an analogicè, ut placet Thomiſtis.

Repete ex Logica, quod diximus de æquivocis, univocis, & analogis, & maximè de variis gradibus univocationis: id enim ſcitu neceſſarium eſt, propter opinionem Scotiſtarum, ut mox patebit. Nam ad univocationem requiritur quidem neceſſariò, ut ratio ſignificata per nomen ſit verè eadem in univocatis, ſed non eſt ſemper eodem modo, aut eodem ordine, aut cum eadem perfectione: & inde oritur diſtinctio quatuor graduum univocationis.

Primus, & perfectiſſimus gradus eſt, cùm ratio ſignificata reperitur eadem in univocatis eodem modo, ordine, perfectione: ſic homo eſt nomen perfectè univocum reſpectu Petri, & Pauli, & omnium individuorum naturę humanæ, quæ in eis reperitur

Digitized by Google

ritur eodem ordine, id eſt, æquè immediatè, eodem modo eſſendi, ſc. ut tota eſſentia, & eadem perfectione eſſentiali, & ita eſt de omnibus ſpeciebus atomis.

Secundus eſt minus perfectus, cùm ratio illa eſt in univocatis eadem eodem modo eſſendi, & ordine, ſed non eadem perfectione, quia reperitur contracta per inæquales differentias. Talis eſt univocatio naturæ genericæ, v. g. *animalis*, reſpectu *hominis*, & *bruti*. quia in homine contrahitur per rationalitatem, & in bruto per brutalitatem, ſeu per irrationalitatem.

Tertius eſt adhuc imperfectior, cùm ratio communis reperitur eadem in univocatis, & ſecundum eundem modum, ſed non eundem ordinem, & gradum perfectionis: ut ratio numeri in omnibus numeris eſt eadem, & eodem modo finitatis, ſed non eodem ordine; quia deſcendit ad ternarium mediante binario; nec eadem perfectione, quia alii aliis ſunt perfectiores, v.g. ternarius eſt aliis perfectior.

Quartus, & minimus eſt, cum ratio communis eſt eadem univocatis ſub diverſo modo, & ordine, & gradu perfectionis eſſentialis, v. g. ens reſpectu Dei, & Creaturæ: nam eſt in Deo cum infinitate, per ſe primò, & ſumma perfectione, in creatura verò cum finitate, dependenter, & cum imperfectione. Solus primus gradus eſt puræ univocationis, alii ſunt cum aliqua analogia, ſed quam Scotus docet non eſſe incompoſſibilem cum univocatione. Alii innumeros gradus analogiæ fingunt, ſed his ſuperſedeo.

CONCLUSIO I.

E*Ns eſt verè univocum Deo, & creaturis, ſubſtantiæ, & accidenti, cum aliqua tamen analogia*. Eſt Scotiſtarum omnium cum Magiſtro ſuo, & aliis.

Prob. 1. ex Scoto. *Dico*, inquit, *tantùm in conceptu analogo conceptui creaturæ concipitur Deus, qui ſit omninò alius ab illo, qui de creatura dicitur, ſed in conceptu aliquo univoco ſibi, & creaturæ*. Et id

Digitized by Google

„ probat. 1. Quia poteſt quis eſſe certus de aliquo;
„ quod ſit ens, & dubius, an ſit Deus, vel creatura.
„ 2. in ſtatu viæ non habemus conceptus ullos de
„ Deo, vel alio ullo objecto, niſi mediantibus ſpe-
„ ciebus acceptis à phantaſmatibus, ſed phantaſma-
„ ta non cauſant ullam ſpeciem, ſeu cognitionem,
„ niſi quam continent formaliter, aut virtualiter,
„ & non continent, & cauſant, niſi ſpeciem, ſeu
„ cognitionem, ſeu conceptum de ipſis verè præ-
„ dicabiles: ſed à creaturis accipimus conceptum de
„ Deo, quod ſit ens, ergo ille conceptus eſt talis
„ in Deo, qualis in creaturis, ſcilicet univocus.
„ Non enim nobis repræſentant phantaſmata con-
„ ceptum alium entis, quàm qui in eis eſt. 3.
„ probat. Quia, ſi nullus conceptus eſſet univo-
„ cus Deo, & creaturis, non poſſemus conclu-
„ dere, eum eſſe intelligentem ex intelligentia,
„ quam percipimus in creaturis, potiùs, quàm eſſe
„ lapidem, ergo, &c.

Prob. 2. ratione communi, quoad 1. p. Ratio ſignificata nomine *entis*, eſt eadem in Deo, & creatura; in ſubſtantia, & accidente, ergo nomen *entis* eſt illis univocum. Prob. ant. Ratio ſignificata nomine *entis* eſt non repugnantia ad exiſtendum: ſed hæc ratio eſt prorsùs eadem in Deo, & creatura, ergo, &c. Major conſtat ex definitione entis. Min. etiam patet ex quæſtionibus præcedentibus.

Prob. 2. pars. Certum eſt enim, quòd ratio illa *entis* participatur à Deo cum infinitate, cum ſumma perfectione; & in creatura finitè, & dependenter à Deo: ſed talis univocatio eſt in minimo gradu univocationis, & per conſequens cum analogia, ergo, &c.

Objectiones principales, quæ fieri poſſunt contra univocationem, jam ſolutæ ſunt ſupra, ubi de unitate conceptus entis. Paucas hìc addemus diſputationis gratia, quæ univocationem entis directè impugnant.

Objic. itaque 1. ex D. Damaſc. dicente, ens dici æquivocè ad omnia entia, & ſecundum ſolam vocem: & Scriptura docet, quòd ſolus Deus eſt ens: & ex Iſaia, *omnes gentes ſunt, quaſi non ens*, ergo ens non dicitur univocè de Deo. & creaturis,

Reſp. n. c. Nam Damaſceni Logica non agnoſcitur

ab

ab omnibus: & ſacra ſcriptura loquitur per antonomaſiam, & exaggerationem, & ſic ſolus Deus eſt ens per excellentiam.

Objic. 2. Quod dicitur de uno ſimpliciter, & de aliis ſecundum quid, non eſt univocum utriſque: ſed *ens* dicitur de Deo, & ſubſtantia ſimpliciter, & de creatura, & accidente ſecundum quid, ergo, &c. Prob. min. Creatura eſt ens per participationem, & accidens dicitur *entis ens*, ergo, &c.

Reſp. neg. abſolutè min. & conſeq. probat. Inde enim ſequitur tantùm, quòd *ens* dicatur de illis ſecundum quandam analogiam, ſeu ſecundum univocationem in gradibus imperfectis: nam quantum ad rationem eſſentialem *entis* eadem eſt in omnibus.

Objic. 3. Univocum perfectè præſcindit à ſuis inferioribus, ſed ens non ſic præſcindit, ergo, &c. Prob. min. Nihil enim adæquatè concipitur ſine ente, ergo, &c.

Reſp. neg. maj. Sufficit enim, ut ratio per nomen ſignificata ſit una, ſive perfectè præſcindat, ſive imperfectè.

Reſp. 2. neg. min. Ex quæſt. præced. conſtat, conceptum objectivum *entis* diſtingui formaliter à modis, & differentiis, ſeu à ſuis inferioribus.

Objic. 4. Univoca habent unum conceptum, in quo conveniunt inter ſe, & alium, in quo diſconveniunt: ſed inferiora *entis* hæc non habent, ergo *ens* non eſt illis univocum. Prob. min. Ultimæ differentiæ ſunt entia, & tamen ſe totis differunt, ergo in nullo conveniunt.

Reſp. neg. maj. Id enim ad rationem univocationis non requiritur, ſed ſolùm ut nomen, & ratio ſignificata per nomen ſit eadem.

Objic. 5. Si *ens* eſſet univocum Deo, & creaturis, haberet rationem generis, & Deus eſſet in genere: ſed utrumque falſum, ergo, &c. Prob. maj. Eſſet quid univerſale, & pertineret ad unam ſpeciem univerſalis: ſed non poteſt aſſignari alia ſpecies univerſalis, ad quam ſpectet, niſi *genus*, ergo, &c. Prob. min. Prædicatur *in quid incompletè*, ergo eſt genus.

Reſp. pro nunc, neg. ſequel. & ad probat. dico, ad rationem generis requiri, ut ſit quid potentiale reſpectu differentiarum contrahentium, nec identifice-

tur

tur cum infinitate, nec tranſcendat differentias: alii addunt, ut contrahatur per veras differentias, non per modos: hæc autem deſunt conceptui entis, & maximè reſpectu Dei, in quo perfectè identificatur cum infinitate, quæ eſt modus ejus intrinſecus præveniens omnem potentialitatem veram.

Inſtab. Saltem ſequeretur, ens eſſe genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, ſed hoc eſt contra omnes, ergo, &c. Maj. patet. Quia in creatis non conjungitur cum infinitate, nec illi repugnat potentialitas, ſeu perfectibilitas. Prob. min. Si ens eſſet genus reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, non darentur decem genera ſuprema, ſeu prædicamenta: ſed hoc eſt contra omnes, ergo, &c.

Reſp. conc. maj. & rationem ejus, & neg. min. utriuſque. Omnes enim concedunt, diviſionem *entis* in decem, vel plura, vel pauciora prædicamenta eſſe arbitrariam, ut diximus in Logica.

Reſp. 2. negari poſſe majorem, & probationem ejus. Nam, cùm *perſeitas*, & *inhærentia* ſint modi intrinſeci, non autem differentiæ veræ, per quas contrahitur *ens* finitum ad ſubſtantiam, & accidens, ideò non habet propriam rationem generis ad ea. Sed quæſtio eſt de nomine, & ideò ſpernenda.

Sequitur ergo, *ens* prædicari univocè de Deo, & creatura, ſubſtantia, & accidente, aliiſque omnibus his inferioribus directis. Videndum nunc eſt, quomodò prædicetur de lateralibus, ſeu de differentiis.

QUÆSTIO V.

De tranſcendentia entis. An ens prædicetur formaliter, & directè de ſuis differentiis, & modis contractivis.

PRædicatio alia eſt *formalis*, alia *identica*, & *materialis: formalis* illa eſt, in qua prædicatum ſignificatur includi, ſeu ineſſe ſubjecto per modum formæ accidentalis, aut ſubſtantialis, ut *homo eſt rationalis*, vel *homo eſt albus*. *Identica* eſt illa, in qua ſignificatur prædicatum realiter uniri, ſeu identificari ſubjecto vel inter ſe, vel in aliquo tertio, ut *deitas eſt ſapientia, riſibilitas eſt rationalitas*, in homine ſci-

Digitized by Google

ſcilicet, in quo identificatur.

Inferiora entis alia directè ponuntur ſub illo, ut genera, & ſpecies, & individua, alia verò indirectè, ut modi, ac differentiæ, quibus contrahitur ad genera, & ſpecies, & cum quibus conſtituit illa genera, & ſpecies, ut *finitas*, & *infinitas*, *perſeitas*, & *inhærentia*, & ſic de cæteris, & de utriſque prædicatur *ens*: ſed quæritur, an de omnibus indifferenter prædicetur formaliter, & *in quid*, ſeu directè, an verò de generibus, ſpeciebus, & individuis directè, & formaliter, quod omnes concedunt: de differentiis verò, & modis, quæ à latere illi ſubjiciuntur, prædicetur identicè, & materialiter tantùm.

Denique differentia alia *eſt ultima*, alia eſt *non ultima*: *ultima* dicitur ea, quæ adeò ſimplex eſt, ut non ſupponat pro re, à qua ſumitur, ſed pro ſe ipſa in abſtracto, ita ut non ſit reſolubilis in plures conceptus. *Non ultima* verò eſt ea, quæ ſupponit pro forma, ſeu re, à qua ſumitur, eſtque reſolubilis in plures conceptus. Iſta includit ens, illa minimè, v.g. ſi rationale, vel rationalitas ſupponat pro anima rationali, eſt differentia non ultima, & ſicut ens prædicatur de anima, ita & de rationali in concreto, imò & de rationalitate in hoc ſenſu: ſed ſi ſumatur abſtractiſſimè, & pro gradu illo Metaphyſico, per quem animal contrahitur ad hominem, eſt ultima. His ſuppoſitis, ſit

CONCLUSIO.

ENs non prædicatur directè, & formaliter de differentiis, & modis ſuis contractivis, ſed ſolùm identicè, ſeu ens non includitur formaliter in illis. Ita Scotiſtæ communiter cum ſuo Doctore contra Thomiſtas, & recentiores ferè omnes.

Prob. 1. p. ex Scot. [1] *Dico, quòd ens non eſt univocum dictum in quid de omnibus per ſe intelligibilibus, quia non prædicatur de differentiis ultimis, nec de propriis paſſionibus entis*, quod prob. 1. ſic: Si differen-
„ tiæ includant univocè prædicatum de illis, vel ſunt
„ idem inter ſe, vel cum illo, vel diverſa: ſi ſunt
„ prorſus idem, ergo non contrahunt, nec determi-
„ nant

[1] *in 1.d.3.q.3.F.n.6.& q.21. de an.n.12.*

Digitized by Google

„ nant ens, & tàm de illo, quàm de ſe invicem præ-
„ dicantur identicè: nec plus eſt dicere, *rationalitas eſt ens*, quàm ſi dicas, *Deus eſt ens*, & propoſitiones illæ ſunt nugatoriæ, ſi non ſunt prorsùs idem, ergo dicunt à parte rei aliquid ſupra ens, & per quod inter ſe differunt. Prob. conſeq. Nam vel illud aliquid eſt purum ens formaliter, vel aliquid aliud: ſi non purum ens, ut conceſſum eſt, ergo quid aliud ab ente, ſeu præter ens, & illud eſt formalis, & ultima differentia, ergo ultimæ, & formales differentiæ entis non includunt ens formaliter, ergo ens non prædicatur de illis formaliter.

Prob. 2. ex eodem. Conceptus compoſitus ex determinabili, & determinativo, ſeu ex potentia, & actu, debet reſolvi in conceptus partiales primò diverſos, id eſt, ita ſimplices, & diverſos, ut unus nihil ſit de alio, & viciſſim: ſed ratio entis, & ratio ultimæ differentiæ, ſeu modi ſe habent ad invicem, ut *determinabile*, & *determinatum*, ſeu ut actus, & potentia, ex quibus coaleſcit compoſitum Metaphyſicum, ergo ens, & ultimæ differentiæ ſunt primò diverſa, ſeu non ſeſe includunt formaliter. Maj. patet ex compoſito phyſico, ubi materia, & forma nihil habent de ſe invicem: ſi enim non eſſent extra ſe invicem in eſſentia, ſeu in entitate, non facerent compoſitionem. Minor etiam patet ex communi modo philoſophandi: ens, ut ſic, ſe habet per modum potentiæ, ſeu determinabilis: & differentia per modum actus, ſeu determinativi: & probatur. Determinatio fit per modum additionis unius ad aliud, ſeu determinativi ad determinabile, ex qua additione fit ex duobus unum: ſed hoc eſt mera compoſitio, ſaltem Metaphyſica, ergo ens, & differentia ſe habent, ut actus, & potentia, ex quibus coaleſcit compoſitum.

Dices. Illam contradictionem non fieri per viam compoſitionis, vel additionis, ſed per modum ſimplicis explicationis, ſecundum quod res magis, aut minùs confuſè concipitur.

Contra. Quia, quocumque modo fiat contractio, ſive per intellectum, ſive à parte rei, ens ſemper ſe habet, ut contrahibile, & differentia, ut contractivum, ergo ſemper intervenit aliqualis compoſitio,

ergo

ergo qualis eſt compoſitio, talis eſt præciſio entis à ſuis modis, vel differentiis.

Prob. 3. Ens formaliter eſt id, cui non repugnat realis exiſtentia: ſed nulla differentia, nec modus ullus, nec ulla proprietas entis eſt formaliter id, ratione cujus non repugnat exiſtentia, ergo nulla differentia, vel modus, vel proprietas entis eſt formaliter ens. Prob. min. tùm ex definitione illorum, tùm ex eo, quod concipiantur poſteriora ente, ergo, &c.

Prob. 2. p. concluſ. ex Doct. [1] dicente, quòd *ſic unum additum enti effugit rationem entis, quod ſignificatur modo differentiæ, quæ eſt idem generi, identitate tamen rei, & non formaliter*. Et, quòd ens deſcendit ad inferiora ſua per addita quædam, quæ ſunt entia realiter, non verò formaliter: unde modi, & paſſiones entis ſunt entia realiter, quia ſunt realiter identificata cum ente: & ideò hæc propoſitio non eſt formalis, ſed identica, *unitas eſt ens*, imò nec iſta, *rationalitas eſt ens*, ſi rationalitas ſumatur ultimatè.

Prob. 2. Quia prædicatio identica eſt ea, in qua non tàm ſignificatur inexiſtentia prædicati in ſubjecto, quàm identitas eorum: ſed ens, & modi ejus, & differentiæ, ac proprietates ejus ſunt illi identificatæ, ergo prædicantur identicè.

Objic. 1. Differentiæ, & modi omnes exiſtunt, vel poſſunt exiſtere, ergo includunt ens formaliter. Conſeq. patet ex definitione entis. Prob. antec. Non enim repugnat illis exiſtere, & habent veram entitatem, ergo, &c.

Reſp. diſt. antec. Exiſtere poſſunt ratione entis, cum quo identificantur, conc. antec. ratione ſui præcisè, neg. antec. & diſt. conſeq. Includunt ens realiter, & per identitatem, conc. conſeq. formaliter, neg. conſeq.

Inſtab. Ex ratione ſui præciſa non repugnat illis exiſtentia, & in ſe præcisè non ſunt nihil, ergo ratione ſui ſunt ens.

Reſp. diſt. antec. In ſua ratione formali, ſeu præcisè nihil includunt, per quod conveniat illis exiſtere, vel non repugnantia ad exiſtere, conc. antec. includunt aliquid, per quod poſitivè illis conveniat exiſtere, neg. antec. Nam idem eſt dicere, quòd præſcindunt ab ente formaliter, ſeu quòd illud non includunt, & quòd

[1] 4. *metaph. qu. 1. nu. 10. & qu. 11. de An.*

Digitized by Google

quòd ex ſe non habent, unde oritur illa non repugnantia: hæc enim venit ab ente, aut eſt ipſum ens.

Inſtab. 2. Inter ens, & nihil non datur medium: ſed differentia, & modi ex ſe non ſunt nihil, ergo ſunt ens.

Reſp. diſt. maj. Inter aliquid, ſeu ens abſolutè, & nihil, conc. maj. inter ens quid, & nihil, neg. maj. Hìc diſtinguunt antiqui Scotiſtę, quia inter ens *quid*, & nihil, datur ens *quale*, velut medium: nam differentiæ, & modi, ac proprietates entis non ſunt ens *quid*, quia non ſe habent, velut *quid* potentiale, ſeu contrahibile, nec exprimuntur per modum ſubſtantis, nec prædicantur *in quid*, ſed ſunt velut qualitates, & prædicantur *in quale*, & adjectivè, ac per modum qualificantis: ſic loquuntur veteres Scotiſtæ. Moderni verò diſtinguunt ſic: inter ens realiter, & nihil non datur medium, conc. maj. inter ens formaliter neg. maj. Differentiæ, & modi intrinſeci entis non ſunt ens formaliter, nec nihil, ſed ens realiter, quod eodem recidit.

Objic. 2. Modi intrinſeci (idem eſt de differentiis) ſunt reales, & poſitivi, & à parte rei contrahunt, & determinant ens, ergo ſunt ens formaliter. Prob. conſeq. Quod habet veram eſſentiam, eſt ens formaliter: ſed omne poſitivum, & reale habet veram eſſentiam, ergo eſt ens formaliter.

Reſp. neg. conſeq. & maj. prob. Quod habet veram eſſentiam eſt vel ens, vel quid entis, imò & entia rationis fictitia habent aliqualem eſſentiam: dicuntur igitur entalia potiùs, quàm entia, ſicut differentiæ non dicuntur ſubſtantiæ, ſed ſubſtantiales, quia ſunt quid ſubſtantiæ, & ſic modi, & differentiæ entis non ſunt entia propriè, & formaliter, ſed aliquid entis.

Inſtab. 1. Ergo modus formaliter nec eſt ens, nec non ens: ſed hoc eſt abſurdum, & impoſſibile, ergo, &c. Min. patet. Nam duo contradictoria non verificantur de eodem: ens autem, & non ens ſunt duo contradictoria. Prob. ſeq. Modi, per nos, non ſunt ens formaliter, non ſunt etiam nō ens, quia ſunt quid reale, & poſitivum, ergo ſunt ens, & non ens.

Reſpond. diſt. ſequ. Non eſt ens formaliter, neque non ens, conc. ſequ. non eſt ens realiter, neg. ſeq. &

ra-

Digitized by Google

rationem ejus. In hoc enim ſenſu non eſt ens formaliter, ſed quid entis, eſt ens realiter, ſcil. per identitatem realem cum ente.

Inſtab. 2. Quod eſt alteri ratio eſſendi ens, eſt etiam ens in ſe: ſed modus eſt enti ratio eſſendi, ergo, &c. Prob. min. Infinitas, ver. gr. eſt ratio, cur ens ſit tale ens, ſeu ens divinum, ergo modus eſt enti ratio eſſendi ens.

Reſp. neg. min. & conſeq. probat. Nam modus non eſt ratio enti, quòd ſit ens, ſed quòd ſit tale ens, ergo ipſe non eſt ens formaliter, ſed talitas, & modificatio entis.

Objic. 3. Ultimæ differentiæ à parte rei exiſtunt, & faciunt differre, ergo ſunt formaliter entia.

Reſp. diſt. anteced. Exiſtunt per exiſtentiam entis, ſicut per illud ſunt entia formaliter, conc. antec. per propriam exiſtentiam, neg. antec. & conſeq. Ut enim faciant differre, ſufficit, quòd ſint realiter in ente reali, & ipſi identificatæ.

Objic. 4. De paſſionibus entis hæ propoſitiones veræ ſunt, & formales: *veritas eſt ens*, *bonitas eſt ens*, ergo veritas includit formaliter ens, & ſic de aliis proprietatibus. Prob. conſeq. Prædicationes in abſtracto non verificantur, niſi ſicut quidditativæ, ergo in illis ſenſus eſt, quòd ens eſt de quidditate veritatis.

Reſp. diſt. antec. Veræ ſunt identicè, conc. antec. formaliter, neg. antec. & conſeq. Eadem eſt ratio de differentiis, & modis.

Objic. denique ex Ariſtotele. [1] Ens non poteſt eſſe genus, quia, cùm ſit tranſcendens, includitur eſſentialiter in omnibus differentiis, & modis, per quos contrahitur, ergo, ex Philoſopho, ens prædicatur, ſeu includitur formaliter in ſuis differentiis, & modis.

Reſp. ex Scot. [2] neg. conſ. Nam Ariſt. toto illo lib. loquitur problematicè, & proponit rationem probabilem in utramque partem, ſicque liberum eſt unicuique eligere. Dico ſimiliter, inquit Scotus, quòd ſi ens, & unum eſſent genera, non ſequitur, quòd eorum differentiæ eſſent nihil, ſed benè ſequitur, quòd non

[1] 3. *metaph.* 10.
[2] 1. *di.* 3. *qu.* 3. *N.* & *lib.* 3. *metaph. cap.* 1.

Digitized by Google

non eſſent ens, vel unum quidditativè, & formaliter, ſicut oportet concedere de primis contractivis entis, ſeu modis intrinſecis.

Conſtat igitur ex dictis, quòd ens non imbibitur in ſuis modis, differentiis, & proprietatibus, nec de illis prædicatur formaliter, & in quid, ſed identicè, propter realiſſimam identitatem, quam habet cum illis.

QUÆSTIO VI.

Quomodò ens contrahatur ad ſua inferiora. An per veras differentias, an per modos, quos vocant intrinſecos, & quid ſint illi modi.

Diu eſt, ex quo promiſimus quæſtionem de modis, quæ tamen huc ſpectabat, non tantùm ex communi Scotiſtarum diſpoſitione, ſed etiam ex naturali rerum ordine.

Modus, generaliſſimè loquendo, ſignificat limitationem, ſeu determinationem præfixam rei cuicumque finitæ. *Modus*, inquit S. Auguſtinus, [1] *eſt, quem menſura præfigit:* ſtrictiùs accipitur pro entitate, quæ non tàm ad rei eſſentiam pertinet, quàm ad ejus complementum, ideò deſcribitur à quibuſdam, *id, quod additum rei illam modificat vel in ſe, vel in alio, vel ad aliud, vel quoad eſſe, vel quoad operari*. Et hæc deſcriptio convenit omnibus modis tàm intrinſecis, quàm extrinſecis, ver. gr. ſeſſio, qua Petrus ſedet, eſt determinatio Petri ad talem ſitum, vel operationem, unio materiæ cum forma eſt determinatio actualis materiæ in ordine ad formam, & formæ ad materiam.

Modus ſic deſcriptus dividitur in *extrinſecum*, & *intrinſecum*: *extrinſecus* dicitur ille, ſine quo res eſſe poteſt, non ipſe ſine re, ut ſeſſio, unio, & ſimiles entitates: *intrinſecum* verò pro nunc dicimus illum, *qui realiter identificatur cum re, cujus eſt*, extrinſecus etiam deſcribitur *entitas realis afficiens ſubjectum, & illi tribuens aliquid, quod eſt extra totam illius eſſentiam, ut individuam, exiſtentem, & ſubſiſtentem: ita tamen ab illo dependet ut nequeat exiſtere ſine illo, benè verò ſubjectum ſine illa*. Dicitur primò *entitas rea-*

[1] *de Gen. ad lit. lib. 4. cap. 3.*

Digitized by Google

realis, ſeu *forma*: & id ponitur loco generis, quia per id convenit cum differentiis, & modis intrinſecis. 2. *afficiens ſubjectum*, & per hoc jam incipit notari ejus dependentia, & munus circa rem, cujus eſt modus, & diſtinguitur à formis, ex quibus ſumuntur denominationes extrinſecæ. 3. *tribuens ſubjecto aliquid, quod eſt extra totalem ejus eſſentiam*, &c. Et ſic diſtinguitur à differentia, quæ eſt pars eſſentiæ, ſed eſt omninò extra rem in ſuo eſſe completam, unde eſt illi accidentalis. 4. *ut individuam*, & ſic diſtinguitur à differentia individuali, quæ eſt quidem extra eſſentiam totalem, ſed non extra eſſentiam, *ut individuam*. 5. *ut exiſtentem, & ſubſiſtentem*, & ſic diſtinguitur ab exiſtētia, & ſubſiſtentia, quæ ſunt extra totalem eſſentiam, ut individuam; & realiter ab ea diſtinguuntur, ſed ſunt potiùs modi intrinſeci: exemplum horum habes in ſeſſione, quæ eſt forma ſic dependens ab homine, ut non poſſit eſſe ſine ipſo, benè verò ille ſine ipſa, & illi tribuit ſitum, qui eſt extra totam eſſentiam ejus individuam, exiſtentem, & ſubſiſtentem. Tales ſunt omnes relationes intrinſecùs, & extrinſecùs advenientes.

De *modi intrinſeci* definitione non ita facilè conveniunt Philoſophi, & ipſi Scotiſtæ, quibus eſt magis familiaris, quàm cæteris. Fatentur omnes, quòd eſt aliqua formalitas realis, realiter identificata rei, cujus eſt, & diſtincta formaliter à differentiis, & proprietatibus, adeò ut definitio ejus non conveniat illis.

Per differentias verò intellige unum ex prædicatis eſſentialibus, quæ rei per ſe primò competunt, ita ut non ſequatur ad ullum aliud prædicatum ejus, ſed efficiat, ut res, in qua eſt, diſtinguatur eſſentialiter ab omnibus aliis, & non poſſit cognoſci ut talis ſine illa: differentia verò individualis illa eſt, quæ primò, & per ſe conſtituit rem, ut ſingularem, & facit eam differre ſolo numero ab aliis: *modus* autem *intrinſecus* debet ſic definiri, ut ab utraque differentia illa diſtinguatur.

Exiſtentiam modi intrinſeci ſupponimus ex omnium conſenſu, etiam Scoti, [1] qui hoc nomine inſignit relationes tàm rationis, quàm reales; nam *relatio*

[1] 2. *d.* 1. *q.* 5. *B. n.* 2. & 13. & 14.

Digitized by Google

tio realis, inquit, *eſt modus ſui fundamenti*, & quidem ab eo diſtinctus: nam *relatio*, *licèt ſit modus*, *ſi ſit extra intellectum*, *& non modus intrinſecus fundamenti*, *ſicut infinitas in Deo*, *ſequitur*, *quòd talis modus alius à re ex natura rei ſit res alia à fundamento*.

Sed in hoc à recentioribus Modaliſtis diſcrepant Scotiſtæ, quòd iſti tales modos in puris relationibus conſtituant, illi in entibus abſolutis cum aliqua relatione tranſcendentali, ſeu *ſecundum dici*, de quo vide, quæ diximus in Logica.

CONCLUSIO I.

M*Odus intrinſecus eſt entitas realis*, *& realiter indiſtincta*, *quæ rem*, *cui additur*, *ſic contrahit*, *& determinat*, *ut cum ea non faciat veram compoſitionem Metaphyſicam*, *nec Phyſicam*. Eſt ad mentem Scoti, & Scotiſtarum.

Prob. 1. ex Scoto, qui, licèt aliis terminis modum illum explicet, tamen clarè intendit, illum in hoc ita à differentiis, & proprietatibus diſtingui, ut nullam compoſitionem Metaphyſicam invehat in Deo, in prima contractione entis ad illum per infinitatem, & ad creaturam per finitatem. Ideò definitur à Scotiſtis eſſe *is*, *qui additus alteri non variat rationem formalem conſtituti*. Juxta iſtas definitiones dicit Doctor, *quòd infinitas non deſtruit formaliter rationem illius, cui additur*: nam, ut notat Maſtrius noſter, ita modum deſcripſit, ut per talem notionem illum ſecerneret à differentia.

Prob. 2. Quia ſic modi intrinſeci natura ſufficienter explicatur ſecundum ſe, & prout diſtinguitur ab omnibus aliis entitatibus, ergo illa deſcriptio eſt bona. Prob. antec. diſcurrendo per ſingulas particulas. Dicitur 1. *entitas realis*, quod ponitur loco generis: per id enim convenit cum differentiis, proprietatibus, & aliis gradibus entis realis. 2. *realiter indiſtincta*, ut diſtinguatur à modis extrinſecis, qui diſtinguuntur realiter, ſaltem diſtinctione reali minori, à re modificata. 3. *quæ ſic rem*, *cui additur*, *contrahit*, *& determinat*, ut diſtinguatur à proprietatibus, ſeu paſſionibus, quæ ſupponunt rem conſtitu-

tam,

Digitized by Google

tam,& determinatam. 4.*ut non faciat compoſitionem*, & per hoc diſtinguitur à differentiis,quæ intelliguntur advenire naturæ genericæ, velut actus perfectivus potentiæ, ſeu perfectibili, ut *rationale* reſpectu *animalis*, in conſtitutione hominis, ergo hæc deſcriptio bona eſt. Sed hæc magis patebunt ex ſequenti concluſione.

CONCLUSIO II.

E*Ns contrahitur ad Deum, & creaturam per modos intrinſecos, ita ut illud non habeat rationem veri generis, nec illi rationem veræ differentiæ*. Ita Doctor cum ſuis, & aliis.

Prob.1.ex Scoto. [1] *Conceptus entis dictus de Deo, & creatura, in quid, contrahitur per aliquos conceptus dicentes, quale, contrahentes, ſed ipſe conceptus dictus, in quid, non eſt conceptus generis, nec illi conceptus dicentes, quale, ſunt conceptus differentiarum, quia iſte conceptus quidditativus eſt communis ad finitum, & infinitum, quæ communitas non poteſt eſſe conceptus generis. Iſti etiam conceptus contrahentes dicunt modum intrinſecum ipſius contracti, & non aliquam realitatem perficientem illam. Differentiæ autem non dicunt modum intrinſecum realitatis alicujus generis;* quia, in quocumque gradu intelligatur *animalitas*, non propter hoc invenitur *rationalitas*, vel *irrationalitas* eſſe modus intrinſecus *animalitatis*: ſed adhuc intelligitur animalitas in tali gradu, ut perfectibilis à *rationalitate*, vel *irrationalitate*. Hæc eſt ſumma totius doctrinæ Scotiſticæ de conceptu entis, & contractione ejus ad Deum per modos, & de modorum natura.

Prob.2.ratione ex illo textu deducta. Contractio entis ad Deum ſic fieri debet, ut non arguat veram compoſitionem in illo: ſed, ſi ſic fieret, ut ens haberet rationem generis, & formalitas contractiva rationem veræ differentiæ,argueretur vera compoſitio in Deo, ergo ens non contrahitur ad Deum per veram differentiam. Maj.ſupponitur ex omnium, maximè Scotiſtarum, ſenſu, & ex dicendis in Theologia: nam talis compoſitio repugnat ſummæ ſimplicita-

[1] *1.d.8. qu.3.ad 1.nu.26.*

Digitized by Google

citati Dei. Prob. maj. Compoſitio ex vero actu, & potentia, ſeu ex vero perfectibili, & vero perfectivo Metaphyſicè, eſt vera compoſitio Metaphyſica: ſed, quod habet veram rationem generis, & differentiæ, eſt verè perfectibile, & perfectivum, ergo, &c.

Confirm. Nam repugnat in Deo aliquid, quod habeat ullam potentialitatem, aut perfectibilitatem: eſt enim eſſentialiter actus puriſſimus, ergo repugnat Deo ens ſic ad illum contrahi, ergo, ſi contrahitur, id fit per modos intrinſecos.

Dixi, *ita ut ens non habeat rationem generis veri, nec contractivum rationem veræ differentiæ*, adeò ut non inducant veram compoſitionem in Deo: nam, ſi per *genus* intelligatur ſolùm gradus aliquis communis univocè Deo, & creaturæ, & per *differentiam* alius gradus, ſeu formalitas, aut conceptus proprius, per quem illud ens contrahatur, & determinetur ad Deum, & differat à creatura, fateor, quòd in hoc ſenſu habet rationem *generis*, & modus ille intrinſecus, ver. gr. *infinitas*, habet rationem *differentiæ*, & per conſequens erit admittenda aliqualis compoſitio Metaphyſica in Deo, ſeu ex conceptibus diverſis, quorum unus ſit communis, & indeterminatus ex ſe, & alter particularis, ſeu determinans, &, ut verum fatear, omnibus ritè perpenſis, hæc controverſia reducitur facilè ad quæſtionem de nomine, ſaltem inter præſcindentes objectivè.

Objic. 1. Entitas, ſeu formalitas, ſeu conceptus ille contractivus eſt ens, vel non ens: ſed neutrum dici poteſt, ergo, &c. Prob. min. Si eſt ens, ergo ens contrahitur per ſeipſum, & idem per idem, quod abſurdum eſt, ſi eſt non ens, ergo Deus conſtituitur ex non ente, ſeu per nihilum, quo nihil abſurdius.

Reſp. diſt. maj. Eſt ens realiter, & identicè, conc. maj. eſt ens formaliter, neg. maj. & min. & diſt. conſ. prob. ejus. Si eſt ens formaliter, conc. conſeq. ſi eſt ens realiter tantùm, & identicè, neg. conſeq. & hæc reſponſio patet ex dictis ſuprà: nam ratio contractiva entis in ſe formaliter non eſt ipſum ens contractum, ſed aliquid entis, & per illam contractionem, ſeu unionem, ac identitatem realem participat ipſum ens.

Objic. 2. Omne contrahibile eſt indifferens, & in potentia ad contractivum, ſeu determinativum: ſed, quod

Digitized by Google

quod eſt ſic indifferens , & potentiale , eſt verum genus,& contractivum eſt vera differentia,& ens eſt verè contrahibile : nec illa formaliter , quæ dicitur modus , eſt verè contractiva entis ad Deum , ergo ens in Deo habet rationem veri generis , & contractivum , ſeu modus ille habet rationem veræ differentiæ : hic eſt cardo totius difficultatis.

Reſp.1. ex Scoto , [1]diſt. maj. Si contractivum ſit perfectè præſcindens , & diſtinctum à contrahibili , conc.maj. ſi non perfectè præſcindat, ita ut non poſſit perfectè concipi ſine ipſo , neg. maj. & ſimiliter diſt. min. Eſt verum genus, ſi ſit contrahibile per formalitatem perfectè ab ipſo præſcindentem , conc. min. ſin minùs , neg.min. quoad illam partem , quoad alteram verò nego ens eſſe contrahibile ad Deum per formalitatem præſcindentem ab ente : nam impoſſibile eſt perfectè intelligere infinitatem, v.g. vel aſeitatem , per quam ens contrahitur ad Deum , quin concipiatur ipſum ens , licèt ipſum ens poſſit perfectè concipi ſine illo modo. Non ita eſt de veris generibus , v.g. de animalitate , & de vera differentia,v.g. de rationalitate.

Reſp.2.cum aliis,[2]diſt.maj. Si ipſum ſit finitum, & dependens à cauſa extrinſeca : & ſi ſit contrahibile per quid finitum , conc. maj. ſi per quid infinitum, cum quo identificetur , neg.maj. & ſic de minore , & ſubſumpto . Nam, cùm ratio, ſeu modus, per quem contrahitur ens ad Deum , ſit infinitas, ſeu perfectio infinita,quę ex ſe cōplectitur,& identificat ſibi omnes perfectiones, ex ſuo conceptu proprio identificat ſibi ipſum ens , & omnem omninò perfectionem . Unde, licèt illa formalitas de ſe non ſit infinita , tamen , ut reperitur in Deo , identificatur cum infinitate, & ſic redditur infinita , & habet eſſe independens à cauſa extrinſeca ad exiſtendum.

Denique, ſi per genus nihil aliud intelligitur præcisè , niſi conceptus communis, & de ſe indifferens ad multa , & per differentiam conceptus proprius determinans, & contrahens conceptum communem ad aliquod ens particulare , ſive ſit infinitum , & independens , ſive finitum , & dependens , concedo, ens eſſe aliquo ſenſu *genus* , & infinitatem eſſe *differen-*

[1] *1.d.8.q.3.n.17.* [2] *Poncius diſp.2.q.3.n.34.*

Digitized by Google

tiam, ſeu gerere munus differentiæ, & eodem ſenſu eſſe aliqualem compoſitionem Metaphyſicam in Deo, quæ ex talibus formalitatibus coaleſcat, ſed ſine imperfectionibus.

Inſtab. Ille conceptus entis ſic contractus ad Deum eſt indeterminatus, & potentialis, ergo non eſt infinitus. Prob. conſeq. Nihil potentiale, & determinabile eſt infinitum, ergo ille conceptus non eſſet infinitus.

Reſp. cum Doct. [1] diſt. conſeq. Non eſt de ſe infinitus poſitivè, & formaliter, conc. conſeq. quia non includit formaliter infinitatem, alioquin non eſſet indeterminatus ad illam: non eſt infinitus realiter, & identicè, neg. conſeq. de ſe eſt indifferens ad finitum, & infinitum negativè, ideſt, non includens finitatem, nec infinitatem.

CONCLUSIO III.

E*Ns habet rationem generis, & contrahitur per veras differentias ad ſubſtantiam, & accidens.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [2] quòd accidens in abſtracto eſt verius ens, quàm in concreto, quia *ſpecies generis eſt, & accidens eſt ſpecies entis.*

Confirm. ex dictis concluſ. 1. Nam rationes, quibus probat ens non eſſe propriè genus reſpectu Dei, ceſſant hic reſpectu prædicamentorum: rationes enim illæ ſunt. 1. ex infinitate. 2. ex neceſſe eſſe: ſed illæ rationes ceſſant reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, ergo ens eſt genus ad ſubſtantiam, & accidens.

Prob. 2. Nam in ordine ad creaturam habet omnes conditiones veri generis, & formalitates, quibus ad illas contrahitur, habent naturam, & conditionem veræ differentiæ, ergo, &c. Prob. min. tùm inductione ſingularum conditionum generis, de quibus in Logica, tùm ex Scoto: nam genus ſumitur ex aliqua realitate, quæ ſecundum ſe eſt potentialis ad realitatem, à qua accipitur differentia: ſed tale eſt ens reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, ergo, &c. Min. patet ex quæſtionibus præcedentibus de præciſione, & univocatione entis.

Objic.

[1] *ibid. nu.* 28. [2] 1. *d.* 8. *qu.* 31. *nu.* 16.

Digitized by Google

Objic. Sequeretur non eſſe, niſi duo prædicamenta: ſed hoc eſt contra omnes, ergo & concluſio.

Reſp. Ex dictis in Logica conſtat, illam diviſionem eſſe arbitrariam, ideò neganda eſt minor: non ſolet tamen dici genus, quia eſt tranſcendens, & aliquatenùs imbibitur in omnibus differentiis, non quidem formaliter, ut volunt quidam, ſed identicè, ac ſpeciali, & intimiori identitate, quàm differentiæ reliquorum generum inferiorum enti.

DISPUTATIO III.

De principiis, & proprietatibus entis.

Explicata ſufficienter, pro inſtituto, entis natura, deſcendimus ad ejus principia, & proprietates, ſi quas habet.

QUÆSTIO I.

An, & quæ ſint principia entis.

Principium, generaliter loquendo, eſt id, quod eſt primum in aliquo genere, & definitur *id, unde aliquid eſt*, vel *id, à quo aliquid procedit quocumque modo*, vel *id, à quo aliquid fit, aut cognoſcitur*: unde aliud eſt eſſendi, aliud cognoſcendi: primum dicitur illud, *quod influit in eſſe rei*, ſecundum verò, *quod facit eam cognoſci*. Principium *eſſendi* aliud eſt *extrinſecum*, ut cauſæ finalis, exemplaris, & efficiens, aliud *intrinſecum*, ut cauſæ materialis, & formalis in phyſicis; & genus, & differentia in Metaphyſicis. Pariter principium *cognitionis* aliud eſt *incomplexum*, ut ſunt effectus rei, proprietates, & operationes ejus, & accidentia, ex quibus quaſi à poſteriori deducimur in cognitionem illius eſſentiæ: & aliud *complexum*, ut definitio, diviſio, argumentatio, & axiomata, ſeu propoſitiones aliquæ generales, & per ſe notæ, ex quibus eliciuntur demonſtrationes de naturis rerum, v. g. *quodlibet eſt, vel non eſt*, & ſic de cæteris.

Quærimus ergo hic, an dentur hujuſmodi principia entis, ut ſic, prout præſcindit à Deo, & creatura; & quænam ſint.

Digitized by Google

CONCLUSIO I.

ENs, *ut ſic, non habet principia incomplexa eſſendi, tam intrinſeca, quam extrinſeca*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Entis, inquantum ens, quod ponitur ſubjectum Metaphyſicæ, nulla ſunt principia*, quod intelligit de principiis eſſendi. Ratio eſt, quia ens in illa generalitate eſt commune Deo, & creaturæ, ergo, ut ſic, non habet principia. Prob. min. Si enim in illa communitate haberet principia eſſendi, *eſſent cujuslibet entis*, inquit Scotus, & ſic Deus haberet principia eſſendi, quod eſt erroneum, ergo, &c.

Confirm. Nam in illa abſtractione ens eſt conceptus ſimpliciter ſimplex, & irreſolubilis in plures alios conceptus, ut patet ex dictis, ergo non conſtat materia, & forma Metaphyſica, ergo caret principiis intrinſecis: de extrinſecis enim nullus huc uſque ſomniavit ea tribuere enti, ut ſic.

Objic. Ens, ut ſic, eſt definibile, ergo habet principia intrinſeca eſſendi, ſcil. genus, & differentiam, alioqui non poſſet definiri. Prob. antec. Illud enim definimus *id, cui non repugnat realis exiſtentia*, ergo eſt definibile.

Reſp. diſt. antec. Eſt definibile impropria, & imperfecta definitione, & quaſi à poſteriori, conc. anteced. perfecta, & rigoroſa, neg. anteced. & conſeq. Nec enim talem definitionem aſſignamus, ut rigoroſam.

Inſtab. Ens habet eſſentiam, & exiſtentiam, ergo habet principia eſſendi, per quæ datur illa definitio.

Reſp. neg. conſeq. Nam eſſentia, & exiſtentia non ſunt propriè principia, nec partes entis: eſſentia eſt ipſiſſima ratio entis, imò eſt nomen commune omnibus omninò rebus: exiſtentia actualis eſt quid poſterius, de quo latiùs infrà, ubi de eſſentia, & exiſtentia.

CONCLUSIO II.

ENs, *ut ſic, habet principia complexa, ſeu cognitionis*. Eſt etiam communis.

Prob. ex Scoto. [2] Ens enim, ut ſic, eſt ſcibile, & ſub-

[1] *q.3. prol. n. 18. S.* [2] *q. 1. prol. & l. 4. met. c. 1. n. 1.*

Digitized by Google

ſubjectũ alicujus ſcientiæ, &, ut diximus, eſt objectum Metaphyſicæ: *ſed oportet cujuslibet ſubjecti eſſe principia, per quæ demonſtrentur ejus paſſiones de eo, ex quibus principiis tanquam mediis demonſtrationis formantur principia complexa, ſicut propoſitiones per ſe notæ. Hoc modo: cujuslibet ſubjecti poſſunt eſſe principia quantumcumque imprincipiati.*

Prob. 2. ex eod. Omne ſubjectum habens proprietates ſibi per ſe primò inhærentes, habet etiam principia, per quæ de ipſo demonſtrentur ejus proprietates, & quæ ſunt principia cognoſcendi: ſed ens, ut ſic, tale eſt, ergo ens, ut ens, habet principia cognoſcendi. Prob. min. Quia, ut in decurſu hujus tractatus patebit, multa demonſtrantur de ente.

Objic. Paſſiones debent eſſe demonſtrabiles de ſubjecto, ut habeat talia principia: ſed nullæ paſſiones ſunt demonſtrabiles de ente, ut ſic, ergo ens, ut ſic, non habet principia complexa, ſeu cognitionis.

Reſp. diſt. maj. Demonſtrabiles vel à priori, & oſtenſivè, vel à poſteriori, ſaltem reductivè ad impoſſibile, conc. maj. & neg. min. demonſtrationes à priori tantùm, neg. maj. & conſeq. Nam paſſiones entis ſunt de ipſo demonſtrabiles ſaltem à poſteriori, ſeu per reductionem ad impoſſibile, ut videbimus, imò & aliquo modo à priori: & ſic poſſet abſolutè negari minor.

CONCLUSIO III.

Primum, ac firmiſſimum, & univerſaliſſimum principium entis complexum eſt iſtud: impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe. Eſt omnium.

Prob. 1. ex Scoto [1] poſt Ariſtotelem, qui diſputat contra ponentes, contradictoria ſimul eſſe vera de eodem, & conſequenter negantes illud principium primum, quod *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe. Hoc autem omnium firmiſſimum eſt principiorum: Impoſſibile namque quæcumque exiſtimare idem eſſe, & non eſſe*: & ut probet, dari certitudinem quoad principia, ſic argumentatur poſt Philoſophum, [2] qui vult, *quòd oppoſitum primi principii*, hujuſmo-

D 3 di,

[1] *l. 4. metaph. ca. 4. c. 5. n. 83. & 85. ibid. d. 3. q. 4. n. 8.*
[2] *1. d. 3. qu. 4. nu. 8.*

Digitized by Google

di, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe, non poteſt venire in intellectum alicujus.*

Prob. 2. ex eod. Nam, ex Ariſtotele, [1] tres ſunt conditiones ad verum principium. 1. ut ſit ita certum, ut circa illud non contingat errare. 2. quòd ſit notiſſimum abſolutè, & non ex aliqua conditione, vel ſuppoſitione. 3. quòd impoſſibile ſit contrarium venire in mentem alicujus: ſed hæ omnes conditiones reperiuntur in hoc principio, ergo, &c. Min. facilè patebit diſcurrenti per ſingulas illas conditiones: nam 1. ſi contingat aliquem ſomniare, quòd idem ſit, & non ſit, ergo eidem ſimul inerunt contrariæ opiniones, quod eſt impoſſibile, niſi deſipiat. 2. Illud, ad quod reſolvuntur omnes demonſtrationes, non habetur ex ſuppoſitione, ſed eſt per ſe notum: ſed illud principium eſt hujuſmodi, ergo eſt notum abſolutè, & non ex ſuppoſitione. 3. Quia eſt notum lumine naturali, & non habetur per demonſtrationem.

Prob. 3. Illud eſt primum principium ſimpliciter, quo omnes concluſiones, & alia omnia probari poſſunt: ſed iſtud tale eſt, ergo eſt primum principium. Prob. min. Omnis cognitio vel eſt ſimplex, & de ſimplicibus, vel eſt compoſita, & utraque reſolvitur ad aliquam primam. Si eſt ſimplex, reſolvitur ad ens, velut in primam, ſeu fundamentum omnium: ſi eſt compoſita, reſolvitur in hoc principium, ergo, &c. Prob. antec. quoad 2. par. Quia cognitio quò propior eſt enti, & prior eſt, ſed nulla cognitio compoſita eſt propior enti, quàm hæc: *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*, ergo, &c. Prob. min. Nam quæcumque alia ſi negetur, v. gr. iſta, *totum eſt majus ſua parte:* ſicut totum, nec pars non poteſt intelligi ſine ente, ita totum complexum, ſeu tota propoſitio non poteſt intelligi, niſi intellecto hoc primo principio, *impoſſibile eſt*, &c. Prob. antec. Nam ſi quæratur, cur totum eſt majus ſua parte? rectè dicitur, quia impoſſibile eſt, ut ſit totum, & non ſit totum: nam, ſi non eſſet totum, non eſſet majus, &, ſi non eſſet majus, non eſſet totum, ergo, &c.

Dicitur autem *primum*, quia naturaliter, & ſimpliciter præcedit reliqua omnia principia complexa prioritate cauſalitatis, non quidem in genere cauſæ effi-

[1] *ibid.*

Digitized by Google

efficientis, ſed in genere cauſæ finalis: quin omnes aliæ propoſitiones, ex quibus iſta componitur, v.gr. *ens eſt ens*, ſunt propter iſtam. 2. prioritate doctrinæ, quia hæc prius ingreditur demonſtrationem. 3. prioritate conſequentiæ: nam cùm dixeris, *ens non eſt ens*, rectè ſequitur, ergo *quodlibet ens eſt*, *vel non eſt*. Si autem è contra dixeris, *quodlibet ens eſt*, *vel non eſt*, non ſequitur, ergo *ens eſt ens*, quia, licèt nihil eſſet, & ſi implicaret omne ens, adhuc poſſet dici, *quodlibet ens eſt*, *vel non eſt*, ſeu, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe*, & *non eſſe*, & tamen ens non eſſet ens, nec verè eſſet, unde, licèt hæc eſſet falſa, adhuc illa eſſet vera, ergo illud principium eſt prius illa propoſitione prioritate conſequentiæ.

Objic. 1. Primum principium non componitur ex termino ullo reſolubili in plures conceptus: ſed iſta propoſitio, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe*, & *non eſſe*, componitur ex termino complexo, & reſolubili, ergo non eſt primum principium. Maj. patet. Nam propoſitio non poteſt eſſe ſimplicior ſuis terminis. Prob. min. Nam vox, *idem*, eſt reſolubilis in conceptum abſolutum, & relativum, ergo, &c.

Reſp. neg. maj. Nam primitas principii non attenditur penes illam ſimplicitatem, vel incompoſitionem, ſed ex conditionibus in ſecunda probatione adductis: id quidem facit ad primitatem propoſitionis, quæ tantò eſt prior, quantò eſt ſimplicior ſuis terminis.

Objic. 2. Omnis propoſitio modalis, & negativa habet aliam abſolutam, & affirmativam, quæ eſt prior: ſed illud principium eſt propoſitio modalis, & negativa, ergo non eſt primum principium, ſed ſupponit aliud prius, quod eſt primum abſolutè, & affirmativè. Prob. min. Nam *impoſſibile* eſt modus, & æquivalet negationi, v.g. *non eſt poſſibile*, ergo, &c.

Reſp. 1. diſt. maj. In genere propoſitionis, conc. maj. in genere principii, neg. maj. propter rationem allatam ad præcedentem.

Reſpon. 2. neg. min. Nam hæc propoſitio æquivalet huic affirmativæ, & non eſt negativa, niſi materialiter, & voce tenus, *neceſſe eſt idem non ſimul eſſe*, & *non eſſe*, in qua affirmatur modus. Coincidit etiam cũ hoc abſoluto, & affirmativo, *quodlibet eſt*, *vel non eſt*.

Digitized by Google

Inſtab. Primum principium non poteſt probari: ſed iſtud poteſt probari, ergo non eſt primum. Patet maj. Quia illud, per quod probaretur, eſſet prius. Prob. min. Probari enim poteſt per iſtud, *impoſſibile eſt, duo contradictoria ſimul eſſe vera*. Item probari poteſt inductione, ut ſi dicas, impoſſibile eſt, Petrum ſimul eſſe, & non eſſe, idem eſt de Paulo, Jacobo, ergo probari poſſet tùm à priori, tùm à poſteriori: & inde etiam ſequitur, quòd non ſit per ſe notum, & ſic deeſt illi ſecunda conditio.

Reſpondeo neg. minor. & anteced. probat. quoad primam partem, imò poſſibilitas contradictoriarum probatur per iſtud, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*. Quoad inductionem verò neg. conſequen. Nam cognitio ſingularium eſt tantùm occaſio cognitionis principiorum, &, ut notat Doct. [1] eſt quædam manuductio, non autem probatio propriè.

Objic. 3. Principium, quod eſt notius, eſt etiam prius: ſed hæc propoſitio, *ens eſt ens*, eſt notior, quàm hæc, *impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe*, ergo eſt potiùs illa primum principium. Prob. min. Nam omnes propoſitiones identicæ ſunt notiores: ſed hæc eſt identica, ergo & notior.

Reſp. neg. min. 1. argum. & maj. 2. Nam veritas propoſitionis identicæ fundatur in veritate hujus principii: ideò enim verum eſt, quòd *homo eſt homo*, & quòd *ens eſt ens*, quia *impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe*.

Huic principio, & propoſitioni maximè affines ſunt iſtæ: *de quolibet verum eſt affirmare, vel negare*, vel, *neceſſe eſt idem eſſe, vel non eſſe*, item, *de quolibet eſt vera affirmatio, vel negatio*, item, *quodlibet eſt, vel non eſt*, vel, *impoſſibile eſt, idem ſimul affirmari, vel negari de eodem*, vel per affirmationem, *neceſſe eſt idem affirmari, vel negari de eodem*, vel denique, *non poteſt idem eſſe, & non eſſe*.

QUÆ-

[1] *2. metaph. qu. 1. & 1. d. 3. qu. 4. ar. 2. d.*

QUÆSTIO II.

Utrum ens habeat veras, reales, & poſitivas proprietates, & quomodò diſtinguantur ab illo.

NOmine proprietatis, ſeu paſſionis rei intelligo qualitatem poſitivam realiter identificatam ſubjecto, cujus dicitur proprietas, & quod ſupponit in ſuo eſſe quidditativo, & eſſentiali conſtitutum, ab illo eſſe ſic conſtituto emanat, ita ut poſſit de illo prædicari convertibiliter, ut *riſibile* de homine: nam rectè dicis, homo eſt, ergo *riſibilis*, & è converſo, *riſibilis eſt*, ergo *homo eſt*: vide, quæ diximus in Logica de quarto prædicamento.

Porrò hæ vulgò numerantur entis proprietates: Res, Ens, Aliquod, Unum, Verum, & Bonum: ſed tres primæ idem ſignificant, & ſunt ipſiſſimum ens. Reſtat quæſtio de tribus poſterioribus.

Ad veram, & poſitivam proprietatem requiritur primò, quòd ſit quid reale, non autem fictitium. Secundò, quòd adæquatè conveniat ſubjecto, & convertatur cum illo, ut dicebamus de riſibilitate in homine. Tertiò, ut ſit extra eſſentiam ejus, quia manat ab illa, ut dicebamus. Quartò, ut aliquo modo ab eadem eſſentia diſtinguatur, ita ut nec illam formaliter includat, nec ab ea includatur. Hæc conditio ſequitur ex præcedenti, cùm enim ſit extra illam, & ab illa dimanet, non poteſt eſſe idem omninò cum illa: ſed quæſtio eſt, qualis ſit illa diſtinctio, poſtquam viderimus, an ens habeat aliquas tales proprietates.

CONCLUSIO I.

E*Ns habet veras proprietates reales, & poſitivas.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] & Philoſopho docente, 1. *quòd Metaphyſica eſt ſcientia communis; in qua traditur cognitio paſſionum de ente*. 2. *quòd ens non eſt univocum, dictum in quid de differentiis ultimis,* D 5 *& pro-*

[1] *qu.3.prol.T.n.20.& 1.d.3.q.3.G.& 4.met.c.2.n.19.*

& propriis paſſionibus. Primò, quia paſſio per ſe ſecundo modo prædicatur de ſubjecto, ergo ſubjectum ponitur in definitione paſſionis, ſicut additum .... habet enim paſſiones proprias, & patet per Philoſophum, [1] ubi vult, quòd linea, inquantum linea, habeat proprias paſſiones, &c. Ita ſunt aliquæ paſſiones entis, in quantum ens: ſed, ſi ens cadit in rationē earum, ut additum, ergo non eſt per ſe primo modo de ratione quidditativa earum, ergo, ex Scoto, [2] & Ariſtotele, ens habet veras, & reales proprietates, quæ ſunt extra quidditatem ejus, & per conſequens ab eo diſtinctæ: quod alibi ſępe aſſerit, & maximè in Metaphyſica poſt Ariſtot. Nam Metaphyſica *eſt ſcientia quædam, quæ ſpeculatur ens, prout ens eſt, & quæ ei per ſe inſunt, id-eſt paſſiones, ſeu proprietates ejus.*

Prob. 2. Quia unitas, bonitas, & veritas ſunt rationes communes, & tranſcendentes, quæ de ente in ſecũdo modo dicendi per ſe prędicantur: ſed tales rationes dicuntur paſſiones, ergo ens habet veras paſſiones.

Prob. 2. p. ex Doct. [3] Quia, niſi eſſent reales, Metaphyſica concludens talem paſſionem de ente, & illam conſiderans, non eſſet realis ſcientia: ſed tàm Ariſtot. quàm omnes alii Philoſophi aſſerunt, Metaphyſicam eſſe ſcientiam realem, ergo paſſiones entis, quas conſiderat, ſunt reales.

Prob. 3. Quia, nullo cogitante intellectu, ens eſt unum, verum, & bonum, ergo unitas, bonitas, & veritas ſunt proprietates reales entis.

Prob. 3. p. quòd illæ ſint poſitivæ. Nam ſunt quædam perfectiones entis, ergo ſunt quid poſitivum, & id magis patebit ex dicendis de ſingulis in particulari.

Prob. denique tota concl. Quia unitas, bonitas, & veritas, & aliæ ſimiles proprietates entis habent omnes conditiones ſupradictas, ergo ſunt veræ proprietates poſitivæ, & reales. Prob. antec. 1. enim conveniunt enti à parte rei, & independenter ab ulla fictione intellectus. 2. Verè convertuntur cum ente; rectè enim inferimus, *eſt bonum, ergo eſt ens*, & è contra, *eſt ens, ergo eſt bonum*. 3. ſunt extra eſſentiam, ſeu extra rationem formalem entis: nec enim includuntur in conceptu ejus quidditativo. Ideò dicuntur attributa,

[1] 4. *metaph.* 5. [2] *lib.* 1. *q.* 1. *n.* 2. 4. *metaph. init.*
[3] *in* 2. *d.* 16. *qu. un.* R. *nu.* 17.

Digitized by Google

buta, & conſequentia ad ejus eſſentiam. Nec etiam ens includitur formaliter in illorum conceptu, ut probatum eſt ſuprà.

Dices, illa quidem eſſe extra conceptum inadæquatum, & confuſum entis, non verò extra conceptum adæquatum, & diſtinctum.

Contra. Sequeretur, illa eſſe de conceptu quidditativo, & adæquato entis: ſed hoc eſt falſiſſimum, ergo ſunt extra conceptum adæquatum entis. Patet ſequela. Prob. min. Nam, ſi ſingula illa attributa explicarent inadæquatum conceptum entis, conceptus totalis, & adæquatus eſſet illis poſterior, & illa non circumſtarent, ſed conſtituerent eſſentiam ejus, & non poſſent de illo demonſtrari nec à priori, nec à poſteriori: & denique adæquatus entis conceptus non eſſet ſimplex, ſed compoſitus ex multis inadæquatis: ſed hæc ſunt contra omnes, ergo non ſunt de conceptu adæquato entis.

Objic. 1. Si haberent primam conditionem, ver. gr. ſi bonitas eſſet quid reale, eſſet formaliter ens reale: ſed falſum conſeq. ergo, &c. Prob. maj. Nihil poteſt eſſe reale, niſi ſit res, ſeu ens: ſed bonitas eſſet realis, ergo & ens.

Reſpon. diſt. maj. Eſſet ens reale, identicè, conc. maj. formaliter, neg. maj. Eſſet igitur, & eſt revera ens reale, per identitatem realem, quam habet cum ente, ut jam diximus ſuprà.

Objic. 2. ex Doct. dicente, quòd *proprietates continentur unitivè in eſſentia quaſi poſteriora, quia quaſi paſſiones continentis non ſunt res aliæ à continente: iſto modo ens continet multas paſſiones, quæ non ſunt res aliæ ab ipſo*, ergo ex Doctore, ens non habet verè paſſiones, ſed quaſi paſſiones, & non diſtinguuntur ab ente.

Reſp. neg. conſeq. quoad 1. par. Nam vox *quaſi* non ſignificat *ferè*, ſeu non eſt vox diminutiva, ſed comparativa: neg. etiam 2. par. ejuſdem conſeq. Nam, licèt non ſint res aliæ ab ente, quia non diſtinguuntur realiter, ſunt tamen aliæ entitates, ſeu realitates, ſeu formalitates, quæ non continentur in ente, nec illud continent formaliter, ſicut homo continet animal, & rationale, ſed ſunt in ente unitivè, id eſt, per identitatem realem. Unde iſte textus con-

Digitized by Google

firmat potiùs noſtram concluſionem.

Objic. 3. Ens, ut ſic, & prout eſt objectum Metaphyſicæ, abſtrahit à principio, & principiato, à cauſa, & cauſato, perfecto, & imperfecto, ſubſtantiali, & accidentali, ſimplici, & compoſito, actuali, & potentiali, perficiente, & perfectibili, ergo ens, ut ſic, non habet veras proprietates. Antec. à nobis aſſertum eſt ſuprà. Prob. conſeq. Nam ſubjectum reſpectu ſuarum proprietatum ſe habet, ut cauſa, & principium illarum, item ut perfectibile, & potentia: & proprietates ſe habent, ut cauſatum, principiatum, perficiens, perfectivum, actus, & actuale, ergo, &c.

Reſpondeo diſt. anteced. Abſtrahit à principio, &c. phyſicè, & rigoroſè, conc. anteced. metaphyſicè, neg. anteced. & conſequ. Nam eſſentia, ſeu ſubjectum in rigore, & phyſicè non eſt cauſa, nec principium, nec potentia, nec perfectibile reſpectu ſuarum paſſionum, quia non diſtinguitur realiter ab eis, ideò non facit propriam compoſitionem cum eis. Eſſentia eſt primaria rei perfectio, proprietas eſt ſecundaria, & ad illam pertinet in ſecundo modo dicendi per ſe, & inter ſe.

CONCLUSIO II.

P*Roprietates entis ab illo diſtinguuntur formaliter ex natura rei.* Eſt Doct. [1] cum ſuis.

Prob. 1. ex Scoto [2] mox citato in objectione. Nam continentia *unitiva non eſt eorum, quæ omninò ſunt idem, quia illa non uniuntur, ſed ens continet iſto modo, id eſt unitivè multas paſſiones, quæ non ſunt aliæ ab ipſo ente, ut probat Ariſt. diſtinguuntur tamen formaliter, & quidditativè inter ſe, & etiam ab ente: formalitate, dico, reali, & quidditativa,* &c. ergo, ex Scoto, proprietates entis diſtinguuntur formaliter ex natura rei.

Prob. 2. ex dictis ſuprà de diſtinctione entis à ſuis differentiis, modis, & proprietatibus: item ex iis rationibus, quibus ſolet aſtrui diſtinctio iſta inter gradus metaphyſicos. Nam ens eſt ſeorſim conceptibile ſine ſuis paſſionibus, & paſſiones ſine ipſo: conceptus

[1] *ibid.*
[2] *4. metaph. Conc. 3. & 5.*

Digitized by Google

ceptus enim quidditativus unitatis non eſt formaliter conceptus entis , nec illud includit , ſaltem directè, ut patebit infrà : & ens aliter concipitur , ut unum , aliter, ut verum , ergo, &c.

Prob. 3. Niſi proprietates entis ſic diſtinguerentur, non magis probaretur, eas eſſe proprietates entis, quàm eas ipſas eſſe earum proprietates : ſed hoc eſt abſurdum, ergo ſic diſtinguuntur. Prob. ſeq. Niſi enim de ſe , & ex natura rei eſſent aliter conceptibiles , quàm ipſum ens , quo fundamento dicerentur entis proprietates magis, quàm differentiæ illius conſtitutivæ , aut ipſiſſimus ejus conceptus.

Confirm. Nam fictio intellectus concipientis illas, ut diſtinctas , cùm non eſſent ex objecto ſic conceptibiles , nec diſtinctæ , non faceret , illas eſſe reipſa proprietates , ergo tales ſunt de ſe , & à parte rei.

Prob. denique . Eadem eſt ratio definitionis earum à ſuo objecto , & inter ſe , ac de aliis proprietatibus : ſed aliæ proprietates ſic diſtinguuntur tàm à ſubjectis , ſeu eſſentiis, quàm inter ſe , ergo & iſtæ. Prob. mi. Nam riſibilitas, v.g. ſic diſtinguitur ab eſſentia hominis, & ab admirativitate , quæ eſt altera ejuſdem proprietas , ergo, &c.

Objic. 1. Ens , ut ens , abſque ullo ſuperaddito à parte rei habet, quidquid ei neceſſarium eſt , ut ſit *unum* , *verum* , *bonum* , ergo illa attributa entis non diſtinguuntur ex natura rei ab ente. Prob. ant Nam abſque ullo ſuperaddito habet veram , & unam eſsentiam , ergo eſt unum , & verum abſque ullo ſuperaddito.

Reſp. diſt. ant. Abſque ſuperaddito realiter diſtincto , conc. ant. abſque addito formaliter diſtincto , neg. ant. & ſimiliter diſtinguo ant. probationis. Habet unam , & veram eſsentiam per unitatem realiter indiſtinctam, conc. ant. formaliter, neg. ant. Unitas, & veritas realiter ſunt idem eſſentiæ entis , non verò formaliter.

Inſtabis . Conceptus entis præciſè à quavis formalitate eſt in ſe indiviſus , ergo & unus . Idem eſt de veritate.

Reſp. Præciſa formalitate realiter ſuperaddita , conc. ant. formaliter ex natura rei , neg. ant. Nam, præciſa unitate , veritate , & bonitate , ens eſt purè ens,

Digitized by Google

ens, non autem verum, nec unum, nec bonum, nec multa, nec falſum, nec malum; ſicut equinitas, præciſa ſingularitate, eſt tantùm equinitas, ut diximus in Logica.

Inſt. 2: Ens præciſa veritate eſt intelligibile, ergo & verum. Patet ant. Quia habet eſſentiam, ac ſecundum illam intelligitur, ac deſcribitur. Prob. conſeq. Nam intelligibilitas, & veritas idem ſunt, ergo, præciſa veritate diſtincta, ens eſt verum, ergo veritas non diſtinguitur ab ente ullo modo, ſaltem à parte rei, ergo idem eſt de aliis proprietatibus: eſt enim eadem ratio de omnibus.

Reſp. neg. conſeq. & rationem ejus, de quo in libris de anima, ubi de objecto intellectus. Pro nunc ſufficiat dicere, quòd ens, ſub ratione entis, eſt objectum intellectus, non autem ſub ratione veri.

QUÆSTIO III.

Quæ, & quot ſint paſſiones entis.

PAſſiones entis Scotiſtæ dividunt in ſimplices, & complexas, ſeu disjunctivas. Priores ſunt, quæ unico, & ſimplici termino ſignificantur, ut *unum*, *verum*, & *bonum*, poſteriores ſunt, quæ enti conveniunt disjunctivè, & complexis terminis ſignificantur, ut *actus*, vel *potentia*; *idem*, vel *diverſum*; *contingens*, vel *neceſſarium*, &c. Quidam addunt alias, quæ vel per denominationem extrinſecam exprimuntur, ut eſſe *intelligibile*, *appetibile*, *ſignificabile*, *menſurabile*, *aſſimilabile*, *adæquabile*, &c. Item alias, quæ ſignificantur per modum negationis, aut relationis rationis. Quærimus hìc, quænam ſint veræ, ac propriæ paſſiones entis.

CONCLUSIO.

P*Roprietates entis ſimplices ſunt tres præcipuæ, & non plures*, ſc. unum, verum, bonum, & *præter iſtas dantur etiam disjunctivæ aliquot*. Ita Scotiſtæ, & alii.

Prob. 1. ex Scoto, & Ariſtot. [1] quoad utramque par-

[1] 5. *Metaph. c. 2. n. 9.*

Digitized by Google

partẽ. Paſſiones entis ſunt in duplici genere, *quædam ſunt unicæ*, ſeu ſimplices, *quæ uno nomine deſignantur*, *& iſtæ ſimpliciter ſunt convertibiles cum ente*; *quædam ſunt disjunctivæ*, *quæ disjunctis nominibus deſignantur*, *& hæ non ſunt ſimpliciter convertibiles cum ente*, *ſed ſub disjunctione*, *per quam disjunctionem circumloquimur unam paſſionem entis innominatam*, *nomine proprio*. Exemplum primi, *unum*, *bonum*, & *verum*. Exemplum ſecundi, *idem*, vel *diverſum*, *contingens*, vel *neceſſarium*, *actus*, vel *potentia*. Vides concluſionem aſſertam ex Philoſopho, & Scoto.

Prob. 2. quoad primam partem. Nam unitas, bonitas, & veritas habent omnes conditiones veræ proprietatis ſupra deſcriptas, ergo, &c. Prob. ant. Nam 1. addunt aliquid ſupra conceptum purum entis, quod non eſt de illius quidditate, 2. ex illius eſſentia manant; & 3. cum illo convertuntur, ergo ſunt veræ proprietates.

Prob. 3. & maximè quòd tot ſint, & non plures. Quidquid ab ente manat, vel eſt indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio, & eſt *unum*; vel eſt conforme ſuis principiis, & eſt *verum*; vel integrum, ſeu perfectum eſt, & eſt *bonum*, nec quidquam deſiderari poteſt ad perfectionem entis ſupra eſſentiam ejus, quod ad unum ex his non reducatur, ergo, &c.

Prob. 4. quòd non ſint plures. Nam illæ eſſent *res*, & *aliquid*; ſed neutrum eſt verè paſſio diſtincta formaliter ab ente, &c. Maj. patet, quia ſolent vulgo numerari ſic proprietates, ſc. *res*, *ens*, *aliquod*, *unum*, *verum*, & *bonum*, quæ hac voce per primas litteras exprimuntur: r. e. u. b. a. v.

Prob. mi. Nam *res*, & *aliquid*, ut jam præmonuimus, ſunt ſynonyma cum ente. *Res*, v.g. non prædicatur de ente in *quale*, nec per modum attributi, ſed propoſitione prorsùs identica; & exprimitur ſubſtantivè, non verò adjectivè, ut *unum*, *verum*, & *bonum*, ergo, &c. Idem eſt de *aliquid*; nam ſumptum abſolutè, & ſimpliciter ſine addito, ſignificat omne id, quod non eſt nihil, ſeu quod eſt *res*, ſeu *ens*, & ſic eſt ſynonymum cum illis, ergo nec res, nec aliquid ſunt veræ proprietates entis, ſed ſunt ipſiſ-

ſimum

Digitized by Google

ſimum ens formaliter ſub diverſis nominibus.

Dices. *Ens* ſumitur ab eſſendo, & involvit actualem exiſtentiam, *res* verò præſcindit ab exiſtentia, ergo *res*, & *ens* differunt.

Reſp. neg. ant. Tàm enim *ens* præſcindit ab exiſtentia, quàm *res*, & ſi hoc eſſet, potiùs ens eſſet proprietas rei, quàm res entis, quia *ens* ſuperadderet exiſtentiam, quam *res* non involvit.

Prob. 2. pars. Quia certum eſt, quòd præter prædictas ſimplices paſſiones, quę abſolutè, & determinatè omni enti conveniunt, reperiuntur aliæ, quæ conveniunt etiam omni enti disjunctivè: nam omne ens eſt idem, vel diverſum; vel finitum, vel infinitum.

Objic. 1. *Unum, Verum*, & *Bonum*, conveniunt negationibus, quæ ſunt nihil, & entibus rationis, ergo non ſunt proprietates entis realis. Prob. ant. Ens rationis habet unitatem ſibi proportionatam: chimæra eſt unum quid. Idem eſt de negatione Dei, ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & ad probationem dico, quòd, ſicut ens rationis non dicitur propriè ens, ita nec *unum*, nec *verum*, nec *bonum*. Quantum ad negationes, habent etiam entis qualitates proportionatas, ſc. negativas.

Inſtabis. Ex Ariſtotele eædem ſunt paſſiones entis, & *unius*, ergo *unum* non eſt paſſio entis; nam ſubjectum, & paſſio non habent eaſdem affectiones.

Reſp. neg. conſeq. Nam, ut ait Doctor in illum textum, licèt *unum* ſit verè paſſio entis, tamen Philoſophus dicit, eaſdem eſſe paſſiones entis, & *unius*, quia unum eſt prima paſſio, & immediatiùs adhærens ipſi enti, mediante qua inſunt ipſi omnes aliæ paſſiones: & ideò quodammodò habet rationem ſubjecti reſpectu aliarum.

Objic. 2. *Res*, & *aliquid*, ſunt verè paſſiones entis, ergo ſunt plures, quàm tres enumeratæ in concluſione. Prob. ant. Illud eſt proprium enti, quod ſoli, & omni enti ineſt, ac de illo dicitur convertibiliter, ſed *res*, & *aliquid* ſic ſe habent, ergo ſunt veræ paſſiones entis.

Reſp. neg. ant. & ad probat. ejus dico, illa dici con-

Digitized by Google

convertibiliter, tanquam Synonyma, non tanquam proprietates ſuperadditas, & manantes ab eſſentia entis.

Inſt. *Pulchrum*, & *perfectum* ſunt proprietates entis, ut ſic, æquè ac *bonum*, ergo illa enumeratio non eſt ſufficiens. Prob. ant. Omne ens in ſuo ordine eſt *pulchrum*, & *perfectum* æquè, ac *bonum*, ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Proprietates coincidentes cum bonitate primaria, conc. ant. Proprietates diſtinctæ, neg. ant. utrumque. *Pulchrum* enim, & *perfectum* nihil dicunt præter integritatem omnium, quæ naturæ entis conveniunt, & ſic coincidunt cum primaria bonitate, quæ eſt modus intrinſecus entis. Ideò vulgare axioma dicit: *pulchrum, & bonum convertuntur*. Vel ſi quid aliud dicunt, neg. ant. non enim ſunt proprietates, ſed accidentia; pulchritudo enim dicere poteſt omnium partium integritatem, ac proportionem cum debito nitore: & in hoc ſenſu non convenit enti, ut ſic, quia non habet partes illas.

Objicies 3. *Durare*, & *eſſe alicubi*, conveniunt omni enti, & ſoli, ergo ſunt aliæ proprietates entis.

Reſp. diſt. ant. Omni enti phyſico, & exiſtenti, conc. ant. enti Metaphyſico, & præſcindenti ab exiſtentia, neg. ant. & conſeq. Et præterea duratio non diſtinguitur ab exiſtentia, & realiter pertinet ad prædicamentum *ubi*, & ſic non ſunt proprietates entis, ut ſic. De exiſtentia autem dicemus ſuo loco.

Objic. contra 2. partem. Illæ proprietates disjunctivæ ſunt modi intrinſeci, & diviſivi entis, ut ſic, ergo non ſunt proprietates, ſed differentiæ, ſeu quaſi differentiæ. Prob. ant. Ens dividitur in *infinitum*, & *finitum*, in *actuale*, & *potentiale*, in *neceſſarium*, & *contingens*, ergo ſunt differentiæ, non verò proprietates.

Reſp. diſt. ant. utrumque. Illæ proprietates, ſcil. finitum, & infinitum, &c. materialiter ſunt diviſivæ entis, & ens de illis prędicatur *in quid*, conc. ant. formaliter, nego ant. Igitur ens verè dividitur in *finitum*, & *infinitum*, *neceſſarium*, & *contingens*;

ſed

Digitized by Google

ſed *unitas*, *infinitas*, *diverſitas*, &c. formaliter conſideratæ, ſunt proprietates convenientes enti.

Inſtabis. Iſtę reducuntur ad ſimplices, ergo non ſunt diverſæ ab illis. Prob. ant. Nam *idem*, & *diverſum* reducuntur ad unum, illud enim eſt indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio, ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & rationem ejus. Nam ex dicendis infrà de unitate conſtabit, diverſitatem non ſpectare ad unitatem.

Inſtabis 2. Illæ proprietates ſpectant ad diverſa prædicamenta, ergo non ſunt proprietates entis, ut ſic. Conſeq. eſt evidens. Quod enim pertinet ad ens, ut ſic, eſt tranſcendens ad omnia prædicamenta. Prob. ant. *Idem*, & *diverſum* ſpectant ad prædicamentum ſubſtantiæ: *unum*, & *multa* ad quantitatem, ſeu numerum, ſicut *æquale*, *& inæquale*, *ſimile*, *& diſſimile* ad qualitatem, ergo ſpectant ad diverſa prædicamenta,

Reſp. diſt. ant. Illæ proprietates in ſtrictiori ſignificatione, conc. ant. in latiori ſignificatione, neg. ant. utrumque. Nam, ut docet Scotus, [1] quodcunque ens eſt in ſe quid, & habet in ſe aliquem „ gradum determinatum in entibus; & eſt forma, „ vel habens formam: & ſecundum hoc, ſicut poteſt conſiderari quodcunque ens, ita etiam ſuper „ ipſum poteſt fundari triplex relatio communiter „ ſumpta: *identitas* ſuper quodcunque ens, inquantum eſt *quid*, & *æqualitas*, *vel inæqualitas*, ſuper quodcunque ens, inquantum habet magnitudinem aliquam perfectionis, quæ dicitur quantitas virtutis. *Similitudo* autem, vel *diſſimilitudo* poteſt fundari ſuper quodcunque ens, inquantum eſt quale, & qualitas quædam... & hoc modo communiter, & non ſtrictè accipiendo iſtas „ relationes communes, dicit Philoſophus, quòd „ omne ens, omni enti comparatum, eſt *idem* „ vel *diverſum*, &c.

[1] *d.* 19. *q.* 1. *n.* 3.

Digitized by Google

QUÆSTIO IV.

An, & quomodò paſsiones entis poſsint de illo demonſtrari.

DIximus, Metaphyſicam eſſe ſcientiam (& de ratione ſcientiæ eſſe, ut demonſtret paſsiones de proprio ſubjecto) & ens, quod eſt objectum ejus, habere paſſiones, quæ ſunt *unitas*, *veritas*, & *bonitas*, videndum, an illæ poſſint demonſtrari de ipſo, & hoc ſuppoſuimus fieri poſſe in prima diſputatione.

CONCLUSIO I.

P*Aſſiones entis ſunt demonſtrabiles*. Ita Scotiſtæ multi poſt Doctorem.

Prob. 1. ex Scoto, [1] & Ariſt. Quia Metaphyſica *eſt ſcientia, quæ ſpeculatur ens, inquantum ens, & quæ huic inſunt ſecundum ſe, id eſt, proprias paſſiones, quæ per ſe inſunt enti, inquantum ens. Ratio eſt, quia ens, inquantum ens, & paſſiones entis, ut ſic, non ſunt de ſe nata deſperata cognoſci, ergo poſſunt cognoſci, & cognoſcuntur ab aliqua ſcientia, &c.* ſed neque ens, neque paſſiones ejus cognoſcerentur ſcientificè, niſi illa poſſent utcunque demonſtrari, ergo poſſunt demonſtrari. Item *oportet cujuslibet objecti eſſe principia, per quæ demonſtrentur paſſiones ejus de eo, ex quibus principiis, tanquam ex mediis demonſtrationis formantur principia complexa ... hoc modo cujuslibet ſubjecti poſſunt eſſe principia, quantumcunque imprincipiati reſpectu ſuarum paſſionum*. Item, *præter ſcientias ſpeciales oportet eſſe aliquam communem de Ente, in qua tradatur cognitio paſſionum de Ente*: ſed illa cognitio non eſſet ſcientifica, niſi fieret per demonſtrationem, ergo ex Scoto, paſſiones entis ſunt demonſtrabiles.

Prob. 2. Quia Metaphyſica debet habere aliquas demonſtrationes circa ſuum objectum, ſed niſi paſſiones entis eſſent demonſtrabiles, nullas poterit habere demonſtrationes, ergo debent eſſe demonſtrabiles.

[1] *In prol. Metaph. n. 5. q. 3. prol. n.* 18

les. Major patet ex dictis de ſcientia in Logica ,& ab initio hujus tractatus. Probatur min. Nam non apparet, quænam aliæ demonſtrationes poſſent haberi circa ens, ut ſic, niſi de paſſionibus ejus.

Prob. 3. Præcipua conditio ſcientiæ eſt , ut per definitionem ſubjecti illius demonſtrentur de eo paſſiones propriæ: ſed ſubjectum Metaphyſicæ eſt ens , ut ſic : & Metaphyſica eſt ſcientia, ut probatum eſt, ergo propriæ paſſiones entis poſſunt de illo demonſtrari per illius definitionem,ſeu quidditatem talem, qualis poteſt de illo haberi. Quod addo , ne dicatur ens non poſſe definiri , quia eſt conceptus ſimpliciter ſimplex. Nam ſufficit , ut explicari poſſit ejus quidditas per terminos notiores concluſione, ut accidit in omnibus tranſcendentibus propter eorum ſimplicitatem.

Prob. 4. Nam de facto unitas , v. g. poteſt ſic demonſtrari. *Quod ſeparat ens à nihilo, conſtituit illud indiviſum in ſe , & diviſum à quolibet,qnod non eſt ens , & ſic facit unum :* ſed *ratio entis per ſe primò illud dividit à nihilo, & facit illud indiviſum in ſe ;* quia idem non poteſt eſſe ſimul , & non eſſe , ergo *ratio entis facit illud unum* . Totum hoc argumentum eſt evidens,& neceſſarium.

Objicies 1. Paſſiones entis deberent demonſtrari vel à priori per definitionem ſubjecti , vel una per aliam , ſcilicet poſteriores per priores : ſed neutrum dici poteſt , ergo non poſſunt demonſtrari. Prob. min. quoad primum. Nam demonſtratio debet eſſe ex notioribus , & maximè per definitionem ſubjecti : ſed ens non eſt definibile , ergo ejus paſſiones non poſſunt per definitionem demonſtrari. Probatur minor. Quia vera definitio datur per verum genus , & per veram differentiam : ſed ens non habet verum genus , nec differentiam , ergo, &c. Prob. eadem minor quoad 2. partem . Nam , ut una paſſio entis demonſtretur, ſc. poſterior per priorem , debet eſſe aliquis ordo prioris , & poſterioris inter illas, & illa prior debet eſſe per ſe nota : ſed inter paſſiones entis non datur ille ordo , nam æquè immediatè fluunt ab ente , ergo una per aliam demonſtrari non poteſt, ergo non ſunt demonſtrabiles.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. n.min.maximè quoad 1. partem, & diſt.min. probationis. Non datur definitio entis rigoroſa, conc. min. propter rationem allatam: non datur definitio, id eſt, proprius *conceptus* quidditativus, & ſatis evidens ad demonſtrationem, neg. min. & conſeq. Nam ad demonſtrationem, in tranſcendentibus, quæ propter ſummam ſimplicitatem non habent genus, nec differentiam, ſufficit, ut eorum quidditas poſſit explicari terminis clarioribus ipſa incomplexè propoſita; ita ut connexio extremorum cum medio in majori, & minori ſit evidens, & notior connexione eorundem extremorum in concluſione.

Objic. 2. Scotus docet, paſſiones entis eſſe indemonſtrabiles: *paſſiones entis*, inquit, *convertibiles, ut communius immediatè dicuntur de ente, quia ens habet conceptum ſimplicem: & ideò non poteſt eſſe medium inter ipſum, & paſſionem, quia neutrius eſt definitio*, quæ poſſit eſſe medium, ergo, ex Scoto, paſſiones entis non ſunt demonſtrabiles.

Reſpondeo neg. conſeq. Nam Scotus ibi loquitur de propria, & rigoroſa definitione, quam dicit, non poſſe haberi neque de ente, neque de primis ejus paſſionibus propter eorum ſimplicitatem. Unde Lychetus in commentario hujus loci dicit, demonſtrationem de paſſionibus entis haberi per ipſam entitatem ejus, non per definitionem propriam, & rigoroſam.

Objic. 3. Demõſtratio debet eſse ex propriis principiis, non autem ex communibus: ſed illa, qua probarentur proprietates entis, non eſset ex propriis, ſed ex communibus, ergo non eſset demonſtratio. Patet maj. ex dictis in Logica, & ex omnium conſenſu. Prob. min. Quia quidditas, ſeu entitas, quæ eſt medium ad tales probationes, eſt communis omnibus illis paſſionibus, ſc. unitati, veritati, bonitati, & aliis omnibus complexis, ergo non poteſt eſse ex propriis principiis.

Reſp. diſt. maj. Ex propriis, ideſt, ex principiis, quæ ſunt cauſæ per ſe, & immediatæ, & neceſsariæ paſſionis concluſionis, ſeu connexionis extremorum, conc.maj. ideſt, ut illa principia non ſint communia pluribus paſſionibus ejuſdem rei, neg. maj. Ad min. dico,

Digitized by Google

dico, entitatem, ſeu quidditatem entis eſse quidem cauſam immediatam, neceſſariam, & per ſe proprietatum entis, & ideò poteſt eſſe medium ad illas demonſtrandas eo modo tamen, quo entis, & illarum natura patitur.

Inſt. Si eſsent demonſtrabiles, de facto demonſtrarentur, ſed nullo modo extat earum demonſtratio, ergo non ſunt demonſtrabiles.

Reſp. neg. maj. Nec enim neceſſe eſt, ut de facto exiſtat, quidquid poſſibile eſt: nos de poſſibilitate ex natura rei loquimur, non de facto. Unde licèt pro noſtra debilitate, quæ non patitur nos cognoſcere clarè, & diſtinctè quidditates rerum, non poſſimus habere de omnibus ſcibilibus veras demonſtrationes, non ſequitur, quin de ſe ſcibiles ſint, & demonſtrabiles.

QUÆSTIO V.

De unitate, an ſit proprietas entis: quid addat ſupra ensi ſeu, in quo conſiſtat formaliter.

JAm vidimus, unitatem eſse unam, & primam ex proprietatibus entis. Iterùm id examinamus in particulari, & quærimus, quid formaliter illa importet, & ſuperaddat entis conceptui formali.

Suppono autem, unum communiter deſcribi, *id, quod eſt indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio*, & ſic *unitas* importat duplicem negationem, ſcilicet diviſionis rei in ſe, & unionis cum alio, ſeu importat negationem diviſionis rei in ſe, & aſsertionem diviſionis ejuſdem rei ab alia diſtincta. *Unitas* autem triplex eſt. 1. *Tranſcendentalis*, quæ convertitur cum ente, ut ſic, eſtque *id, quo ens eſt indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio*. 2. *Formalis*, quæ ſequitur naturam communem pluribus, & per quam illa natura redditur *indiviſa in ſe, & diviſa ab omni alia natura, & diviſibilis in plura inferiora ſpecie, vel numero diſtincta, quæ illam participant*. 3. *Individualis*, per *quam natura redditur ſingularis, & indiviſibilis in plura inferiora numero diſtincta, quorum quodlibet ſit ipſum;* ut Petreitas, quæ notat humanitatem prorsùs indiviſibilem in plures homines numero diſtin-

ſtinctos, quorum quilibet ſit homo: de formali diximus in Logica, de individuali dicemus ſuo tempore, de tranſcendentali hîc agimus, & quærimus, an ſit vera proprietas entis incomplexa, & adæquata, ita ut conveniat omni enti, & de illo dicatur convertibiliter. 2. In quo conſiſtat ratio formalis ejus, ſeu quid illa addat ſupra conceptum entis, num puram negationem, vel privationem, an quid poſitivum.

CONCLUSIO I.

UNitas tranſcendentalis eſt vera proprietas ſimplex, & adæquata entis, ut ſic. Ita Doctor, & alii.

Prob. ex Scoto, & Philoſopho, [1] quem refert dicentem, quòd ens, & unum ſunt idem natura, quia conſequuntur ſe ad invicem, ut principium, & cauſa, ſed non ut oſtenſa una ratione, additque, quòd *ens, & unum ſunt idem, quia habent identitatem realem, & diſtinctionem rationum realium ex natura rei.* Item docet cum eodem, [2] *quòd ens, & unum æqualiter de omnibus prædicantur*: ergo unum convertitur cum ente, & cum illo tranſcendit omnia, & per conſequens unum eſt proprietas adæquata, & ſimplex entis, ut ſic. Idem quodammodò ſignificat ens, & unum: æqualiter ſequitur prædicamenta, & in nullo eſt, inquit Philoſophus. [3]

Prob. 2. Unum convenit omni enti, & ſoli, & ſemper: ſed, quæ ſic conveniunt, ſunt proprietates adæquatæ, ergo unum eſt proprietas adęquata entis. Min. patet ex dictis in Logica. Maj. verò conſtat ex citatis textibus Ariſtotelis, & Doctoris Subtilis, & prob. ratione. Nam omne ens vel eſt ſimplex, vel compoſitum: ſi ſimplex, habet unitatem ſimplicitatis, qua redditur indiviſum in ſe, & indiviſibile etiam in plures partes, vel conceptus: ſi eſt compoſitum, habet unitatem compoſitionis, qua aliquid fit unum per ſe compoſitum ex actu, & potentia, ergo unitas convenit omni enti, & ſemper. Quòd autem ſoli conveniat patet, quia entia rationis, cum non ſint verè entia, ſed fingantur inſtar entium, ita non habent veram unita-

[1] 4. *metaphyſic. cap. 2. num. 9.*
[2] 10. *metaph. tex. 7. n. 21.* [3] *ibid. tex. 8. n. 25.*

Digitized by Google

tatem, ſed fictam ad inſtar entis realis, ergo veritas ſoli enti reali convenit.

Prob.3.Hæc propoſitio: *ens eſt unum*, eſt neceſſaria, ita ut aliter non poſſit ſe habere, ergo unitas illa eſt vel de quidditate entis,vel proprietas ejus:ſed non eſt prædicatum quidditativum, ergo accidentale proprium. Prob. ſubſumptum. Quia unitas non ingreditur definitionem,ſeu rationem, & conceptum quidditativum entis, ergo, &c. Prob. anteced. Ens enim, prout in ſe concipitur ſecundum eſſentiam, definitur id, cui non repugnat realis exiſtentia: ſed in illa definitione, vel conceptu nulla fit mentio de unitate, ergo, &c.

Objic.1. Unitas, & multitudo dividunt ens, ergo unitas non convenit omni enti, ſed tantùm parti entium, ſicut rationale non convenit omni animali, ergo unitas non eſt proprietas ſimplex, & adæquata, ſed tantùm compoſita, & diviſiva. Anteced. patet. Nam hæc propoſitio eſt vera, & neceſſaria: *omne ens eſt unum, aut multa*. Prob. conſeq. Nam unum, & multa opponuntur contrariè, & involvunt contradictionem, ergo non poſſunt verificari ſimul de eodem.

Reſp. 1. neg. antec. & probationem ejus. Hoc [1] enim ipſo, quòd dicis ens, dicis unum, & cùm dicis multa, dicis entia: ideò *unum*, & *multa* in ſenſu,quo hìc loquimur, opponuntur, ſicut *ens*, & *entia*. Non eſt igitur vera diviſio entis, ut ſic, ſed ſimilitudinaria, & materialis.

Reſp. 2. illam diviſionem eſſe propriè *entis quanti*, ſeu de prædicamento quantitatis, non verò entis, ut ſic. Unitas, prout ſpectat ad *ens quantum*, eſt principium numeri, & multitudo illi oppoſita eſt numerus ipſe conſtans ex collectione unitatum, & ipſemet numerus, prout eſt ens, habet unitatem tranſcendentalem illi correſpondentem: & in hoc ſenſu *unum tranſcendentale*, & *multa* non opponuntur, ipſamet enim multitudo eſt unum, ſicut eſt ens, ſeu una multitudo.

Objic. 2. Proprietas eſt poſterior ſubjecto, cujus eſt proprietas: ſed unitas non eſt poſterior ente, ergo non eſt proprietas entis. Maj. patet. Nam proprietas manat

[1] *Scot.4.metaph.qu.2.n.14.*

Digitized by Google

manat ab eſſentia ſui ſubjecti. Prob. mi. Ens non poteſt eſse conſtitutum in ſua eſſentia, niſi ſit unum, ergo unitas non eſt poſterior ente in ſuo eſſe conſtituto.

Reſp. neg. min. & ant. probat. Nam eſsentia eſt principium unitatis, & ideò prior illa, & quidem prioritate naturæ.

Inſt. 1. In illa prioritate ens vel eſt unum, vel multiplex: ſi unum, ergo ens non eſt prius uno, & habetur intentum; ſi multiplex, ergo non poteſt reddi unum, quia multitudo eſſet de eſſentia entis, & non poſſet tolli per proprietatem ſupervenientem.

Reſp. ens in illo priori nec eſſe unum formaliter, nec plura; ſicut homo in illo priori, quo ab ejus eſſentia fluit riſibilitas, nec eſt riſibilis, nec irriſibilis: ens igitur in illo priori, quo unitas ab ejus eſſentia fluit, eſt tantùm ens præſcindens ab *unitate*, *veritate*, & *bonitate*, & ab omni alia entitate, quæ non eſt ejus eſſentia.

Objic. 3. Unitas non convertitur cum ente, ergo non eſt ejus paſſio adæquata. Prob. ant. Unitas convenit modis intrinſecis, & ultimis differentiis: ſed modi, & ultimæ differentiæ non ſunt entia, ergo convenit aliis ab ente, ergo non convertitur cum ente.

Reſp. neg. ant. & diſt. maj. prob. Unitas convenit modis realiter, & identicè, conc. maj. formaliter, neg. maj. & diſt. min. Modi non ſunt entia formaliter, conc. min. realiter, & identicè, neg. min. Eodem igitur ſenſu unitas convenit modis, & differentiis ultimis, quo ſunt entia: ſunt autem entia realiter, & identicè: hi ſunt unum realiter, & identicè.

Objic. 4. Non mutata entitate mutatur unitas, ergo unitas non convertitur cum ente. Prob. ant. Eadem entitas de una poteſt fieri non una, ergo, non mutata entitate, mutatur unitas. Prob. ant. Si ſeparentur partes quantitatis bipalmaris, remanet eadem quantitas, & ejus unitas mutatur; nam ceſſat eſſe una quantitas, & evadit duplex, ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Mutatur unitas quantitativa, conc. ant. entitativa, neg. ant. 1. 2. & 3. Nam manet ſemper eadem quantitas eſſentialiter, & unitas entitativa

Digitized by Google

illi correſpondens, quamvis mutetur unitas quantitativa, quæ conſiſtit in terminatione unius quantitatis per propria indiviſibilia.

CONCLUSIO II.

Unitas tranſcendentalis importat formaliter, & primariò aliquid poſitivum, formaliter ex natura rei diſtinctum ab eſſentia Entis, ſecundariò verò negationem diviſionis entis in ſe. Eſt Doctoris, & ſuorum magis communiter.

Prob. ex Scoto, [1] & Philoſopho, *Si quis dixerit, quòd multitudo componitur ex rebus, quæ non ſunt unitates, ſicut ex omnibus, dicemus, quòd hæ res non ſunt unitates, ſed res ſubjectæ unitatibus; ſic etiam non ſunt multitudo, ſed res ſubjectæ multitudini*, ergo unitas, quæ eſt per ſe pars multitudinis, eſt aliquid poſitivum.

Confirm. Privatio nullam perfectionem ponit; ſed „ unitas ponit. Quod probatur, quia in quolibet „ perfectius eſt ipſum, quàm non ipſum, & omnia „ reducuntur ad ſummum unum; tum quia priva„ tio non ſuſcipit magis, & minus; aliquid autem „ eſt magis unum alio, ut ſimplex eſt magis unum compoſito. Item diviſibilitas in partes ſubjectivas, quæ eſt unitas individualis, conſiſtit in poſitivo, non verò in duplici negatione; neceſſe eſt, inquit, per aliquid poſitivum intrinſecum huic ſubdi, tanquam per rationē propriam repugnet ſibi dividi in partes ſubjectivas. Concedit quidem, [2] unitatem importare duplicem negationem diviſibilitatis, ſed hoc ſecundariò, non primariò, quia non ſequitur, quòd non habeat aliquam cauſam poſitivam, per quam inſit ei illa duplex negatio.

Quantum autem ad diſtinctionem formalem ex natura rei inter unitatem, & ens, patet ex textu allegato in prima concluſione. Nam, cùm dixiſſet poſt Ariſtotelem, quòd unum, & ens ſunt idem, addit, quod dupliciter aliqua dicunt eandem naturam, *uno modo, quia habent identitatem realem, & diſtinctionem rationum realium ex natura rei, & hoc primo modo ens, & unum ſunt idem, &c.*

Prob.

[1] *Lib. 4. Metaph. q. 2. n. 13.* [2] *In 2. d. 3. q. 2. n. 4.*

Digitized by Google

Prob. 2. Nam, ut docet Scotus citatus, illa negatio diviſionis fundatur in aliquo poſitivo: ſed illud poſitivum non eſt formalis ratio entis, ergo eſt ipſa unitas. Patet major. Quia omnis negatio neceſſaria, & inſeparabilis fundatur in aliquo poſitivo; illa autem negatio diviſionis entis in ſe eſt inſeparabilis, & neceſſaria. Prob. min. Formalis ratio entis fundat immediatè negationem repugnantiæ ad exiſtendum, quæ negatio eſt prior unitate, ergo unitas formalis non fundatur immediatè in formalitate entis.

Confirm. Quia ratio entis reperitur in multitudine, ergo non eſt immediatum fundamentum unitatis, ſeu indiviſionis. Patet ant. Tàm enim multitudo exiſtit, vel exiſtere poteſt, quàm unum; uno verbo, ens formaliter, & ex ſe præſcindit ab unitate, & à multitudine, ergo ex ſe formaliter non fundat unitatem, ergo illa conſiſtit primariò in aliqua entitate poſitiva.

Prob. 3. ex eodem. Quod importat perfectionem, & ſuſcipit magis, & minus, non eſt pura negatio, eſt quid poſitivum: ſed unitas importat perfectionem in ente, & ſuſcipit magis, & minus, ergo non eſt pura negatio. Major eſt vera. Nam negationes, & privationes præciſè non dicunt perfectiones, nec ſuſcipiunt magis, & minus, niſi ratione formæ, quam negant. Prob. min. Nam in quolibet ente melius eſt eſſe unum, quàm non unum, ſeu quàm non eſſe, quia non poteſt eſſe, niſi ſit unum, unde ſumma unitas tribuitur ſummo enti, ergo unitas dicit perfectionem, & ſuſcipit magis, & minus, ergo non conſiſtit in pura negatione, vel privatione.

Dices, unitatem importare perfectionem ratione fundamenti ejus, quod eſt ipſum ens.

Contra 1. Unum formaliter eſt paſſio entis ratione alicujus ſuperadditi ad ens, in quo fundatur, alioqui ipſummet ens eſſet ſua paſſio: ſed illud ſuperadditum non poteſt dicere perfectionem, niſi ſit poſitivum, aut ſi ſit pura negatio, ergo illud fundamentum debet eſſe quid poſitivum.

Contra 2. Quia ens, quod ſupponitur fundamentum illius perfectionis, non ſuſcipit magis, & minus:

nam propriè, & rigorosè loquendo, unum ens non eſt magis ens alio in ratione præciſa entis, ergo ens non poteſt eſſe ratio formalis, in qua fundatur perfectio, quam importat unitas, &, quòd Deus ſit ſummè unus, non venit ex præciſa ratione entis, quandoquidem illa ratio eſt communis cum creatura, quæ non eſt ſummè una.

Confirmatur. Quia purum nihil non poteſt eſſe proprietas vera entis poſitivi : ſed pura negatio eſt purum nihil, & ens eſt quid poſitivum, ergo negatio non poteſt eſſe proprietas entis, ergo unitas dicit aliquid poſitivum præter illam negationem.

Probatur 4. Omnis proprietas realiter identificatur cum ſubjecto ſuo : ſed pura negatio non poteſt identificari cum ente poſitivo, ergo unitas non poteſt eſſe pura negatio. Maj. patet ex dictis omnium conſenſu. Prob. min. Nihil poteſt eſſe ſimul, & realiter ens, & nihil, nec poſitivum, & negativum : ſed ſi pura negatio identificaretur cum ente, quod eſt quid poſitivum, idem eſſet ſimul, & realiter ens, & nihil poſitivum, & negativum, ergo, &c.

Confirmatur. Nam hæ prædicationes in omnium conſenſu ſunt veræ: *ens eſt unum*, &: *unum eſt ens*, &: *unitas eſt ens*, & : *unum eſt ens*, ergo unum, ſeu unitas importat quid poſitivum. Prob. conſeq. Si enim unum, vel unitas importaret puram negationem, ſeu purum nihil, iſtæ prædicationes æquivalerent iſtis : *ens eſt nihil*, &: *nihil eſt ens*, ſeu: *non ens eſt ens*, quod eſt abſurdiſſimum, & implicans tàm in ſenſu identico, quàm formali.

Probatur 5. Nam unum, & multa, unitas, & multitudo opponuntur vel contrariè, vel contradictoriè : ſi contrariè, ut videtur docere Ariſtoteles, & multi docent, ergo tàm unitas, quàm multitudo conſiſtit in poſitivo : contrarietas enim eſt inter poſitiva; ſi contradictoriè, ſeu privativè, ut plures rationabiliùs cenſent, ergo unitas conſiſtit in poſitivo. Probatur conſeq. Nam multitudo in bono ſenſu dicit pro materiali entitates, v.g. lineas, lapides, guttas, & pro formali, negationem unitatis, ſive unionis, ergo, &c. Prob. ant. Nam, cum ex

quan-

Digitized by Google

quantitate una bipalmari fiunt duæ quantitates palmares, nihil reale de novo accidit præter diviſionem, ſeu diſtinctionem unionis continuitatis, ergo multitudo formaliter importat negationem, vel privationem unitatis.

Prob. 2. pars *de diſtinctione formali unitatis ab ente.* Quia ens in ſuo conceptu formali nihil dicit præter id, *cui non repugnat exiſtere*, & unitas in ſuo nihil dicit, niſi indiviſionem rei in ſe, & diviſionem à quolibet alio, ergo ens, & unitas ſunt formalitates ſeorſim conceptibiles, & quæ à ſe invicem præſcindunt, ergo diſtinguuntur formaliter ex natura rei.

Confirm. ex dictis ſuprà de diſtinctione entis à modis, & proprietatibus ſuis, &c.

Probatur 3. pars *de negatione ſecundariò importata.* Quia id commune eſt omnibus, quæ habent oppoſita, ut importent excluſionem oppoſitorum: ſed unitas opponitur multitudini, ſeu diviſioni, ergo importat negationem diviſionis. Antec. eſt ex Scoto, & Philoſopho. Nam in omnibus contrariis alterum habet privationem incluſam reſpectu alterius, quaſi conſequenter, & fundatam in poſitivo.

Probatur 2. Nam unitas ex ſuo formali conceptu dicit illud poſitivum, quod excludit diviſionem entis in ſe, ergo unitas importat negationem entis, quam invehit multitudo.

Objic. 1. contra 1. p. Ariſtotelem, Scotum, & alios explicantes communiter unitatem per indiviſionem: ſed hæc eſt negatio diviſionis, ergo unitas conſiſtit in negatione diviſionis.

Reſp. neg. ſuppoſitum, ſc. quòd id, per quod ſolet explicari aliquid, ſit ſemper formalis ratio ejus conſtitutiva; alioqui differentia conſtitutiva bruti eſſet negatio rationalitatis, quia exprimitur voce negativa, dum dicitur irrationale; ſic ſubſtantia eſſet ens negativum, quia explicatur per ens ineptum eſſe in alio, & ſic de cæteris. Sicut ergo vera ratio ſubſtantiæ, & ſimilium eſt quid poſitivum, quod exprimitur per terminos negativos, ita eſt de unitate.

Objicies 2. Multa plus dicunt, quàm unum, ergo multitudo conſiſtit in poſitivo, & unitas in

negativo. Probatur conſeq. Nam ſi multitudo diceret puram negationem unitatis, minus diceret, quàm unitas; plus enim eſt poſitivum, quàm negatio.

Reſp. diſt. ant. Multa plus dicunt materialiter, conc. ant. formaliter, neg. ant. Nam unitas dicit poſitivum formaliter, quod plus eſt, quàm negatio unitatis, ſed multitudo importat materialiter plura entia, plures unitates, &c.

Inſt. 1. Multitudo dicit diviſionem, & unitas indiviſionem: ſed diviſio eſt quid poſitivum, ergo indiviſio eſt quid negativum.

Reſp. diſt. min. Diviſio grammaticaliter, conc. min. philoſophicè, neg. min. Nam ſignificat ablationem, ſeu negationem unionis, ſeu continuitatis; unitas verò dicit unionis continuationem, quæ eſt quid poſitivum.

Inſt. 2. Non poteſt explicari, in quo conſiſtat illa entitas poſitiva, quam dicit unitas, ergo non eſt dicenda conſiſtere in poſitivo. Prob. ant. ex difficultatibus, quas patiuntur omnes modi explicandi talem formalitatem poſitivam, ergo, &c.

Reſp. neg. conſeq. Multa enim ſunt adeò exiguæ entitatis, ut non poſſint benè pro hoc ſtatu à nobis explicari, niſi per relationes, aut negationes, & tamen per rationem certum eſt ea exiſtere, & debere eſſe talis conditionis, ſcil. abſoluta, aut poſitiva.

Inſt. 3. Multitudo non eſt carentia, ſed potiùs repetitio realis entitatum poſitivarum, ſeu unitatum, ergo non dicit negationem, ergo unitas oppoſita multitudini dicit negationem. Prob. conſeq. Quia multitudo opponitur unitati.

Reſp. neg. conſeq. 1. Quia, ſi unitas eſſet formaliter negatio, multitudo eſſet repetitio negationum. 2. Quia pluralitas opponitur quidem unitati ſolitudinis, quia dicit ſocietatem quandam unitatum individualium, ſed non opponitur unitati traſcendentali, quæ excludit tantum diviſionem rei in ſe. Denique multitudo dicit repetitionem unitatum pro materiali, & pro formali dicit negationem unionis hujuſmodi entitatum.

Objic. 1. contra 2. p. Unitas prout diſtincta ab ente, eſſet

eſſet ens, vel non ens: ſed neutrum dici poteſt, ergo, &c. Prob. min. Si enim ſit ens, ergo non diſtinguitur ullo modo ab ente: ſi ſit non ens, ergo eſt pura negatio, non verò quid poſitivum.

Reſp. neg. min. Nam eſt ens non formaliter, ſed realiter, & identicè eſt quid entis, ut jam diximus ſuprà.

Inſt. 1. Habet aptitudinem, ſeu non repugnantiam ad eſſe, ergo eſt verè in ſe ens, etiam formaliter. Prob. conſeq. Nam ratio formalis entis conſiſtit in illa non repugnantia.

Reſp. diſt. ant. Aptitudinem, ſeu non repugnantiam ratione entis, cui realiter identificatur, & à quo fluit, conc. ant. ratione ſui præcisè, neg. ant. & conſeq. Nam ex ſe præcisè nec repugnantiam, nec aptitudinem dicit, ſed rationem indiviſionis, &c.

Inſtabis. Illud poſitivum diſtinctum eſſet unum, vel non unum: ſed neutrum dici poteſt, ergo, &c. Probatur min. Si eſſet unum, ergo per aliam unitatem ſimiliter diſtinctam, & ſic in infinitum: nam de iſta 2. idem quæreretur, & eſſet eadem ratio: ſi non unum, ergo non poſset facere ens eſſe unum, non enim dare poſſet, quod non habet.

Reſp. eſſe ipſam unitatem formaliter, & ſic nec eſt quid unum in concreto præcisè ab ente, nec plura, & certè id fateri debent adverſarii; nam, ſive unitas diſtinguatur ab ente per puram diſtinctionem rationis, ſive cum fundamento in re, ut volunt Thomiſtæ, ſemper currit contra utroſque argumentum; illa enim ratio per intellectum abſtracta eſt unum, vel non unum, & urgetur contra eos eadem ratio, niſi recurrant ad noſtram reſponſionem, quæ ſolida eſt.

Inſt. 3. Illud poſitivum ſic præciſum ab ente, in quo conſiſtit formaliter unitas, haberet ſuam eſſentiam formalem, ergo eſſet formaliter ens. Prob. ant. Haberet ſua prædicata eſſentialia, & conſtitutiva, & diſtincta ab ente rationis, ſeu à nihilo: ergo haberet ſuam eſſentiam præciſam ab ente, ergo & eſſet ens ratione ſui.

Reſp. per hæc, & ſimilia argumenta probari noſtram doctrinam, videlicet diſtinctionem formalem

Digitized by Google

atura rei unitatis ab ente, quandoquidem illa habet ſuam eſſentiam de ſe conceptibilem, & diverſam ab eſſentia; & per conſequens illam non eſſe ens formaliter; ſed identicè, & realiter. In forma neg. conſeq. Nam potiùs contrarium deberet inferri: nam, ſi unitas formalis habet eſſentiam diſtinctam ab eſſentia entis, ergo non eſt ens formaliter, ſed aliquid entis.

Quæres, *cur unitas explicetur per negationem potius, quàm per affirmationem, cùm ſit verè quid poſitivum.*

Reſp. id eſse, quia oppoſita ſolent ſic explicari, ut ſc. illud, quod eſt ignotius, & difficilius explicatu, explicetur per negationem alterius oppoſiti, quod eſt notius. Sic ſubſtantia ſpiritalis exprimitur per incorporeitatem, quia corpus, ſeu ſubſtantia corporea eſt notior nobis, quàm ſpiritalis, quamvis hæc ſit nobilior. Ita eſt de unitate, quæ explicatur per negationem diviſionis, quæ eſt aliud oppoſitum, & notior eſt unitate.

Queres 2. *an illa negatio excludat indifferenter multitudinem, & diviſionem.*

Reſp. affirmativè. Et ratio eſt, quia non poteſt eſſe multitudo ſine diviſione, nec diviſio ſine multitudine, ergo hoc ipſo, quòd unitas excludit multitudinem, excludit diviſionem, cum hac differentia tamen, quòd diviſio eſt immediata ratio excludendi multitudinem, & ideò immediatius excluditur diviſio.

QUÆSTIO VI.

Quid importet indiviſio unitatis; ſeu, quam excludat diviſionem unitas.

DOctor ſubtilis[1] diſtinguit quinque gradus unitatis. In primo, & minimo gradu eſt *unitas aggregationis*, qualis eſt in acervo lapidum, quandò ſc. multa entia integra, & perfecta ſine ulla unione, & ordine coacervantur: & hæc unitas eſt maxima per accidens, & minima in perfectione unitatis. In 2. *unitas ordinis*, in qua plura entia integra ſine unione coacervantur, ſed inter ſe ſervant ordinem ali-

[1] *In 1.d.2. q.6. n.44. bb.*

Digitized by Google

aliquem prioritatis, & poſterioritatis, ut in exercitu, ubi ſervatur ordo inter duces, & milites, ſic gradus eſt perfectior priore propter illum ordinem. In 3. eſt *unitas per accidens*, in qua plura, ut ſubjectum, & accidens, uniuntur per phyſicam informationem, ut *homo albus*. Hæ tres unitates ſunt per accidens, duæ ſequentes dicuntur unitates *per ſe*. In 4. eſt *unitas per ſe*, in qua duo uniuntur, quorum unum eſt per ſe actus, & alterum per ſe potentia, ut corpus naturale conſtans materia, quæ eſt per ſe potentia, & forma ſubſtantiali, quæ eſt per ſe actus. Hæc etiam dicitur unitas *compoſitionis ſubſtantialis*, quia partes coeunt in unum per ſe compoſitum. In 5. denique eſt unitas ſimplicitatis, quæ eſt perfectiſſima unitas, & excludit multitudinem omnem tàm entium, quàm partium: his addunt Scotiſtæ *unitatem formalem*, de qua diximus in Logica. Hæc iterum ultima unitas alia eſt *phyſica*, quæ excludit pluralitatem partium phyſicarum, & ſeparabilium, ut materia prima: alia Metaphyſica, quæ excludit pluralitatem entitatum, & partium Metaphyſicarum, quales ſunt genus, & differentia, ut animal, & rationale in homine, & hęc *unitas ſimplicitatis eſt verè identitas*, inquit Scotus; *quidquid enim eſt ibi, eſt realiter idem cuilibet, & non tantùm eſt unum illi unitate unionis, ſicut in aliis modis*, quæ ſunt unitates compoſitionis, ſeu unionis

Supra omnes iſtos eſt adhuc identitas formalis: voco autem identitatem formalem, ubi illud, quod dicitur ſic idem, includit illud, cui dicitur ſic idem in ratione ſua formali, de quo aliàs.

Famoſiſſima diviſio unitatis eſt in unitatem *per ſe*, & *per accidens*, unitas *per ſe* dicitur illa, quæ importat unam, & indiviſibilem eſſentiam, ſive phyſicè, ut *homo* eſt una phyſicè eſſentia coaleſcens ex corpore, & anima rationali, ſive Metaphyſicè, ut homo ex animalitate, & rationalitate evadit una per ſe, & indiviſibilis eſsentia: *unum* verò *per accidens* eſt illud, quod non importat eſſentiam ſic indiviſibilem, ſed coaleſcit ex rebus diverſorum prædicamentorum, ut unitas tertii gradus, vel ex rebus de ſe integris, & diſparatis, ut duæ primæ unitates.

Certum eſt autem, unitatem *tranſcendentalem*, de qua hìc quærimus, non eſſe propriè communem ad tres priores gradus, quia ſubjectum earum non tàm eſt ens, quàm entia, & ſic includunt pluralitatem. Igitur *unitas per ſe* eſt propriè illa, quæ huc ſpectat, quia ens, quod hìc conſideramus, eſt propriè ens *per ſe*: ergo & ejus propria unitas debet eſſe *per ſe*.

CONCLUSIO.

U*Nitas tranſcendentalis excludit omnem diviſionem, ſeu multitudinem realem in ente*. Eſt Doctoris, & ſuorum ſaltem in re.

Prob. 1. ex Scoto ſupra citato, qui docet, unitatem opponi pluralitati, ſeu multitudini, ergo unitas, ſeu indiviſio, per quam illa ſolet explicari, excludit omnem pluralitatem, ſeu diviſionem.

Prob. 2. Quia de facto non poteſt melius explicari, in quo conſiſtat illa indiviſio: quidquid enim non includit talem pluralitatem, aut etiam diviſionem, eſt verè unum: & quidquid eam includit, non eſt verè unum, ergo, &c.

Objic. 1. Quæ diſtinguuntur realiter, ſunt realiter plura, quamvis non ſint diviſa, ergo ſola indiviſio realis non facit unitatem tranſcendentalem. Prob. ant. Anima, & corpus in homine ſunt multa, licèt unita, & inſeparata: ſic partes continui ſunt verè plures, licèt unitæ, ergo indiviſio non tollit pluralitatem oppoſitam unitati.

Reſp. diſt. ant. Sunt plura inter ſe, conc. ant. totum, quod ex illis coaleſcit, eſt plura, neg. ant. & ſimiliter reſp. ad prob. Partes phyſicæ hominis ſunt plures inter ſe: ſed homo ex illis compoſitus eſt verè unus, quia eſt in ſe indiviſus. Idem eſt de partibus continui, & de ipſomet continuo, iſtud eſt unum, illæ ſunt plures.

Objic. 2. Si hæc explicatio valeret, unitas tranſcendentalis tàm conveniret uni *per accidens*, quàm uni *per ſe*, ſed falſum conſeq. ergo & ant. Prob. ſeq. Nam in homine albo tàm albedo, & homo ſunt indiviſa, quàm in eodem homine corpus, & anima, ergo illud compoſitum per accidens tàm eſſet unum unitate tranſcẽdentali, quàm iſtud per ſe ſubſtantiale.

Reſp.

Reſp. me præmonuiſſe, quòd unitas tranſcendentalis non convenit propriè entibus per accidens: quia iſtud componitur ex pluribus entibus, quæ ſunt diverſorum prædicamentorum, & unum non eſt verè potentia reſpectu alterius, nec iſtud alterum eſt verè actus reſpectu prioris: impropriè verò habent aliquam unitatem ſibi proportionatam: ad formam igitur neg. ſeq. maj. & ad prob. diſt. ant. Tàm partes entis per accidens, ſc. accidens, & ſubjectum, ſunt indiviſæ materialiter, & quoad entitatem, conc. ant. formaliter, & in ordine ad unionem, & conſtitutionem totius unius, neg. ant. & conſeq. Nam, quia unum non eſt per ſe in potentia ad aliud: nec iſtud eſt per ſe actus ad illud, non ſic uniuntur in ordine ad unum totum per ſe, unitas autem entis eſt unitas per ſe: ſicut ens eſt per ſe ens, ut dixi.

Objic. 3. In hac explicatione committitur circulus, ergo non eſt legitima. Prob. ant. Nam unum explicatur per ordinem ad *multa*, & rursùs *multa* per ordinem ad *unum*, ergo fit circulus.

Reſp. 1. neg. conſeq. Nam oppoſita, ſicut relativa, ſolent ſe ſe mutuò explicare: unde dicitur, correlativa ſunt ſimul natura, & cognitione.

Reſp. 2. neg. ant. & diſt. prob. Unum explicatur per ordinem ad multa materialiter conſiderata, ſeu fundamentaliter, conc. ant. formaliter, neg. ant. & conſeq. Idem dico de unitate reſpectu pluralitatis: nam unitates in multitudine conſiderantur materialiter, non formaliter ſub ratione unitatis, & indiviſionis.

CONCLUSIO II.

Sola indiviſio rei in ſe conſtituit rationem formalem unitatis, ita ut diviſio ejuſdem ab aliis non ſit, niſi quid conſequens ad illam. Eſt Doctoris.

Prob. 1. ex Scoto, [1] & Philoſopho, qui poſtquam explicuit indiviſionem, in qua conſiſtit tota ratio unitatis, addit, *iſtam autem privationem, vel negationem primam, quæ eſt indiviſio à ſe, conſequitur ſecunda negatio, quæ eſt non identitas, vel diviſio ab omni alia*, ergo ex Scoto, indiviſio eſt 1. ratio conſtitu-

E 6 tiva

[1] *Lib 4. Metaph. n. 15. fin.*

Digitized by Google

tiva unitatis : & non identitas, ſeu diviſio ab aliis eſt quid conſequens, induci tque non præcisè unitatem, ſed ſolitudinem quandam unitatis, & à ſocietate ſeparationem.

Prob. 2. Per id formaliter conſtituitur unitas, per quod formaliter diſtinguitur, & opponitur pluralitati (idem enim eſt principium conſtitutivum, & diſtinctivum) ſed unitas formaliter opponitur pluralitati per indiviſionem rei in ſe, ergo per eandem formaliter conſtituitur unitas. Prob. min. Quia hoc ipſo, quòd intelligis entia invicem non unita, intelligis pluralitatem, ſeu multitudinem, ergo, &c.

Confirm. Nam identitas cum alio non pertinet eſſentialiter ad multitudinem, ergo negatio identitatis, ſeu diviſio ab alio non pertinet ad unitatem. Ant. patet. Nam multitudo ſufficienter intelligitur per diviſionem entis in ſe. Prob. conſeq. Quia, quod eſſentialiter includitur in uno oppoſitorum, illius conceptus debet includi eſſentialiter in altero, ergo, ſi identitas cum alio non includitur eſsentialiter in conceptu multitudinis, negatio identitatis non debet includi in conceptu unitatis.

Prob. 3. Quia diviſio ab alio ſupponit aliud, & per conſequens ſupponit multitudinem, & unitatem, ergo non poteſt pertinere ad rationem formalem unitatis. Ant. patet. Non enim poteſt quidquam ſeparari ab alio, niſi ſit in ſe unum, & adſit aliud, ſaltem ut poſſibile : cum enim alietas, ſeu diſtinctio ſit quædam relatio, ſupponit extrema ſua, in quibus fundatur, & ad quæ terminatur, ergo ſupponit aliud, ad quod terminatur, & unum, in quo fundatur. Prob. conſeq. Nam quod eſt de ratione conſtitutiva alicujus rei, non poteſt eſse poſterius illa.

Ponitur ergo hæc particula : *diviſum à quolibet alio* ad majorem explicationem, ut ſcilicet intelligatur, quòd unum eſt non ſolùm in ſe indiviſum, ſed etiam ſolitarium, & collectum in ſe, ita ut non uniatur cum ulla re alia à ſe ipſo, quod eſt quid conſequens ad indiviſionem rei in ſe.

Objic. 1. ex Ariſt. Unum definitur per oppoſitionem ad multa, ergo includit diviſionem à multis. Prob. conſeq. Oppoſitio enim cum multis eſt diviſio à multis.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp.diſt.antec.Per oppoſitionem ad multa intrinſeca, quæ & inſint, & in quæ ſit diviſum, conc.antec. ad multa extrinſeca, à quibus ſit diviſum, neg. antec. Nam unum eſt, quod excludit multa præcisè: quia, ſi includeret, eſſet diviſum in ſe: illam verò indiviſionem rei in ſe ſequitur diſtinctio ab aliis.

Objic.2.Diviſio entis à nihilo eſt prior indiviſione ejuſdem in ſe, ergo diviſio ab alio eſt prior indiviſione, ergo magis pertinet ad rationem unitatis.

Reſp. neg. 2. conſeq. Quia diviſio entis à nihilo, ſi rectè ſequi velimus, fit per ipſiſſimam formalitatem entis, non per unitatem: ideò illa diſtinctio entis à nihilo eſt prior unitate, quia eſt ratio formalis entis, ex qua pullulat unitas, velut proprietas ejus.

QUÆSTIO VI.

De veritate: an, & quid ſit.

OMnes prædicant veritatem, pauciſſimi agnoſcunt, ſaltem intimè, & quoad ejus quidditatem. Alia dicitur *in cognoſcendo*, alia *in eſſendo*, alia *in ſignificando*: 1.dicitur conſiſtere in conformitate cognitionis cum objecto, 2.in conformitate rei cum ſuis principiis, 3. in conformitate ſigni, v.gr. vocis cum ſuo ſignificato, aut imaginis cum ſuo prototypo. De *veritate rei*, ſeu entis hìc agitur, & quæritur, an ſit vera proprietas entis, & in quo conſiſtat. Nam *veritas cognitionis* non pertinet ad Metaphyſicam, ſed ad libros de anima, & veritas ſigni ad Logicam.

Quæritur, an detur veritas tranſcendentalis, quæ eſt proprietas adæquata ejus, & diſtinguitur à veritate cognitionis, ſeu repræſentationis, & in quo illa conſiſtat.

CONCLUSIO I.

D*Atur veritas tranſcendentalis entis, quæ eſt proprietas adæquata ejus, & diſtinguitur à veritate cognitionis*. Ita Doct. cum ſuis.

Prob.1. ex Scoto, & Philoſopho. [1] *Unumquodque eodem modo, quo habet eſſe, habet etiam veritatem, ut* ea,

[1] *lib.2.metaph.num.8.*

ea, quorum eſſe eſt ſempiternum, ſit etiam veritas ſempiterna .... & quia etiam unitas in intellectu oritur ex veritate in re, idcirco, ſicut res habet eſſe, ſic etiam apta nata eſt verè cognoſci, ut ſic ſemper ab ipſo eſſe oriatur conformitas veritatis ſive in re, ſive in intellectu: quare benè dicit Philoſophus, quòd unumquodque, ſicut ſe habet ad eſſe, ita ſe habet ad veritatem, ergo, ex Scoto, [1] datur veritas tranſcendentalis, quæ ſequitur omne ens, & eſt diſtincta à veritate cognitionis, quod ſæpè alibi confirmat *: diſtinguendum eſt de vero: eſt enim veritas in rebus, & veritas in intellectu.*

Prob. 2. Nam, ex communi modo loquendi hominum, veritas tribuitur rebus: nam Deus noſter dicitur *verus*, ut diſtinguatur à falſis diis: homo *verus* dicitur, ut diſtinguatur ab homine picto, & ſic de auro, ut diſtinguatur ab aurichalco, & apparenti, &c. ergo datur veritas entis, quæ eſt ejus proprietas.

Dices, hæc dici per denominationem extrinſecam petitam à veritate cognitionis, ſeu ab actu intellectus cognoſcentis res, quales ſunt.

Contra 1. Cognoſcere res, quales ſunt, non eſt denominatio extrinſeca in intellectu, ergo eſſe taliter cognoſcibile non eſt denominatio extrinſeca in ente reali. 2. Denominationes extrinſecæ non dicuntur proprietates rei, de qua enuntiantur: ſed, ex omnium conſenſu, veritas eſt proprietas entis, ergo non conſiſtit in denominatione extrinſeca petita à veritate cognitionis. Prob. antec. Quia proprietates fluunt ab eſſentia, & veniunt ab intrinſeco. 3. Quia denominatio illa extrinſeca tàm convenit entibus rationis, & non entibus, quàm enti reali, ergo veritas, quæ dicitur proprietas entis, non eſt pura denominatio extrinſeca.

Prob. 2. p. quòd ſit proprietas adæquata entis. Quia planè convertitur cum ente, ergo, &c. Et id probant textus allegati ex Philoſopho, & Scoto, *unumquodque, ſicut ſe habet ad eſſe, ita ſe habet ad veritatem.*

Pr. 3. p. de diſtinctione hujus veritatis à repræſentativa, quia repræſentativa eſt formaliter in intellectu, tranſcendentalis verò eſt in ente ipſo, ergo hæ duæ veritates diſtinguuntur.

Confirm. Nam, implicante omni facultate repræſenta-

[1] *ibid. lib. 6. qu. 3. nu. 2.*

ſentativa, adhuc ens reale eſſet verum ens, ergo veritas entis diſtinguitur à veritate cognitionis.

Objic. 1. Ariſtotelem, [1] & Scotum, qui docent, non dari veritatem, & falſitatem in rebus, ſicut bonum, & malum, ſed ſunt in mente, ergo non datur veritas entis diſtincta à veritate cognitionis, quæ eſt in intellectu.

Reſp. neg. conſ. Nam, ut Scotus [2] ipſe explicat Philoſophum, loquitur de veritate, & falſitate complexa, & incomplexa in ordine ad primam, & ſecundam operationem intellectus, & dicit, quòd in prima operatione, quæ non componit, nec dividit, non eſt veritas, nec falſitas, benè verò in ſecunda. Notat autem, quòd *excludit tale ens à conſideratione Metaphyſica, quia ens, de quo conſiderat iſta ſcientia, eſt ens reale extra animam*, ergo iſte textus potiùs nobis favet: unde Scotus [3] in eundem librum docet, *quòd diſtinguendum eſt de vero: eſt enim veritas in rebus, & veritas in intellectu.*

Inſtab. Bonum eſt in rebus, & veritas in intellectu, juxta illum textum: nam cognitio verſatur circa res, prout repræſentatur in intellectu, appetitus verò, prout ſunt in ſe, ergo veritas eſt in repræſentatione, & bonitas in rebus.

Reſp. ex eod. Doct. [4] neg. antec. & probat. ejus. *Nam tam cognitio intuitiva, quàm dilectio ſequens ad illam, tendit in objectum, ut eſt exiſtens in ſe:* & in hoc non eſt differentia inter intellectum, & voluntatem.

Objic. 2. Veritas eſt adæquatio rei, & intellectus: ſed adæquatio illa eſt in intellectu, ergo & veritas.

Reſp. diſt. maj. Veritas cognitionis eſt adæquatio rei, & intellectus, conc. maj. veritas rei, neg. maj. & conſeq. Nam veritas rei non conſiſtit præciſè in illa adæquatione, quatenùs eſt in intellectu tantùm. Veritas dicit duplicem, & reciprocam adæquationem, unam rei ad cognitionem, & alteram cognitionis ad rem. Hæc poſterior eſt in ſolo intellectu, prior verò eſt etiam in re.

Objic. 3. Eſſe cognoſcibile eſt denominatio extrinſeca enti: ſed veritas tranſcendentalis conſiſtit in illa

[1] *lib. 6. metaph. n. 32.* [2] *ibid. n. 33.*
[3] *lib. 6. qu. 3. nu. 5.* [4] *in 4. d. 9. q. 4. fin. O.*

Digitized by Google

la cognoſcibilitate, ergo veritas eſt extrinſeca enti. Prob.maj. Cognoſcibilitas venit à cognitione intellectiva tanquam à forma: ſed illa cognitio, ſeu forma denominans eſt extrinſeca enti: eſt enim in intellectu, ergo & cognoſcibilitas eſt extrinſeca enti.

Reſp.neg.maj.& diſt.maj prob. Venit à cognitione, & objecto ſimul, conc. maj. ab intellectu, ſeu cognitione ſola, neg. maj. & conſeq. Nam ens de ſe eſt tam cognoſcibile, quàm intellectus eſt de ſe cognoſcitivus.

Objic.3. cont. 3. p. Veritas ſequitur entitatem: ſed entitas repræſentativa non diſtinguitur à veritate tranſcendentali, ergo veritas tranſcendentalis non diſtinguitur à repræſentativa.

Reſpon.diſt.maj. Veritas tranſcendentalis ſequitur entitatem, conc. maj. veritas repræſentativa, neg. maj. Nam cognitio falſa habet veritatem rei, ſeu entis, & falſitatem repræſentationis, ergo entitas, & veritas rei diſtinguitur à veritate repræſentationis, cùm illa poſſit eſſe ſine iſta.

Objic.4. ex D.Auguſt.[1] *Verum eſt, quod eſt, non autem id, quod videtur*, aut quod tale eſt, quale videtur, ergo veritas non eſt proprietas, ſed ipſiſſima ratio entis.

Reſp.1. diſt. antec. & mentem Auguſtini. Verum eſt id, quod eſt, ſeu eſt ipſum ens realiter, conc. antec. formaliter, neg. antec. Nam veritas formaliter ab ente diſtinguitur.

Reſp.2. mentem D.Auguſtini eſſe, quod veritas non attenditur ſecundum nudam apparentiam, non *eſt id, quod videtur*, ſed quod de facto ita eſt, ut videtur: quod ſignificat per illam particulam disjunctivam, *aut quod tale eſt, quale videtur*, ſcil. illud verum eſt. Unde ſic magis confirmat noſtram concluſionem de quidditate, & exiſtentia veritatis in eſſendo, quæ non attenditur penes apparentiam nudam, & cognitionem ſecundum apparentiam, ſed ſecundum eſſe, quod eſt veritas fundamentalis.

Objicies denique. Veritas convenit non enti, ergo non eſt proprietas adæquata, & convertibilis cum ente. Prob. anteced. Hæc propoſitio vera eſt: *nihil eſt non ens*, & iſta, *chimæra non eſt ens reale*, ergo veri-

[1] *lib. 2. ſoliloq. cap. 5.*

Digitized by Google

veritas convenit non enti.

Reſp. neg.antec. & diſt.prob. Eſt vera veritate cognitionis complexa,& inhærente propoſitionibus illis ,conc. antec. veritate entis, & incomplexa, & inhærente nihilo, vel chimæræ, neg.antec. & conſeq. Illæ igitur propoſitiones habent veritatem formalem cognitionis, qua intellectus concipit non ens non exiſtere ,chimæram non eſſe verum ens ,&c. Et, ſicut ens rationis concipitur per modum actus realis, ita habet veritatem proportionatam, ut diximus ex Ariſtotele.

CONCLUSIO II.

Veritas importat entitatem realem poſitivam; formaliter ex natura rei diſtinctam ab ente. Eſt Scoti, & ſuorum cum aliis.

Prob. 1.ex Doctore,& Philoſopho iiſdem textibus, quibus probavimus ſuprà in generali, proprietates entis eſſe reales, & diſtinctas formaliter ab ente, ut ſic, & unitatem non conſiſtere in pura negatione :eſt enim eadem ratio de veritate, ac de unitate quoad hoc. Prætereà videtur docere, eandem eſſe rationem de veritate, atque de aliis attributis quoad diſtinctionem ,& entitatem realem, quamvis videatur putare, quòd veritas, ſicut nec bonitas, non importat quid abſolutum, ſed relativum his verbis. *Si autem ponantur differre ratione reali* (loquitur de veritate, & bonitate) *ſicut dictum eſt de attributis in primo libro, tunc benè poteſt nobilitas in uno major eſſe ſecundum propriam rationem ejus reſpectu alterius, & hoc ante actum intellectus,... ſed fortè nec verum, nec bonum ultra ens dicunt rationes abſolutas.* Igitur, ex Scoto, [1] veritas rei, & tranſcendens importat formalitatem realem poſitivam, & diſtinctam formaliter, dubitat verò, num ſit relativa, an abſoluta.

Prob.2.ratione,& 1.quoad realitatem. Quia nulla ratio ficta poteſt eſſe proprietas entis realis ,ergo veritas entis realis non poteſt eſſe, niſi quid reale. 2. Nullo fingente intellectu, dicitur, quòd ens eſt verum, & illud eſſe verum non eſt quid fictum, ergo, &c. 3. Quia eſſe cognoſcibile tale, quale eſt, non eſt ſola

[1] *l.49.qu.4.nu.10.*

ſola relatio rationis, ſed veritas conſiſtit in illa cognoſcibilitate, ergo, &c.

Prob.3. de entitate poſitiva. 1. Veritas cognitionis conſiſtit in relatione poſitiva conformitatis cum objecto, ergo veritas rei conſiſtit etiam in poſitiva relatione conceptibilitatis cum tali conformitate. 2. Quia falſitas eſt negatio *veri*, ſicut malitia eſt negatio boni, ergo *veritas* eſt quid poſitivum, ſicut *bonitas*: quia, ſi rursùs veritas eſſet negatio falſitatis, eſſet negatio negationis, & circulus vitioſus. 3. Per negationem falſitatis non intelligitur veritas, ergo veritas non eſt pura negatio falſitatis. Prob. antec. Lignum habet negationem auri ficti, & tamen non eſt verum aurum, ergo ita eſt de veritate.

Prob.4. quoad 3. p. de diſtinctione, quæ non rejicitur, ſed potiùs innuitur à Scoto citato. Quia eadem eſt ratio de hac proprietate, ac de aliis: ſed aliæ diſtinguuntur formaliter ex natura rei, ergo & iſta.

Objic. 1. Veritas, puritas, & ſinceritas ſunt ſynonyma: ſed puritas, & veritas conſiſtunt in negatione admixtionis extraneæ, ergo veritas in pura negatione falſitatis conſiſtit. Prob. min. Purum enim aurum dicit negationem mixtionis ex alio metallo.

Reſp. neg. maj. Licèt enim apud vulgus illa ſint ſynonyma, apud Philoſophos ſunt valdè diverſa: de facto autem permixtio non tollit entium veritatem, ſed unitatem.

Objic. 2. Ens abſque ulla diſtincta formalitate eſt verum, ergo veritas non conſiſtit in formalitate diſtincta ex natura rei. Prob. anteced. In illa præciſione non eſt falſum, ergo eſt verum.

Reſp. ut jam ſæpè, neg. ant. & prob. conſeq. In illa enim præciſione eſt tantùm ens, non dicens in formali ſuo conceptu nec falſitatem, nec veritatem.

Inſtab. Ens, præciſa omni entitate diſtincta, eſt cognoſcibile, ergo, &c.

Reſp. diſt. antec. Eſt cognoſcibile, ut ens, conc. antec. ut verum formaliter, neg. antec.

Inſtab. 2. Verè cognoſcitur, ergo ut verum.

Reſpon. neg. conſeq. vel diſt. Ut verum materialiter, conc. conſeq. ut verum formaliter, neg. conſeq. Cognoſcitur ſecundum quidditatem entis, non autem veritatis.

Inſt.

Digitized by Google

Inſt. 3. Ens non eſt objectum intellectus, niſi ratione veri, ergo ens non cognoſcitur, niſi ut verum.

Reſp. ex Scoto, neg. antec. Imo ens eſt objectum intellectus ſub ratione entis, ut videbimus in libro de anima.

CONCLUSIO III.

Veritas entis formaliter conſiſtit in conceptibilitate, ſeu intelligibilitate, ſicuti eſt. Eſt Doctoris, & ſuorum.

Prob. 1. ex Doct. [1] poſt Philoſophum. Verum in re eſt illud, quod apparet, id eſt, quod eſt ſui manifeſtativum, & *veritas* in re *non eſt conformitas, ſive ſimilitudo* (actualis) *ſed identitas, ut manifeſtati ad ſe, ut declarans, ſive manifeſtans, ſive apparens*, ergo veritas rei in eo formaliter conſiſtit, quòd quælibet res eſt ſui manifeſtativa; & apparens, quantum eſt de ſe, cuicumque intellectui, adeò ut poſſit ab eo cognoſci talis, qualis eſt in ſe, ſeu cognitione, quæ illi conveniat. Dico, *quantum eſt de ſe*, quia, ut docet Scotus, etiamſi nullus eſſet intellectus intelligens, adhuc omne ens eſſet verum, quia eſſet de ſe apparens, & ſui manifeſtativum ſecundum gradum ſuæ entitatis.

Prob. 2. ex SS. PP. Nam ex Auguſt. [2] *Verum eſt, quod ita ſe habet, ut videtur cognitori, ſi velit, & poſſit cognoſcere ... verum eſt, quod oſtenditur id, quod eſt*: & ex Hilario, [3] *Verum eſt manifeſtativum, & declarativum eſſe*: ex Anſelmo, [4] *Veritas eſt rectitudo ſola mente perceptibilis*: & ex D. Thoma, [5] *Veritas invenitur in re, ſecundum quod habet eſſe conformabile intellectui*, ergo ex Patribus veritas entis conſiſtit in illa apparentia, ſeu manifeſtatione, qua ſe ſic oſtendit, ut ſit conceptibile tale, quale eſt.

Prob. 3. ratione. Nam illa deſcriptio convenit omni, & ſoli vero, ergo bona eſt. Prob. anteced. Quidquid enim intelligibile eſt, quale eſt, habet entis veritatem, & quidquid non habet talem intelligibilitatem, non eſt verum, ſed ens fictum, ergo illa deſcriptio con-

[1] *lib. 6. metaph. q. 3. n. 8.* [2] *lib. 2. ſoliloq. ca. 5. & 1. de ver. Relig.* [3] *6. de Trin.* [4] *dial. de verit. cap. 12.* [5] *qu. 16. art. 6.*

Digitized by Google

convenit omni, & ſoli enti.

Prob. 4. Veritas cognitionis rectè explicatur per conformitatem ejus ad rem, ergo & veritas rei benè explicatur per conformitatem poſſibilem, ſeu aptitudinalem ad cognitionem. Antec. admittitur ab omnibus. Prob. conſeq. Nam veritas, ut ſic, univocè dicitur de veritate rei, & cognitionis, ergo per eundem conceptum genericum debet explicari. Sicut ergo intellectus dicitur verus in repræſentando, quia repræſentat res, quales ſunt, ita & res dicuntur veræ, quia ſe ſe manifeſtant, & apparent, quales ſunt, ut tales concipiantur.

Objic. 1. Implicante omni intellectu, adhuc ens eſſet verum: ſed tunc ens nō eſſet conceptibile, quale eſt, ergo veritas non conſiſtit in illa conceptibilitate. Prob. maj. Nam, implicante omni cognitione, adhuc aurum, ver. gr. eſſet verum aurum: haberet enim idem eſſe phyſicum, & metaphyſicum, quod modò habet, ergo & eandem veritatem.

Reſpon. diſt. maj. & antec. prob. Eſſet verum fundamentaliter, conc. maj. formaliter, neg. maj. Haberet quidem idem eſſe phyſicum, quod fundat, quantum eſt de ſe, illam conceptibilitatem, ſed ipſam formaliter non haberet defectu termini poſſibilis, nempe potentiæ cognoſcitivæ. *Si nullus eſſet intellectus, adhuc quælibet res eſſet nata manifeſtare ſe, & hæc notitia eſt, qua res dicitur nota naturæ, non quia natura cognoſcat illam, ſed quia nata eſſet, quantum eſt de ſe.... cognoſci*, & hoc dicimus veritatem fundamentalem.

Inſtab. 1. Ens prius eſt intellectu cum ſuis omnibus proprietatibus, ergo non poteſt conſtitui verum per ordinem ad intellectum. Prob. anteced. Nam ratione ſuæ communitatis tranſcendentis eſt communius, & ideò prius natura, quàm ſubſtantia intellectualis creata, vel increata, ergo, &c.

Reſp. neg. conſeq. Non enim repugnat naturæ ſuperiori explicari, imò & conſtitui per formalitatem includentem ordinem ad inferiora, quod ex ipſamet ejus communitate, ac ſuperioritate neceſſariò ſequitur; hoc ipſo enim, quòd aliqua natura eſt communis, & ſuperior, dicit ordinem ad inferiora.

Inſtab. 2. Ipſamet veritas in ente eſt prior illa confor-

formabilitate, ſeu conceptibilitate conformi, ergo illa non eſt ratio formalis veritatis. Prob. anteced. Ideò enim ens eſt ſic conceptibile, quia eſt verum.

Reſp. neg. antec. utrumque. Nam potiùs ideò verum eſt, quia eſt ſic intelligibile.

Inſt. 3. Hinc haberetur ſolùm veritas aptitudinalis, non autem actualis: ſed quærimus veritatem actualem entis, ergo illa intelligibilitas, & conformabilitas non eſt ratio primaria veri, ſed potiùs id dici deberet de conformitate aliqua actuali.

Reſpon. neg. maj. Nam illa conformabilitas reddit ens actu verum, non autem potentia tantùm, ſicut aptitudo ad eſſe, aut dici de multis reddit naturam actu univerſalem: impenetrabilitas reddit ſubſtantiam actu quantam, & ſic de cæteris.

CONCLUSIO IV.

Veritas conſiſtit formaliter in aliquo abſoluto, non in relativo, niſi ſecundum dici. Eſt Doctoris.

Prob. 1. ex Scoto, [1] ſic definiente veritatem in re. *Verum in re eſt illud, quod apparet: & veritas, non conformitas, ſive ſimilitudo, quæ eſt inter diverſa, ſed identitas, ut manifeſtati ad ſe, ut declarans, ſive manifeſtans.* Eſt ergo quædam identitas rei in ſe ipſa, & ad ſe ipſam, ergo non eſt relatio, quia relatio eſt ad aliud.

Prob. 2. ex principiis tàm Scoti, quàm omnium. Ens, ut ſic, præſcindit ab abſoluto, & reſpectivo, alioqui non poſſet prædicari *in quid* de utroque, ergo etiam proprietates entis, ut ſic, debent ſic præſcindere. Prob. conſeq. Nam veritas tranſcendentalis tàm prædicatur de entibus abſolutis, quàm de relativis, æquè ac ens, ut ſic, ergo veritas tranſcendentalis tàm præſcindit à relativo, & abſoluto, quàm ipſum ens, ut ſic. Prob. anteced. Niſi enim veritas de iis prædicaretur, de quibus ens prædicatur, non eſſet proprietas adæquata entis, nec eſſet proprietas tranſcendens, quod eſt contra Scotum, & Philoſophum.

Prob. 3. Quia ideò diceretur conſiſtere in pura relatione, quia explicatur, & definitur per reſpectum ad aliud, nempe per conceptibilitatem ab intellectu: ſed

[1] *lib. 3. metaph. num. 2.*

Digitized by Google

ſed hæc ratio nulla eſt, ergo, &c. Prob. min. Nam multa abſolutiſſima explicantur per ordinem ad aliud, ergo, quòd aliquid non explicetur niſi per ordinem ad aliud, non impedit, quin in ſe ſit abſolutum. Id tantùm probat, quod ſit relativum ſecundum dici.

Objic. Scotum ſuprà adductum, & dicentem: *fortè nec verum, nec bonum ultra ens dicunt rationes abſolutas*, ergo, ex Scoto, veritas nihil dicit abſolutum, ſed eſt pura relatio.

Reſp. 1. Scotum ibi ſub dubio loqui, non reſolutivè, *fortè*, inquit, & ſi de bonitate conſtiterit, quod importat quid abſolutum, iſte locus nobis favebit, quandoquidem eadem eſt ratio de utroque.

Reſp. 2. neg. conſeq. Scotus enim ibi loquitur de veritate, quatenùs ſolet explicari, & ſecundum id, quod in ea familiarius, & magis cognitum eſt, ſcil. ſecundum relationem ad potentiam cognoſcitivam.

Objic. 2. Veritas eſt conformitas, vel conformabilitas rei ad cognitionem, ſive ad potentiam cognoſcitivam, ex iiſdem SS.PP. quos citavimus pro noſtra definitione veritatis, ergo conſiſtit formaliter in relativo. Prob. antec. ex Auguſt. cit. *verum eſt, quod ita eſt, ut videtur cognitori*, ergo, &c.

Reſp. neg. antec. Ex his habetur ſolùm, quòd commodiùs explicatur per ordinem ad intellectum: & ſic eſt quid relativum ſecundum dici, & abſolutum ſecundum eſſe, unde Aug. ibidem ait, quia, *etiam ſi res non videatur, nec conformitatem habeat cum aliqua cognitione, nihilominùs vera eſt*, ergo, ex Auguſtino, veritas primariò non conſiſtit in relatione conformitatis.

QUÆSTIO VIII.

De falſitate, quid, & unde ſit, à quo proveniat difficultas aſſequendæ veritatis.

VEritati opponitur falſitas. Totuplex ergo eſt ejus acceptio, quotuplex veritatis: &, ſicut præcipua diviſio veritatis eſt *rei*, & *cognitionis*, ita & *falſitas* alia *rei*, alia *cognitionis*: &, ſicut veritas cognitionis ad hanc ſcientiam non pertinet, ita nec falſitas illi oppoſita. Reſtat quæſtio de *falſitate* oppoſita veritati

Digitized by Google

tati *rei*, quæ conſiſtit in ejus privatione, & quæritur, an detur talis *falſitas*. Eſt autem *falſitas* apparentia rei aliter, ac eſt: & *falſum* eſt, quod non repræſentatur, ut eſt, ſed fundat cognitionem falſam: ſicut *verum* eſt id, quod fundat cognitionem veram, ſeu conformem. Igitur *falſitas* dicit pro materiali apparentiam, & pro formali carentiam taleitatis illius, quæ erat in apparentia: taleitas autem non eſt ſimilitudo, ſed identitas, unde eſſe *falſum* eſt non eſſe idem, quod apparet, & falſitas *eſt non identitas entis, ut manifeſtati ad ens, ut apparens*, inquit Doctor: falſitas ſumitur 1. pro judicio compoſitivo difformi ſuo objecto, ut cùm de illo affirmatur aliquid, quod illi non convenit, aut negatur, quod convenit, ut ſi dicas: *homo eſt rugibilis*, vel, *homo non eſt riſibilis*. 2. pro objecto ipſo judicii falſi, quo ſenſu D. Paulus dicit, *idolum eſſe mendacium*, id eſt objectum, circa quod homo mentitur. 3. pro eo, quod apparet id, quod non eſt, v. gr. aurichalcum, quia apparet verum aurum, dicitur falſum aurum propter fallacem apparentiam. 4. alii ſumunt pro re, quæ non reſpondet, nec conformatur ideæ ſuæ, ver. gr. monſtrum, quod deficit ab idea, ſeu regulis naturæ: ſic opus imperfectum, quod deficit ab ideis artificis. Sed hæc falſitas valdè eſt impropria: nam monſtrum fundat veram cognitionem æquè, ac quodvis aliud ens.

CONCLUSIO I.

Nulla datur falſitas entis tranſcendentalis. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scot. Nam veritas explicata per comparationem ad cognoſcentem, ut explicatur veritas tranſcendentalis, ad primum membrum pertinet, ſcil. ad verum in re, quod explicat num. 8. quia convertitur cum ente, ergo, ex Scoto, omne ens reale eſt verum, & nullum eſt ens, quod non ſit verum, ergo nullum eſt falſum. Item poſt Philoſophum docet, *quòd verum, & falſum non ſunt in rebus, ſed in mente*, id eſt, *in intellectu*.

Prob. 2. Quia ratio entis, ut ſic, reperitur in omnibus omnino entibus, ergo & ratio veri, ergo non datur falſitas tranſcendentalis, alioqui eſſet etiam in omni-

omnibus, quod eſt contradictorium: nam, ex Ariſtot. citato, veritas, & falſitas ſibi partiuntur *ens*, & *non ens*, & contradictoria.

Objic. I. Falſitas eſt apparentia carens taleitate (ex Scoto, & Philoſopho) unde falſum tranſcendens eſt de ſe conceptibile conceptu, qui ei non conveniat: ſed dantur entia de ſe ſic conceptibilia, ergo datur falſitas entis. Prob. min. Aurichalcum eſt de ſe conceptibile aliter, quàm eſt, ſcil. eſt conceptibile, ut verum aurum, ergo, &c. Prob. antec. Habet de ſe apparentiam veri auri, ergo de ſe eſt conceptibile, ut verum aurum, licèt non ſit.

Reſp. neg. min. & diſt. antec. prob. Aurichalcum ex ratione ſua particulari, conc. antec. ex ratione generali entis, neg. antec. & conſeq. Aurichalcum eſt verum ens, & verum metallum in ſua ſpecie, ſed propter ſimilitudinem coloris cum vero auro, quæ ſimilitudo eſt illi particularis, præbet occaſionem erroris ſenſibus, & intellectui, qui putaret illud eſſe verum aurum: eſt ergo falſum occaſionaliter, non ex ſe, & hæc falſitas non opponitur veritati tranſcendentali entis, ſed veritati tranſcendentali auri, quod aurichalcum falsò repræſentat, & ſic de cæteris, quæ propter ſimilitudinem cum aliis ſic decipiunt.

CONCLUSIO II.

D*Atur falſitas tranſcendentalis, ſeu intrinſeca aliquibus entibus in ſuo proprio genere, vel ſpecie.* Eſt plurium Scotiſtarum.

Prob. Nam, ex dictis ſuprà ex Scoto, & aliis, falſitas eſt apparentia rei aliter, ac eſt, ex qua apparentia datur occaſio intellectui illa concipere aliter, quàm ſint in ſe: ſed plura entia particularia ſunt hujuſmodi, ergo datur falſitas tranſcendentalis in multis entibus. Prob. min. Multa ſunt, quæ habent ex ſe apparentiam, & ſimilitudinem cum aliis entibus, ex qua ſimilitudine nata ſunt putari eſſe illa, quorum habent apparentiam, ver. gr. aurichalcum habet ſonum, ſoliditatem, ſplendorem, & alias apparentias auri: ita eſt de umbris, de ſpeciebus phantaſticis, &c.

Objic. I. Aurichalcum fundat veram cognitionem ſui, ergo non fundat falſitatem. Prob. conſeq. Similitu-

litudo aliqualis cum auro non facit aurum, ergo nec facit putari aurum.

Reſp.conc.antec.neg.conſeq. utriuſque argumenti. Nam, licèt aurichalcum, v. gr. in ſe habeat ſuam intrinſecam veritatem, nec illa apparentia externa faciat illud eſſe aurum: dat tamen occaſionem ſenſibus, & intellectui putandi, illud eſſe aurum: &, cùm illa ſimilitudo ſit illi propria, & intrinſeca, ita de ſe eſt natum ſic concipi ab aliquo intellectu.

Objic.2. Si res dicerentur ex ſe falſæ, eſſet ex difformitate actuali, vel aptitudinali: ſed neutrum dici poteſt, ergo, &c. Prob.min. Nam utraque difformitas venit ab intellectu noſtro, non ex natura illarum rerum, ergo, &c. Prob. antec. Illæ enim res, ver.gr. aurichalcum natum eſt cauſare veram ſui æſtimationem, & de facto cauſat, ergo nec actualis, nec aptitudinalis difformitas venit ex rebus.

Reſp. neg.min.1.& conſeq.2.& 3.argum. Nam, licèt de ſe, & ſecundum ſubſtantiam ſuam res illæ natæ ſint cauſare cognitionem ſui veram, & conformem, tamen ex aliis accidentibus, & proprietatibus, ſcil. ex illis apparentiis externis, natæ ſunt etiam inducere in deceptionem.

Objic.3. Omne verum eſt ens, ergo omne falſum eſt non ens, ergo nullum ens habet ex ſe falſitatem.

Reſp. diſt. 2. conſeq. Secundum quod eſt ens, & ſecundum formalitatem entis, conc.conſeq. ſecundum aliquas rationes particulares, neg.conſeq. Omne enim, quod eſt in rebus particularibus, non eſt formaliter, & directè ens, ſed in ente: &, ſicut omne ens particulare ſubjacet multis defectibus propriis, ita & falſitati.

Inſt. Quidquid eſt in rebus, eſt ens, ergo & verum.

Reſp. diſt.antec. Eſt ens ſubjectivè, conc.antec. formaliter, neg. antec. Nam rebus omnibus inſunt aliquæ privationes, & negationes, quæ ſunt non entia: verè quidem inſunt, & veritas illa cadit ſupra inhærentiam, ſed non ſupra negationes, aut privationes directè.

Quæres 1. *Quomodò veritas, & falſitas opponantur.*

Reſp. opponi privativè, & contradictoriè, ut diximus ſupra, ex Scoto [1] dicente falſitatem non eſſe *apparere, quale non eſt, quia tunc falſitas eſſet formaliter*

[1] *lib.6.metaph. qu.3.nn.5.*

Digitized by Google

liter poſitio, non privatio: ſed falſum dicit materialiter apparere, & formaliter dicit carere taleitate, qualis videtur .... falſum igitur eſt, quod caret identitate ad id, quod apparet eſſe, & falſitas eſt non identitas entis. Item docet cum Ariſtot. [1] *quòd verum eſt quoddam bonum, & falſum quoddam malum, quatenus verum quandam perfectionem, & falſum eſt quoddam malum, quatenus falſum dicit defectum quendam*, item quòd *verum eſt ens, & falſum non ens*, & quòd præterea univerſaliter tale ens, & non ens, quod eſt verum, & falſum, ſunt circa participationem contradictionis, ergo, ex Scoto, & Philoſopho, verum, & falſum opponuntur contradictoriè, ſicut ens, & non ens.

Prob. etiam. Nam, ſi falſum diceret contrarietatem cum vero, importaret quid poſitivum formaliter, ergo eſſet formaliter ens, aut quid entis, ergo importaret neceſſariò veritatem, quia omne ens eſt verum, &, quod participat de ente, participat de veritate.

Quæres 2. *Unde ſubrepat falſitas, an ex rerum abſtruſione, an ex intellectus imbecillitate.*

Reſp. cum Scoto, & Ariſt. difficultatem aſſequendæ veritatis venire ex imperfectione noſtri intellectus, *difficultate duobus modis exiſtente, non in ſe, ſed in nobis ejus eſt cauſa*, inquit Ariſt. cauſa hujus difficultatis non eſt ex parte rerum, ſed ex parte noſtra, quod probat idem Philoſ. [2] cùm ſubdit, *ſicut oculi nycticoracum ſe habent ad lucem diei, ſic & intellectus animæ noſtræ ad ea, quæ ſunt manifeſtiſſima in natura*: & ideò ſignum eſt, quòd defectus ille cognoſcendi non eſt ex parte rerum, cùm illæ ſint manifeſtiſſimæ, quantum eſt de ſe, & ſua natura: ſed defectus eſt ex parte intellectus, ſicut defectus viſionis non eſt ex parte hujus diei, ſed ex parte oculi nycticoracis.

Ratio eſt ex eodem. Non eſt difficultas ex parte rei in illo, quod immediatè conſequitur rem, ſecundum quod res eſt: ſed cognoſcibilitas ſequitur ens, ſecundùm quod eſt ens, quia per idem eſt ens, & cognoſcibile, ergo, &c.

Prob. 3. ex Scriptura: [3] *Cunctæ res difficiles*, unde? *quia non poteſt homo explicare ſermone*: ergo ex impoten-

[1] *ibid. n.* 30. [2] 2. *metaph. qu.* 2. *n.* 16.
[3] *ad Epheſ.* 18. 8.

Digitized by Google

tentia humani ingenii venit difficultas indagandæ veritatis rerum.

Prob. 4. Si difficultas illa veniret à rebus, eam pateretur quilibet intellectus tàm angelicus, quàm humanus: ſed falſum conſequens, ergo & antec. Prob. ſeq.maj. Quod eſt de ſe tale, cuicumque intellectui eſt tale: ſed res eſſent de ſe difficiles, ergo cuicumque intellectui eſſent difficiles, quòd ſi non ſint æquè difficiles intellectui angelico, imò & divino, ſicut ſunt humano, ergo id provenit ex parte humani.

Objic. Unumquodque eſt cognoſcibile, ſecundum quod actu eſt: unde, quæ habent multum potentialitatis,ſunt minimè intelligibilia, quæ habent multũ actualitatis,ſunt maximè intelligibilia: ſed res materiales,quę ſunt pro hoc ſtatu objecta noſtri intellectus, habẽt multum potentialitatis ex ſe,ergo ex ſe minimè intelligibiles, ergo major, aut minor intelligibilitas venit ex rebus, ſaltem ex parte.

Reſp. neg. abſolutè maj. Nam res dicitur in actu, vel 1. quoad exiſtentiam, & prout opponitur poſſibili, & ſic falſa eſt maj. Nam poſſibilia ſunt intelligibilia, & cognitio immaterialium exiſtentium eſt ſæpè difficilior cognitione multorum materialium non exiſtentium. Vel 2. res eſſe in actu dicitur, prout opponitur eſſe in potentia objectiva, & ſic etiam falſa eſt. Nam potentialitas objecti non major eſt in uno ente, quàm in alio, &, quantum eſt de ſe,tàm unum poteſt poni in actu, quàm quodlibet aliud. Vel 3. dicitur magis eſſe in actu, & minus habere de potentialitate, quod eſt perfectius in entitate: ſic etiam illa major falſa eſt. Nam perfectiora ſunt nobis difficiliora. Vel 4. dicitur magis habere de actu, quod magis accedit ad actum purum, & minus eſt in potentia receptiva, ſicut eſt forma reſpectu materiæ, & ſic materia prima, quæ eſt pura potentia receptiva, eſſet minimè intelligibilis; & ſic etiam falſa eſt. Nam ſic ſubſtantiæ immateriales eſſent nobis de ſe magis intelligibiles, quod eſt falſum. Vel 5. dicitur magis habere de actu, quod eſt actu intelligibile, & in hoc ſenſu res immateriales ſunt magis actu intelligibiles reſpectu intellectus noſtri, quàm materiales, quia iſtæ debent depurari à materialitate per intellectum agentem, ut actu intelligantur: & hoc etiam ſenſu major

illa falſa eſt. Tùm quia illa difficultas, ſi vera eſt, oritur ex parte noſtra, tùm quia non proindè res ſpirituales ſunt magis intelligibiles à nobis, quàm materiales: iſtę non minùs habent ſuam eſſentiã, & veritatem, quàm illæ, ergo illud argumentum, quod eſt præcipuum fundamentum adverſariorum, undique ruit.

Objic. 2. Intellectus noſter in ordine ad omnia objecta intelligibilia, & ad omnes ſpecies, ſeu omnes cognitiones, eſt in potentia, ſicut materia prima ad omnes formas, ergo ſicut materia prima, quantum eſt de ſe, non eſt magis determinata, nec in potentia ad unam, quàm ad aliam, ita nec intellectus ad cognitiones, ergo totum impedimentum venit à rebus quæ non ſunt æqualiter intelligibiles, ſeu non æqualiter promptæ ad immittendas ſpecies impreſſas in intellectum.

Reſp. neg. conſeq. & paritatem. Nam materia prima in argumento conſideratur nudè, ut pura potentia paſſiva, intellectus verò non eſt pura potentia paſſiva, ſed etiam activa. Præterea. Entia omnia de ſe patent, ſe ſe manifeſtant ſecundum proportionem ſuæ eſſentiæ tàm ſpiritualis, quàm materialis: ſed venit ex ſtatu, & imperfectione noſtri intellectus, ut non poſſit æquè uniri ſingulis illis ſpeciebus, quas res illæ de ſe exhibent: alligatur ſenſibus, & ideò non percipit ſpecies rerum ſpiritualium, imò neque ſubſtantiarum materialium, niſi per accidentia externa, quæ ad illum veniunt per ſenſus. Denique in ſua virtute activa eſt etiam limitatus.

Inſtab. Difficultas cognitionis venit ab improportione potentiæ cum objectis: ſed illa improportio tàm venit ex parte rerum, quàm intellectus, ergo difficultas non venit ab intellectu, ſaltem tota.

Reſp. neg. min. Quia, quò res ſunt excellentiores, & ſublimiores, ſunt tanò de ſe evidentiores, & lucidiores, &, ſi non tàm facilè percipiuntur, vel attinguntur, id venit ab intellectu noſtro alligato ſenſibus.

Objicies 3. Sicut ſe habet viſibile ad potentiam viſivam, ita intelligibile ad intellectum: ſed tota difficultas viſionis non venit à potentia viſiva, ſed partim ab objecto viſibili, ergo ita eſt de difficultate intellectionis. Prob. min. Certum eſt enim, quòd ſenes, & qui habent oculos infirmos, difficiliùs, & im-

imperfectiùs vident, non ſolùm propter defectum oculorum, ſed etiam defectu objecti, vel nimis exigui, aut remoti, vel obſcuri.

Reſpondeo, quidquid ſit de majori, neg. min. & antec. probat. Quia, quòd objectum non ſit ſatis grande, illuminatum, vel approximatum pro oculo ſenis, vel lippi, ſicut pro alio, venit ex illa infirmitate, non ab objecto, & per accidens. Dico, *quidquid ſit de majori*, nam illa poteſt etiam negari quoad paritatem, quia, cùm oculus ſit facultas organica, res de ſe ſunt ad illam aliquandò improportionatæ ad emittendas ſpecies ſufficientes ad illum determinandum, & movendum, quod non contingit reſpectu intellectus.

Quæres. *Quæ ſunt ea, quæ dicuntur notiora nobis, & notiora natura?*

Reſp. 1. Ea dici notiora nobis, quæ primò nobis occurrunt in cognitione, & hæc ſunt, quæ ſenſibiliora ſunt, quæ fortiùs movent ſenſum, quibus pro hoc ſtatu alligatur intellectus, qui propterea ſenſibiliora magis cognoſcit, & cum minori difficultate. Juxta Ariſt. talia dicuntur notiora nobis, quia, ut illa cognoſcamus, non eſt opus, ut eorum cognitionem ex aliis per diſcurſus, & ſpeculationes deducamus, ſed ſtatim objiciuntur, & in ſeipſis immediatè cognoſcuntur.

2. *Notiora ex natura ſua* dicuntur ab aliquibus ea eſſe, quæ ex natura ſua magis apta ſunt cognoſci, qualia ſunt perfectiora, quæ ob excellentiorem naturam ſunt magis cognoſcibilia, quia ſeſe perfectiùs manifeſtant. Ab aliis dicuntur ea, quæ ſunt priora generatione, quia exigunt priùs cognoſci, quàm reliqua, quæ ab illis dependent aliquo modo. Sic ſubſtantia eſt notior corpore, corpus vivente, vivens animali, & animal equo, &c. Et ſic cauſæ priùs exigunt cognoſci, quàm effectus, & partes, quàm totum, &c. quæ explicatio rationabilis videtur, ſi hoc dicas venire non totaliter, & abſolutè ex naturis rerum, propter rationes allatas ad quæſitum præcedens, ſed ex rebus, ſuppoſita conditione præſenti intellectus noſtri. Sed de his redibit ſermo magis ex profeſſo in lib. de anima.

Digitized by Google

QUÆSTIO IX.

De Bonitate, an, & quid ſit.

BOnitas eſt 1. proprietas entis, nec de illius exiſtentia dubitare licet, cùm Script. S. illam aſſerat, dicens: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*. Natura autem ejus tantò eſt difficilior captu, quantò appetibilior poſſeſſu.

Bonitas, de qua agimus, eſt naturalis, metaphyſica, & tranſcendentalis. De morali dicetur in proprio tractatu: illa eſt propria omnibus omninò rebus, iſta ſolis actibus humanis.

Rursùs bonitas rerum alia eſt *abſoluta*, quam res habent in ſe, alia eſt *relativa*, quæ ſcil. reſpicit alia, quibus res una bona eſt. 1. idem eſt, atque perfectio rei, & eſſe bonum hac bonitate eſt eſſe perfectum, & integrum, juxta illud S. Dionyſii, *bonum ex integra cauſa: Eſſe bonum* alia illa *bonitate* eſt eſſe alteri utile, aut conveniens, & quæritur, an iſta ſit proprietas entis. Quidam enim volunt, bonitatem tranſcendentalem entis conſiſtere in perfectione abſoluta, & eſſentiali rerum, alii in relativa convenientia, alii in appetibilitate, alii in omnibus illis formalitatibus ſimul, alii in participatione divinæ bonitatis, ſeu perfectionis.

2. Bonum in ſe aliud eſt *eſſentiale*, aliud integrale, aliud accidentale. 1. dicitur, quod eſt perfectum eſſentialiter, conſtans ex omnibus, quæ ad eſſentiam ejus ſpectant, ita ut nihil ei deſit: & hoc ſenſu nihil dicit ſupra entitatem cujuslibet rei præter negationem defectus. 2. dicitur illud, cui nulla pars integralis deeſt, ut homo, cui non deſunt nec brachia, nec manus, nec digiti, &c. 3. quod habet non ſolùm perfectionem omnem eſſentialem, & integralem ſubſtantialem, ſed etiam omnem perfectionem ſibi congruentem, ut homo, qui non ſolùm eſt integer, ſed etiam ſanus mente, & corpore, ſapiens, &c.

3. Bonum *reſpectivum* aliud eſt *honeſtum*, quod per ſe decet naturam rationalem, ut virtus, ſapientia, &c. aliud delectabile, quod affert voluptatem, ut cibus dulcis, &c. Addunt aliqui utile, quod eſt appetibile

Digitized by Google

bile non propter ſe, ſed propter aliud : ſed iſtud facilè ad unum ex duobus præcedentibus reducitur, ſcil.ad honeſtum, vel delectabile, *ſecundum quòd ad ipſum ordinatur*, inquit Doctor. [1]

CONCLUSIO I.

Bonitas tranſcendentalis non conſiſtit in pura negatione, nec in relatione ulla rationis, ſed in formalitate poſitiva ab ente formaliter ex natura rei diſtincta. Eſt Doctoris, & ſuorum.

Prob. 1. ex dictis tùm de proprietatibus entis in communi, tùm de unitate, & veritate in particulari. Namque ad hæc omnia tria, eadem eſt ratio de bonitate, ac de aliis. 1.enim pura negatio, quæ eſt non ens, non poteſt eſſe proprietas entis. 2. nec ens rationis eſt proprietas entis realis, & 3. ens ipſum non poteſt eſſe ſua proprietas, ergo debet formaliter diſtingui à ſua proprietate.

Prob. 2. ſpecialiter. Nam antecedenter ad ullam negationem, & relationem rationis, res dicuntur bonæ, & appetibiles, & de facto movent, aut movere poſſunt appetitum ad ſui amorem, ergo bonitas non eſt pura negatio, nec ens rationis, cùm habeat effectum poſitivum, & realem.

Prob.3.de negatione. Nam illa eſſet negatio imperfectionis, ſeu diminutionis, quatenùs bonum dicitur id, cui nihil deeſt: ſed hoc non poteſt dici, ergo, &c. Prob.min. Nam negatio imperfectionis eſt negatio negationis: imperfectio enim eſt etiam negatio: ſed negatio negationis eſt quid poſitivum, ergo, &c. Prob.min. Negatio enim non poteſt tolli, niſi per poſitivum: contradictoria enim ſe ſe mutuò inferunt, ergo, &c.

Confirm. Quia bonitas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quia melior eſt ipſa, quàm non ipſa: ſed negatio non eſt talis perfectio, ergo, &c.

Prob.4. de diſtinctione. Niſi enim entitas, & bonitas à parte rei, & objectivè diſtinguerentur, eſſent ſynonyma: ſed hoc eſt falſum, ergo, &c. Prob.min.Quia diverſis conceptibus concipiuntur, ac definiuntur.

Objic.1. Si bonitas præciſa ab ente diceret quid reale

[1] *in 4.d.49.qu.2.*

QUÆSTIO IX.

De Bonitate, an, & quid ſit.

BOnitas eſt 1. proprietas entis, nec de illius exiſtentia dubitare licet, cùm Script. S. illam aſſerat, dicens: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*. Natura autem ejus tantò eſt difficilior captu, quantò appetibilior poſſeſſu.

Bonitas, de qua agimus, eſt naturalis, metaphyſica, & tranſcendentalis. De morali dicetur in proprio tractatu: illa eſt propria omnibus omninò rebus, iſta ſolis actibus humanis.

Rurſus bonitas rerum alia eſt *abſoluta*, quam res habent in ſe, alia eſt *relativa*, quæ ſcil. reſpicit alia, quibus res una bona eſt. 1. idem eſt, atque perfectio rei, & eſſe bonum hac bonitate eſt eſſe perfectum, & integrum, juxta illud S. Dionyſii, *bonum ex integra cauſa: Eſſe bonum* alia illa *bonitate* eſt eſſe alteri utile, aut conveniens, & quæritur, an iſta ſit proprietas entis. Quidam enim volunt, bonitatem tranſcendentalem entis conſiſtere in perfectione abſoluta, & eſſentiali rerum, alii in relativa convenientia, alii in appetibilitate, alii in omnibus illis formalitatibus ſimul, alii in participatione divinæ bonitatis, ſeu perfectionis.

2. Bonum in ſe aliud eſt *eſſentiale*, aliud integrale, aliud accidentale. 1. dicitur, quod eſt perfectum eſſentialiter, conſtans ex omnibus, quæ ad eſſentiam ejus ſpectant, ita ut nihil ei deſit: & hoc ſenſu nihil dicit ſupra entitatem cujuslibet rei præter negationem defectus. 2. dicitur illud, cui nulla pars integralis deeſt, ut homo, cui non deſunt nec brachia, nec manus, nec digiti, &c. 3. quod habet non ſolùm perfectionem omnem eſſentialem, & integralem ſubſtantialem, ſed etiam omnem perfectionem ſibi congruentem, ut homo, qui non ſolùm eſt integer, ſed etiam ſanus mente, & corpore, ſapiens, &c.

3. Bonum *reſpectivum* aliud eſt *honeſtum*, quod per ſe decet naturam rationalem, ut virtus, ſapientia, &c. aliud delectabile, quod affert voluptatem, ut cibus dulcis, &c. Addunt aliqui utile, quod eſt appetibile

Digitized by Google

bile non propter ſe, ſed propter aliud : ſed iſtud facilè ad unum ex duobus præcedentibus reducitur, ſcil.ad honeſtum, vel delectabile, *ſecundum quòd ad ipſum ordinatur*, inquit Doctor. [1]

CONCLUSIO I.

Bonitas tranſcendentalis non conſiſtit in pura negatione, nec in relatione ulla rationis, ſed in formalitate poſitiva ab ente formaliter ex natura rei diſtincta. Eſt Doctoris, & ſuorum.

Prob. 1. ex dictis tùm de proprietatibus entis in communi, tùm de unitate, & veritate in particulari. Namque ad hæc omnia tria, eadem eſt ratio de bonitate, ac de aliis. 1. enim pura negatio, quæ eſt non ens, non poteſt eſſe proprietas entis. 2. nec ens rationis eſt proprietas entis realis, & 3. ens ipſum non poteſt eſſe ſua proprietas, ergo debet formaliter diſtingui à ſua proprietate.

Prob. 2. ſpecialiter. Nam antecedenter ad ullam negationem, & relationem rationis, res dicuntur bonæ, & appetibiles, & de facto movent, aut movere poſſunt appetitum ad ſui amorem, ergo bonitas non eſt pura negatio, nec ens rationis, cùm habeat effectum poſitivum, & realem.

Prob. 3. de negatione. Nam illa eſſet negatio imperfectionis, ſeu diminutionis, quatenùs bonum dicitur id, cui nihil deeſt: ſed hoc non poteſt dici, ergo, &c. Prob. min. Nam negatio imperfectionis eſt negatio negationis: imperfectio enim eſt etiam negatio: ſed negatio negationis eſt quid poſitivum, ergo, &c. Prob. min. Negatio enim non poteſt tolli, niſi per poſitivum: contradictoria enim ſe ſe mutuò inferunt, ergo, &c.

Confirm. Quia bonitas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, quia melior eſt ipſa, quàm non ipſa: ſed negatio non eſt talis perfectio, ergo, &c.

Prob. 4. de diſtinctione. Niſi enim entitas, & bonitas à parte rei, & objectivè diſtinguerentur, eſſent ſynonyma: ſed hoc eſt falſum, ergo, &c. Prob. min. Quia diverſis conceptibus concipiuntur, ac definiuntur.

Objic. 1. Si bonitas præciſa ab ente diceret quid

F 4 reale

[1] *in 4.d.49.qu.2.*

reale poſitivum ſupra ens, ipſa formaliter eſſet bona: ſed hoc dici non poteſt, ergo, &c. Maj. patet. Alioqui bonitas non eſſet tranſcendentalis, & daretur aliquid reale poſitivum, cui bonitas non conveniret. Prob. min. Nam eſſet bona per aliam bonitatem ſimiliter poſitivam, & realem, & ſic in infinitum, ergo, &c.

Reſp. ad maj. quòd eſt bona, ſicut eſt ens: eſt ens realiter, & identicè, ita & bona, ut diximus de unitate, & veritate ad ſimilia argumenta: uno verbo, eſt formalis bonitas, & nihil aliud.

Objic. 2. Ens, præciſa omni formalitate ſuperaddita, eſt in ſe perfectum eſſentialiter, & ni hil ei deeſt, ergo ſe ipſo, & abſque formalitate diſtincta eſt bonum.

Reſp. diſt. conſeq. Se ipſo eſt perfectum eſſentialiter, & quidditativè, conc. conſeq. eſt bonum bonitate ſecundaria, & qualificativa, ſed accidentali propria, neg. conſeq. Nam perfectio eſſentialis eſt pura quidditas rei, non proprietas: loquimur de illa bonitate, quam omnes agnoſcunt, ut proprietatem entis.

Objic. 3. Si bonitas diſtingueretur ex natura rei ab ente, ens non eſſet bonum ex natura ſua: ſed hoc eſt falſum, ergo, &c. Prob. min. Nam Auguſt. ait, quòd, *inquantum ſumus, boni ſumus*, & Boetius, *quidquid eſt in eo, quod eſt, bonum eſt*, ergo ens per ipſam rationem entis eſt bonum.

Reſp. diſt. maj. Non eſſet bonum natura ſua, ideſt, per ipſammet formalitatem entis, ſed per aliam formalitatem realiter identificatam, conc. maj. & neg. min. id. ex aliquo ſibi realiter identificato, neg. maj. & conſeq. Omnia igitur ſunt bona tranſcendentaliter hoc ipſo, quòd ſunt, quia ratio entis habet ſibi realiter identificatam bonitatem, licèt formaliter diſtinctam, & nihil aliud volunt SS. Patres.

CONCLUSIO II.

Bonitas formalis, & tranſcendenralis entis conſiſtit in ea convenientia, per quam eſt appetibilis, ſeu in convenientia aptitudinali ad appetitum. Ita Scotiſtæ poſt Doct.

Probari poſſet primò ex diverſis textibus Docto-

ctoris, [1] qui ſemper explicat naturam boni, ut ſic, per appetibilitatem, ut videbis apud Maſtrium [2] noſtrum, & ut ipſe fatetur, & expertus ſum, non invenio, ubi poſitivè bonitatem explicuerit, ſed potius ſuppoſuit. Adduxi textum ſuprà, ubi videtur aſſerere, quòd *veritas, & bonitas fortè non dicunt aliquid abſolutum, ſed relationem ſaltem ſecundum dici.* Ideò, ſicut explicat veritatem per relationem conceptibilitatis, ita rectè poſſumus explicare bonitatem per relationem appetibilitatis. Dico *appetibilitatis*, quia eſt aptitudinalis, non actualis, quæ fundatur in virtute, ſeu perfectione intrinſeca omnis entis, ut eſt ens.

Prob. ergo ex dictis de veritate. Sicut ſe habet verum ad intellectum, ſic bonum ad voluntatem: ſed verum rectè explicatur per conceptibilitatem, ergo & bonum per convenientiam appetibilem.

Prob. 2. Nam bonitas in ſpecie conſiſtit, & rectè explicatur per appetibilitatem ſpecialem, ergo & bonitas, ut ſic, & tranſcendens, per appetibilitatem tranſcendentalem. Prob. min. Tres numerantur ſpecies boni, *honeſtum, utile, & delectabile*: ſed hæ ſpecies explicantur per appetibilitatem, ergo, &c. Prob. min. ex Doct. Bonū *honeſtum* dicitur propter ſe appetibile, ſeu per modum finis: *utile* dicitur appetibile propter aliud, & per modum medii: & denique *delectabile*, quod magis accedit ad rationem finis, dicitur aliquo modo appetibile propter ſe, non tamen ultimatè: & ſic quaſi mediat inter duo priora bona, ſed tamen convenit in appetibilitate, ergo, &c.

Confir. ex illa vulgata Philoſ. [3] ſententia: *Bonum eſt, quod omnia appetunt*, quam approbat D. Dionyſius, [4] ergo bonum explicatur per appetibilitatem.

Objic. 1. Omnis creatura, prout eſt à Deo, eſt bona, ergo ejus bonitas eſt abſoluta, non relativa ad appetitum. Prob. anteced. ex Scriptura citata, & eſt de fide contra Manichæos. Prob. etiam conſeq. Nam, licèt nullus eſſet appetitus, ad quem entia referrentur, quaſi à poſteriori, adhuc eſſent bona ex parte Dei, quaſi à priori.

Reſp. neg. conſeq. & rationem ejus. Nam, licèt ens ſit

[1] *in* 4 *d.*48.*qu.*1.*C.nu.*4.*&* 49.*q.*1.§.*ad* 1.*p.n.*19.
[2] *diſp.*15.*nu.*265. [3] 1.*ethic.*
[4] *c.*1.*de divin.nomin.cap.*4.

Digitized by Google

ſit bonum ex ſe, & illa bonitas non ſit poſitivè relativa, nec abſoluta, tamen id non impedit, quin benè explicetur per appetibilitatem, quæ eſt relatio non actualis, ſed ſecundum dici.

Inſt. 1. Bonitas in Deo eſt perfectio abſoluta, ergo & in creatis, & in omnibus entibus.

Reſpond. neg. conſeq. Nam in ente, ut ſic, quod præſcindit ab abſoluto, & relativo, unitas etiam præſcindit: in Deo, & in abſolutis eſt abſoluta, in relativis eſt relativa, ſed ſemper licet eam ubique explicare per relationem ad appetitum, quia ſic faciliùs capitur.

Inſtab. 2. Scotus [1] docet, quòd *unum, verum, & bonum* ſunt perfectiones ſubſtantiæ, & abſolutæ. *Unum in creatura repræſentat unitatem appropriatam Patri, verum veritatem appropriatam Filio, & bonum bonitatem appropriatam Spiritui ſancto, & iſtæ omnes perfectiones ſubſtantiæ ſunt abſolutæ, & repræſentant tres perfectiones abſolutas Dei*, ergo, ex Scoto, bonitas eſt quid abſolutum.

Reſp. Scot. ibi loqui de bono creato, non autem de tranſcendenti, & de reſpectu ad bonum increatum, reſpectu cujus bonitas creata eſt perfectio abſoluta: non autem loquitur de bonitate convenientiæ ad appetitum, cui omne ens eſt appetibile ratione illius bonitatis, &, quamvis ibi videretur aliquatenùs inclinare pro abſoluto, non faceret contra nos, quia nondùm diximus, bonitatem conſiſtere in pura relatione, ſed rectè explicari per illam convenientiam appetibilitatis, quæ involvit relationem *ſecundum dici*, & tenemus, bonitatem tranſcendentalem ex ſe præſcindere ab abſoluto, & relativo. Denique Scotus in alio illo loco à nobis allato tenet ſaltem probabiliter, quòd nec *verum*, nec *bonum* ultra ens dicunt rationes abſolutas.

Objic. 2. Ens per hoc intelligitur *bonum*, quod eſt cuicunque conveniens naturæ, & definit agnoſci bonum, quod non intelligitur conveniens, ergo ratio boni, ut ſic, non conſiſtit in convenientia. Prob. ant. Nam, ver. gr. venenum hoc ipſo eſt bonum ſerpenti, quia illi convenit, & malum homini, quia illi diſconvenit, & ſic de cæteris, ergo, &c.

Reſp.

[1] *1. d. 3. qu. 5. E. nu. 5.*

Reſp.diſt.antec. Bonitate particulari, conc. antec. bonitate tranſcendentali, neg.antec. utrumque. Illa enim convenientia non ineſt rebus formaliter,& precisè ratione entis, ut ſic, ſed ratione talium entium in particulari ex aliqua ſympatia. Convenientia, ſeu bonitas tranſcendentalis debet venire ex præciſa ratione entis.

Inſtab. Omnia genera boni explicantur per illam convenientiam, ergo illa eſt ratio præciſa boni, ut ſic. Prob. antec. Bonum honeſtum eſt, quod convenit naturæ rationali: delectabile, quod convenit naturæ ſenſibili: & utile, quod convenit utriſque ad ſuum finem, ergo, &c.

Reſpondeo neg. conſeq. Nam talis convenientia dicit ordinem ad appetitum, & ſic iſta inductio facit pro nobis contra adverſarios: non enim eſt convenientia unius rei ad alteram, ſed ad naturam appetitivam.

Objic.3. Ratio boni movet appetitum: ſed pura relatio non poteſt movere aliud, ergo ratio boni non eſt pura relatio. Prob.min. Ratio movens appetitum eſt perfectio quædam: ſed pura relatio non dicit perfectionem, ne in divinis quidem, ergo, &c.

Reſp.diſt.min. Relatio præcisè,& formaliter,conc. min. realiter, & ſecundum id, in quo fundatur, neg. min. & conſeq. Non enim dicimus, quòd ratio boni tranſcendentalis ſit pura relatio: eſt enim aliqua formalitas de ſe præſcindens à relativo, & abſoluto: ſed dicimus, illam benè explicari per illum reſpectum convenientiæ appetibilis.

Inſt. Appetibilitas ſupponit appetitum, ut correlativũ: ſed appetitus non eſt ratio tranſcendens entis,ut ſic,alioqui eſſet in omni ente, ergo nec appetibilitas.

Reſpon.diſt.maj. Supponit appetitum ſaltem poſſibilem, ſive ut quid inferius, ſive ut æquale, conc. maj. actualem, & ut quid æquale, & ſimiliter tranſcendens, neg.maj.& conſeq.conceſſa min.Nam prædicata ſuperiora dicunt relationes ad inferiora, ut *animal* dicit unitatem, & communicabilitatem ad *rationale*, & non ſequitur, *rationalitatem* eſſe illi æqualem, & genericam, ſicut *animal.*

Inſt.2. Prius eſt ens eſſe in ſe bonum, quàm appetibile ab alio, ergo ratio bonitatis conſiſtit in perfe-

ctione poſitiva, & priori relatione convenientiæ appetibilis, etiam quoad modum explicandi.

Reſp. diſt. antec. Prius eſt ens eſſe in ſe bonum, ſeu perfectum bonitate primaria, & eſſentiali, quæ eſt ipſiſſima eſſentia perfecta entis, conc. antec. ſecundaria, quæ eſt proprietas ab illa manans, neg. ant. Hæc autem rectè explicatur, & importat convenientiam appetibilitatis.

Inſt. 2. Illa appetibilitas non eſt, niſi denominatio extrinſeca petita ab appetitiva natura, ergo non eſt proprietas intrinſeca entis.

Reſp. neg. ant. Nam venit ab ipſa perfectione intrinſeca entis, ut dictum eſt, licèt connotet naturam appetitivam: unde ſi nullus eſſet appetitus, adhuc ens, ut bonum, eſſet appetibile, ſicut diximus de veritate reſpectu intellectus, ſaltem materialiter, ſeu radicaliter, non tamen formaliter, ſi videlicet implicaret facultas appetitiva, & cognoſcitiva.

CONCLUSIO III.

B*onitas ſic eſt adæquata paſſio, & convertibilis cum ente, ut conveniat etiam enti non exiſtenti, & poſſibili.* Ita Scotiſtæ poſt Doctorem.

Prob. ex Scoto [1] docente, quòd Deus diligit tàm exiſtentia, quàm poſſibilia, ſed diverſo amore: *Quædam diligit dilectione efficaci, puta illa, quæ aliquandò producit in eſſe, quædam volitione complacentiæ, non efficaci, quæ tamen nunquam perducet in eſſe, oſtenduntur tamen ab intellectu ſuo, ut poſſibilia habere tantam bonitatem*, ergo in entibus non exiſtentibus, imò neque futuris, ſed purè poſſibilibus datur aliqua bonitas, quæ terminat aliqualem Dei amorem.

Prob. 2. Quia ens, ut objectum Metaphyſicæ, abſtrahit ab actuali exiſtentia: ſed paſſiones illæ, de quibus hic agimus, ſunt entis, prout eſt objectum Metaphyſicæ, ergo, &c.

Prob. 3. Quia exiſtentia actualis nihil addit enti, niſi ſingularitatem, & modum exiſtentiæ, quæ eſt contingens, ſecundum quem ſic eſt, ut aliquandò poſſit non eſſe: ſed iſtæ paſſiones non prædicantur de

[1] *in 3. d. 32. q. un. B. nu. 2. & quodl. 16. G. & C.*

de ente contingenter, ſed neceſſariò, ergo conveniunt enti independenter ab actuali exiſtentia.

Prob. denique. Quia experimur nos amare,& appetere multa, quæ non exiſtunt,ergo bonitas transcendentalis entis non pendet ab exiſtentia.

Objic. 1. Si bonitas eſſet paſſio ſic adæquata entis, creaturæ eſſent bonæ per eſſentiam, æquè ac Deus; falſum conſeq. ergo,&c. Prob. ſeq. maj. Omnis proprietas intrinſeca dicitur de ſubjecto per eſſentiam, id eſt, manat ab eſſentia,& illi neceſſariò convenit, ergo per eſſentiam illis conveniret bonitas.

Reſp. diſt.maj. Eſſent bonæ bonitate entis per bonitatem manantem neceſſariò ab earum eſſentia, conc.maj.& neg. min. per eſſentiam, ideſt, à ſe independenter à Deo, à quo participant eſſe, neg. maj. & conſeq. Cùm ergo Deus dicitur bonus per eſſentiam, ſenſus eſt, quòd ſicut eſſentialiter Deus eſt ens à ſe, ita & bonus, & verus; at, ſicut creatura non eſt ens à ſe, ſed per participationem, & dependenter à Deo; ita & bona; quamvis illa bonitas fluat ab ejus eſſentia.

Objic.2. Multa ſunt entia, quę non habent ullam bonitatem, ſed potiùs malitiam, ergo bonitas non eſt convertibilis cum ente. Prob. ant. Actus peccati, erroris,& odii Dei nullam bonitatem habent,ſed puram malitiam, ergo, &c.

Reſp.neg.ant. & diſt. prob. Nullam habent bonitatem moralem,conc. ant. Metaphyſicam, & transcendentem, neg.ant. in genere moris illa ſunt peſſima, ſed in genere entis tantum habent bonitatis realis, quantum habent entitatis realis.

Objic.3. Relationes creatæ formaliter nullam dicunt perfectionem: ſed illæ ſunt entia,& quidem realia, ergo,&c.

Reſp. diſt. maj. Non dicunt perfectionem quantitativam, conc.maj. entitativam, n.maj.& conſeq. Habent ergo bonitatem relativam proportionatam entitati ſuæ relativæ, & participant de bono, ſicut de ente.

Inſt.Relationes de ſe non poſſunt movere voluntatem ad ſui amorem, ergo nullam habent de ſe bonitatem, nam proprium boni eſt ſic movere voluntatem.

Reſp.

Reſp. 1. neg. ant. Non eſt enim de ratione omnis entis, nec per conſeq. omnis boni ſic per ſe movere voluntatem, ſufficit, ut moveant, ſecundum quod ſunt, & intelliguntur, & ideò relationes, quæ ſunt minimæ entitatis, dependent eſſentialiter ab alio in eſſe, & repræſentari, & ita ſe habent ad amari.

Reſp. 2. neg. conſeq. Quia ſufficit fortè poſſe movere, aut terminare volitionem, ut poſſit aliquid dici bonum; hoc autem poſſunt relationes, ſc. terminare aliqualem amorem voluntatis, ſed de hoc aliàs.

Objic. 4. Negationes, & impoſſibilia ſunt appetibilia, ergo non ſunt paſſiones convertibiles cum ente. Patet conſeq. Nam impoſſibilia, & negationes non ſunt entia, ergo appetibilitas convenit non entibus. Probatur autem ant. Nam Angeli dicuntur appetiiſſe æqualitatem Dei: ſed hæc eſt impoſſibilis, ergo, &c.

Reſp. 1. de negationibus, diſt. ant. Sunt appetibiles indirectè, & per accidens, ratione alicujus poſitivi, conc. ant. & eo modo ſunt bonæ per ſe directè, neg. ant. & conſeq. Quantum ad impoſſibilia, neg. conſeq, quia voluntas in eo caſu affingit illis aliquam poſſibilitatem, & bonitatem, quamvis in eis non ſit, & ſic ſibi ea proponit, ut entia, & ut bona, & ſic ea appetit; unde bonitas eſt ficta.

QUÆSTIO X.

De malo; an, & quid ſit.

MAlum opponitur bono; & quotuplex eſt iſtud, totuplex eſt illud, ejuſque natura facilè capitur ex his; quæ diximus de bono, unde, ſicut bonum eſt, *quod omnia appetunt*, ſic malum eſt, *quod omnia fugiunt*. Sicut bonum eſſentiale eſt perfectio eſſentialis, ſic malum eſt deſtructio eſſentiæ: *Bono naturali* opponitur *malum naturale*, ſic *morali morale*, *honeſto inhoneſtum*, *delectabili afflictivum*, *utili pernicioſum*. Circa exiſtentiam mali peſſimè olim errarunt Manichæi, & Priſcillianiſtæ, qui putarunt, aliquas creaturas eſſe in ſe bonas, & alias in ſe malas, illorumque authorem Deum, qui eſt ſum-

Digitized by Google

mè bonus, & iſtarum alium Deum, ſeu principium, quod eſt ſummum malum, ſicque duo rerum principia fingebant, *ſummum bonum*, & *ſummum malum*, ſed has tartareas tenebras à multis ſæculis diſſipavit Lux Evangelica. Quærimus hìc breviter, in quo præcisè conſiſtat ratio mali, an in privatione, vel negatione; an in aliquo poſitivo, tum an detur malum tranſcendens.

Quantum ad hoc poſterius, certum eſt, non dari malum tranſcendens, quod ſit in entibus: nam, ſuppoſito, quod diximus concluſione 3. quæſtionis præcedentis; bonum eſt proprietas adæquata, & convertibilis cum ente, adeò ut omne ens ſit bonum, & omne bonum ſit ens, ergo nullum ens eſt malum, malitia oppoſita bonitati tranſcendenti; reſtat ergo explicare naturam mali.

CONCLUSIO I.

M*Alum conſiſtit præcisè, & formaliter in privatione*. Ita Doctor cum ſuis, & aliis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui malum morale ponit in privatione; nam peccatum eſt formaliter privatio boni, quia, *cùm agens inferius teneatur ſe conformare agenti ſuperiori, non conformari illi eſt peccatum*, &c. Item. [2] *Bonum eſt ex perfecta, & integra cauſa; omnibus iſtis deficientibus, & natura ſtante, quæ deberet perfici illis, eſt perfectè malum*. Item docet, [3] quòd *bonitas in habendo illud, quod ſibi convenit, non tantùm eſt bonitas accidentalis, ſed naturalis*, ergo malitia illi oppoſita, ſc. tàm accidentalis, quàm naturalis conſiſtit in privatione boni convenientis ſibi. Denique generaliter loquendo dicit, quòd *habens bonitatem tantam, quantæ ipſum eſt capax, nullam habet malitiam*; ergo malitia conſiſtit in privatione bonitatis, cujus ens capax eſt.

Prob. 2. ex SS. PP. pro quibus adſit unus Auguſtinus. [4] *Mali nulla natura eſt; ſed amiſſio boni mali nomen accepit*. Item, *quid eſt autem aliud, quod malum dicitur, niſi privatio boni?*

Prob. 3. ratione. Illud eſt formalis, & præciſa ratio mali, quo poſito, ponitur malum, & quo ſub-

[1] 8. *d.* 37. *n.* 1. & *diſt.* 46. *A. n.* 1. [2] *quodl.* 18. *D.* [3] *d.* 8. *n.* 19. [4] 11. *de civit. c.* 9.

Digitized by Google

ſublato, tollitur: ſed poſita privatione boni, ſeu perfectionis, cujus res eſt capax, ponitur bonum, & ſublata, tollitur, ergo ratio mali conſiſtit in privatione. Prob. min. v.g. de malo morali, quia hoc ipſo, quòd actus humanus conformatur rectæ rationi, aut legi, eſt bonus; & hoc ipſo, quòd tollitur illa conformitas, fit malus, ergo, &c. Prob. etiam de malo phyſico. Nam cæcitas non importat, niſi puram privationem viſus in oculo, ergo malum, ut ſic non conſiſtit formaliter in poſitivo. Conſeq. prob. Nam, ſi malum, ut ſic, conſiſteret in aliquo poſitivo, omne malum deberet illud poſitivum importare, ergo, &c.

Prob. 4. Nam malum aliud eſt in ſe, & abſolutum, aliud ad alterum, quod dicitur diſconvenientiæ, ſed neutrum eſt in poſitivo, ergo nullum malum conſiſtit in poſitivo. Prob. min. de abſoluto. Nam malum in ſe idem eſt, atque imperfectum: ſed imperfectio importat puram negationem perfectionis debitæ, ergo, &c. Prob. 2. eadem min. de malitia relativa diſconvenientiæ. 1. Quia res bona in ſe intantum eſt diſconveniens, & mala alteri, quia nocet ei, privans eam bono, ergo privationem importat primariò, & per ſe. Dixi *primariò, & per ſe*: nam ſecundariò poteſt inferre aliquid poſitivè diſconveniens, v.g. venenum privat ſanitate, & delectatione, & infert dolorem, & morbum, ſed ſecundariò, ſic calor eſt malus aquæ, quia privat eam frigiditate innata, & deinde infert calorem, à quo abhorret propter exigentiam frigoris; nam de ſe, & entitativè, & abſolutè calor non eſt malus, ſed bonus, ergo malum diſconvenientiæ dicit formaliter negationem.

De malo morali non diſputamus hìc, an in poſitivo conſiſtat, quia id examinabitur ex profeſſo in Morali.

Objic. 1. Scotus[1] agnoſcit malitiam contrariam, & privativam, ergo ratio formalis malitiæ, ut ſic, non conſiſtit in privatione. Prob. conſeq. Nam contrarietas eſt inter poſitiva.

Reſp. d. ant. Contrarium ſecundariò, & conſequenter ad contradictorium, conc. ant. directè, & primariò,

[1] *Quodl.* 18. *L.*

Digitized by Google

riò, neg.ant. Do verba Scoti. *Videndum eſt, unde actus habeat malitiam moralem; uno modo poteſt malitia opponi privativè bonitati in actu*; & eſt per puram negationem rectitudinis debitæ: *alio modo contrariè, quandò habet habitum vitioſum, qui eſt quidem habitus poſitivus, licèt cum privatione perfectionis debitæ; alio modo dicitur privativè tantùm, ſc. quia caret bonitate, quam deberet habere, licèt non habeat habitum vitioſum contrarium poſitivum*, ergo Scotus ſemper præſupponit oppoſitionem inter bonum, & malum eſſe primariò privativam, quia ſemper malitia dicit primariò privationem perfectionis debitæ, ſed non eſt ſemper pura privatio: eſt pura, quandò non adeſt habitus vitioſus oppoſitus rectitudini virtutis; eſt autem contraria ſimul, & privativa, quandò adeſt talis habitus vitioſus, ut apertè docet ibi Scotus; & ſic ille textus facit pro nobis. Primam vocat malitiam privativam, non contrariam, 2. vero malitiam privativam contrariam, ſed utraque hoc habet, quòd non ſit primariò contraria.

Objic. 2. Relatio diſſimilitudinis eſt poſitiva, & inter poſitiva, ergo & relatio diſconvenientiæ, in qua conſiſtit malitia. Prob. conſeq. Malitia caloris in aqua conſiſtit in relatione diſconvenientiæ inter calorem, & aquam, ſicut diſſimilitudo inter album, & nigrum, ergo valet paritas. Reſp. neg.conſeq. & ant. prob. atque parit. Calor enim non eſt malus aquæ, niſi quatenus illam privat perfectione debita illi, ſc. frigore innato. Non ita eſt de relatione diſſimilitudinis.

Inſt. 1. Dolor, v.g. eſt malus ſenſui, licèt non tollat ab eo formam ullam poſitivam, ergo diſconvenientia non ſemper importat privationem.

Reſp. n.ant. Nam tollit integritatem, aut ſanitatem, aut aliam qualitatem, & bonum ſenſui connaturale.

Objic. 3. de malo morali. Sunt aliqui actus per ſe mali, quibus nulla rectitudo poteſt convenire, ergo illorum malitia non poteſt eſſe privatio. Prob. ant. Odium Dei ſic eſt per ſe malum, ergo, &c.

Reſp. neg.ant. & ad prob. dico, ipſos actus eſſe oppoſitos præceptis, & regulis negativis, & ſic privatio non ſubjectatur quidem in ipſis actibus, ſed in

Digitized by Google

in voluntate non omittente illos. Sed de his in morali.

DISPUTATIO IV.

De Paſſionibus incomplexis, ſeu diſjunctivis entis.

Diximus paſſiones entis, alias eſſe ſimplices, quæ unico nomine ſignificantur, & conveniunt omni enti ſimul, ut *verum*, *unum*, & *bonum*, de quibus diſputatio precedens egit; alias complexas, & disjunctas, quæ complexis terminis exprimuntur, & disjunctivè conveniunt enti; & tales ſunt *actus*, & *potentia*, *neceſſarium*, & *contingens*, *idem*, & *diverſum*, *ens per ſe*, & *per accidens*, & de his erit præſens diſputatio.

QUÆSTIO I.

De potentia, & actu.

1. POtentiæ nomen ſumitur pro principio operandi, vel patiendi, & hoc ſenſu dividitur *potentia in activam, & paſſivam*. 2. Pro ente in *potentia objectiva*, quod opponitur enti actuali, ſeu exiſtenti, ſeu actui entitativo, & in hoc ſecundo ſenſu propriè ſpectat ad metaphyſicum, ſicut in priori ſpectat ad phyſicum, ſaltem propriè, quia importat motum, licèt etiam aliquatenus à metaphyſico poſſit conſiderari, ſaltem quatenus conducit ad perfectiorem cognitionem *actus entitativi*, & *potentiæ objectivæ*.

2. *Potentia activa* deſcribitur ab Ariſt. *Principium tranſmutandi aliud, inquantum aliud*; id eſt, tranſmutandi ſubjectum per introductionem formæ alicujus, aut deſtructionem: *paſſiva* autem *eſt principium tranſmutandi ab alio*, ſc. quo ſubjectum aliquod poteſt tranſmutari à principio activo. Per quod vides, *potentiam activam* ſic deſcribi per ordinem non ad formam principiatam, ſeu productam, aut deſtructam, ſed ad ſubjectum, quod per introductionem, vel remotionem formæ tranſmutatur, & hæ definitiones ſunt phyſicæ, quia important mo-

motum, non verò metaphyſicæ, quia hæc ſcientia abſtrahit à motu.

3. Porrò *Potentia paſſiva* poteſt conſiderari 1. per ordinem ad principium, ſeu ad agens, & hæc conſideratio dicitur ratio potentiæ, *in quam* ſc. agens agit, 2. ad formam, quam recipit, & *cum qua* conſtituit compoſitum, & hic reſpectus dicitur *in qua*, ſc. forma recipitur, & ſuſtentatur. 3. ad principiatum, id eſt, ad compoſitum ex ſubjecto, & forma recepta, ſeu introducta, & ſecundum hunc reſpectum dicitur potentia, *ex qua* ſc. ex quo ſubjecto cum forma recepta coaleſcit compoſitum, quod eſt principiatum totale, cujus compoſiti ſubjectum illud eſt pars potentialis, & ex qua cum alia comparte actuali compoſitum coaleſcit.

4. Rursùs eadem *potentia paſſiva* triplicem habet reſpectum ad actum, ſeu formam, quam recipit ab agente. 1. Si habet inclinationem naturalem ad formam, ut aqua ad frigus, dicitur *potentia naturalis*. Si habet repugnantiam, ut aqua ad calorem, dicitur *violenta*. Si eſt indifferens, ut ſuperficies ad albedinem, vel nigredinem, aut alium colorem, dicitur *potentia neutra*; hanc tertiam ſuſtinent ex profeſſo Scotiſtæ, negant Thomiſtæ, ſed de his in Phyſica.

5. Potentia *paſſiva* in ordine ad agens, à quo recipit formam, dividitur in *naturalem*, quandò agens natum eſt ad introducendam talem formam in illud paſſum, ut aqua reſpectu ignis eſt in potentia paſſiva calefactionis; & *ſupernaturalem*, quandò agens non eſt natum ad talem formam introducendam in paſſum, ut oculus cæcus reſpectu hominis impetrantis illi viſionem: & dicitur etiam *potentia obedientialis paſſiva*, & de his etiam in Phyſicis.

6. Potentiæ paſſivæ, & activæ correſpondet actio, & paſſio; ſed de his diximus in Logica, & redibit ſermo in Phyſica.

7. Quantum ad potentiam *ſubjectivam*, & *objectivam*, potentia *ſubjectiva* eſt ea, ſecundum quam ens eſt in potentia receptiva ad aliquē actum ſubſtantialem, vel accidentalem recipiendum, & hoc ſenſu materia prima dicitur *pura potentia paſſiva*, ſeu *ſubjectiva*. Et huic opponitur *actus formalis*, ſeu quæcunque forma. Ad hanc requiritur 1. ut realiter exiſtat.

Digitized by Google

ſtat. 2. ut poſſit aliquid realiter recipere, ideò Deu non eſt *potentia ſubjectiva*, ſeu *paſſiva*, quia nihil poteſt recipere ad extra: *potentia objectiva* dicitur illa, ſecundum quam aliquid poteſt produci, ſed nondum producitur, ut creatura ante creationem erat in potentia objectiva; Antichriſtus, conflagratio mundi, judicium univerſale, &c. ſunt in potentia objectiva, quia poſſunt eſſe objecta, ſeu termini potentiæ activæ Dei, actus verò correſpondens huic potentiæ non eſt forma, ſed exiſtentia actualis: ſic opponuntur ens in *potentia*, & *ens in actu*, ſeu *exiſtens*. Ad hanc ergo potentiam requiritur 1. ut res, quæ ſic dicitur in potentia, non exiſtat actu. 2. ut illi non repugnet exiſtere, licèt fortè nunquam ſit extitura, & ſic excluduntur ab hac potentia chimæra, & omnia entia rationis, ſeu fictitia: his enim repugnat actualis exiſtentia in rerum natura.

His addunt *potentiam logicam*, quæ eſt modus quidam compoſitionis formatæ ab intellectu judicante terminos illius compoſitionis non includere contradictionem, ſive à parte rei ſit poſſibilis, ſive non: ſic Deus dicitur poſſibilis logicè, quatenus non repugnat in rerum natura, non verò objectivè, quia implicat illum non exiſtere actualiſſimè, & illum terminare potentiam ullius agentis: potentia verò Logica non dicit ordinem ad ullum agens, unde ſi per impoſſibile nullum eſſet agens ad productionem mundi, adhuc eſſet poſſibilis logicè.

De potentia objectiva quæri ſolet, an ſit quid reale: ſed de hoc videbimus, cùm dicemus de eſſe, quod habuerunt creaturæ ab æterno.

Quæritur etiam *ad quid referatur potentia objectiva*.

Reſp. breviter illam dicere reſpectum ad exiſtentiam actualem, & ad agens, per quod poni poteſt extra cauſas. Per reſpectum ad agens habet rationem potentiæ paſſivæ, quia per illud reſpicit eſse actuale, ſeu exiſtentiam: per reſpectum ad exiſtentiam non recipit quidquam: ſed exit extra cauſas. Antequam res producatur à Deo, eſt in *potentia objectiva*, quia nihil habet, niſi præter poſſe produci, & ſic dicitur in *potentia objectiva*, reſpectu actus exiſtentiæ, cum autem producta eſt, dicitur eſſe actu.

Jam

Digitized by Google

Jam verò, quia *potentiæ* reſpondet actus, & primò *potentiæ activæ*, & *paſſivæ* duplex *actus* reſpondet, ſc. *actus primus*, & *ſecundus*, actus primus, qui eſt forma, reſpondet *potentiæ paſſivæ*, & 2. qui eſt operatio, reſpondet *activæ*.

2. *Potentiæ ſubjectivæ* reſpondet *actus formalis*, & *potentiæ objectivæ* reſpondet *actus entitativus*. Actus formalis eſt ipſa forma, ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis, adeò ut ſubjectum dicatur in *actu formali*, quandò habet de facto formam: *entitativus* verò eſt ipſa formalis exiſtentia rei, per quam eſt extra ſuas cauſas: unde in Phyſica dicimus, materiam eſse puram potentiam ſubjectivam, non verò objectivam, quia habet actum entitativum, ſc. exiſtentiam propriam.

Ex his patet, quòd, cùm dicimus *ens in potentia*, intelligitur de *potentia objectiva*, ſenſus eſt, quòd non habet actualem exiſtentiam extra ſuas cauſas, & nec aliud eſse, quàm non repugnantiam ad exiſtendum: ens verò in actu eſt ens realiter exiſtens in rerum natura, & extra ſuas cauſas: & ſicut prius eſt eſse poſſibile, quàm eſſe actu, & prioritate durationis, vel naturæ, ita prius eſt eſse in potentia objectiva, quàm eſse actu. Quæ omnia breviter explicaſse ſufficiat pro inſtituto noſtro.

QUÆSTIO II.

De neceſſario, & contingenti.

NEceſsarium, & contingens dicuntur 1. de propoſitionibus, & de his in Logica. 2. dicuntur etiam de agentibus naturalibus, & liberis: & de his in libris de anima. 3. dicuntur de ſimplicibus, ſeu de ente, tanquam modi ejus intrinſeci, aut differentiæ dividentes: & illud dicitur *neceſſarium*, quod non poteſt nō eſſe, *contingens* verò, quod ſic eſt, ut potuerit non eſſe. Hæc autem neceſſitas alia eſt *ſimplex*, qua aliquid eſt immutabile, indefectibile, & cui planè repugnat non eſſe: talis eſt ſolus Deus: alia neceſſitas *ſecundum quid*, qua aliquid eſt quidem indefectibile in ſe, & quoad cauſas ſecundas, ſed non quoad cauſam primam, v.g. materia prima eſt incorruptibilis, & de-

& defectibilis ex ſe, quia caret principio intrinſeco, & extrinſeco corruptibilitatis inter creaturas, ſed eſt creata contingenter, & poteſt deſtrui à cauſa ſuperiori, ſc. Deo.

Quæri autem poſſet. *an detur aliquod ens neceſſarium alterutro modo?* Sed hoc remittimus ad Theologos, qui probant, & demonſtrant, Deum eſſe & ſummè neceſſariò, & omninò indefectibiliter, & immutabiliter: cætera verò præter Deum cuncta eſſe contingentia, & à Deo habentia eſſe.

Quæri etiam poſſet, *quid circa hæc ſenſerit Philoſophus*, ſed de hoc non curamus: qui voluerit diſputare, videat Maſtrium, [1] & alios.

Contingentia, & *neceſſitas* alia eſt in *eſſendo*, alia in *cauſando*, neceſſitas in *eſſendo* ſoli Deo convenit: eſtque modus intrinſecus, ſeu quaſi differentia, qua contrahit ens, ut ſic, ad ſe; & diſtinguitur à creatura, quæ eſt contingens in eſſendo, & hæc contingentia eſt pariter modus intrinſecus, ſeu differentia, qua ens contrahitur ad creaturam, & tam neceſſitatem hanc, quàm contingentiam deſcripſimus ſupra.

Contingentia, & *neceſſitas* in *cauſando* activè ſumptæ ſunt modi convenientes cauſis in ordine ad ſuos effectus, quos producunt, vel *neceſſariò*, ſi poſitis omnibus ad cauſandum requiſitis, non poſſint non cauſare, vel *contingenter*, ſi, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poſſint non agere.

Hæc *Contingentia* duplex eſt. 1. *ſimpliciter*, quandò cauſa habet in ſua poteſtate actum ſuum, ita ut ab illa dependeat illum ponere, vel non ponere: quod eſt proprium cauſis liberis. 2. *ſecundum quid*, quandò cauſa non habet quidem actum in ſua poteſtate, ita ut poſſet ab eo abſtinere, ſed tamen poteſt impediri ab alia cauſa extrinſeca: ſic calefactio eſt effectus neceſſarius ignis ſecundum quid, quia ex ſe non poteſt non calefacere, ſed poteſt calefactio impediri à Deo.

Quæri autem ſolet, *quænam ſit 1. radix contingentiæ in rebus*.

Reſp. breviter pro nunc, radicem contingentiæ in *eſſendo* petendam eſſe ab ipſa natura rerum, in

[1] *Diſp. 6. n. 12. & 34.*

Digitized by Google

in *cauſando* autem illam venire à Deo.

Ratio primæ partis clara eſt ex dictis: nam limitatio, ſeu finitas eſt intrinſeca omnibus creaturis, ſicut infinitas, & neceſſitas eſt intrinſeca Deo.

Ratio 2. partis, ex Scoto, eſt. Quia, ſi Deus ageret neceſſariò ad extra, produceret omne producibile, quod poteſt, ſe ſolo, ergo non relinqueret cauſis ſecundis ullum effectum. Prob. conſeq. Quia ſe ſolo poteſt producere, quidquid producit cum cauſis ſecundis, ergo nihil relinqueret producendum cauſis ſecundis.

Confirm. Quia etiam poſito, quòd cauſæ ſecundæ aliquid agerent, agerent neceſſariò, ergo, &c. Prob. ant. Nam intantùm agunt cauſæ ſecundæ, inquantum moventur, & adjuvantur per Dei concurſum, ſed Deus moveret, & concurreret neceſſariò, ergo & cauſæ ſecundæ ſic agerent. Sed de his etiam aliàs, ſc. in Phyſica, & Theologia.

QUÆSTIO III.

De ente per ſe, & per accidens.

Jam aliqua per occaſionem diximus de his entibus, tum in Logica, ubi de anteprædicamentis, tum ſupra, ubi de unitate: pauca hìc dicenda reſtant.

Ens dicitur *per ſe*, vel per ordinem ad principium, ſeu cauſam, & ſic illud eſt, quod *per ſe*, & primariò intenditur ab agente, ſeu à cauſa, *per accidens* verò, quod præter intentionem venit, vel in ordine ad ſe, & ſecundum naturam ejus, & de iſto procedit hæc quæſtio, non de priori, quod ſpectat ad materiam de cauſis.

2. Ens igitur *per ſe* dicitur per ordinem ad unitatem naturæ ejus, quę eſt vel ſimplex, vel compoſita. Ens *per ſe* ſimplex unicam, & ſimpliciſſimam entitatem importat, ut Angelus. Ens *per ſe compoſitum* continet plures entitates, quæ unicam naturam conſtituunt, ſive metaphyſicè, ut genus, & differentia, animal, & rationale, quæ conſtituunt hominem, vel phyſicè, ut materia, & forma ſubſtantialis, v. g. corpus, & anima rationalis, quę phyſicè

Digitized by Google

ſicè conſtituunt hominem, ens *per accidens* huic oppoſitum eſt illud, quod includit plures entitates, quæ non faciunt veram compoſitionem, ex qua conſurgat una eſſentia. Quod ut melius capiatur de ente compoſito.

Dicendum, quòd *ens per ſe compoſitum* eſt illud, quod non conſtat ex rebus diverſorum prædicamentorum, neque ex partibus inter ſe non ſubordinatis eſſentialiter per modum actus, & potentiæ, ut homo, phyſicè; ſive metaphyſicè conſideratus: nam corpus, & anima rationalis ſunt quidem diverſę entitates, ſed una, ſc. corpus, eſt eſſentialiter in potentia; & perfectibilis per aliam, quæ eſt eſſentialiter perfectiva, ſc. anima. E contra ens per accidens illud eſt, quod coaleſcit ex rebus diverſorum prædicamentorum, ut homo albus, vel ex pluribus, quæ ſibi invicem non ſubordinantur eſſentialiter per modum actus, & potentiæ: ut homo, & lapis, vel acervus lapidum, &c.

Igitur *ens per ſe* eſt ens unius eſſentiæ, ſeu eſſentialiter unum, ut leo, homo, lapis. *Ens per accidens* eſt ens, quod non eſt unius, ſed multiplicis eſſentiæ, ſeu non unum eſsentialiter, ſed multiplex, ſeu plura entia, ut acervus lapidum, domus, exercitus, concreta accidentalia, ut album, dulce, &c. quia, licèt hæc concreta faciant unum, non tamen unum *per ſe*, aut ſaltem ens *per ſe*, cum includant plures eſsentias: alia enim eſt eſsentia accidentis, & alia ſubjecti ejus, ſc. ſubſtantiæ.

Quidam diſtinguunt unum *per ſe* ab ente *per ſe*, quia ex accidente, & ſubjecto putant fieri unum *per ſe* compoſitum propter veram, & phyſicam unionem, quod non credò, neque enim puto, *unum per ſe* diſtingui ab *ente per ſe*.

Notandum verò, quòd hæc *perſeitas* entis diverſa eſt à *perſeitate*, quæ eſt differentia conſtitutiva, & diſtinctiva ſubſtantiæ ab accideute. Nam accidens eſt verè *ens per ſe*, prout perſeitas dicitur de ente, velut proprietas ejus: habet enim unam eſſentiam, & tamen non habet perſeitatem ſubſtantiæ, quę conſiſtit in independentia ab alio, tanquam à ſubjecto inhæſionis, ſed potiùs importat inhærentiam aptitudinalem, ut diximus in Logica. Hæc autem explicaſse ſufficiat.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De eodem, & diverſo , ſeu identitate, & diſtinctione , Quid , & quotuplex ſit utraque .

IN hac proprietate entis explicanda fuſiores ſumus, quia majores importat difficultates , & maximi momenti . Convenit enti non in ſe abſolutè conſiderato , ſed in ordine ad aliud , cum quo eſt idem , vel diſtinctum.Eſt autem *identitas* unitas quædam eſſentiæ , inquit Philoſophus . [1] *Identitas unitas quædam plurium eſſendi* , &c. ſeu convenientia plurium rerum inter ſe , vel in aliquo tertio , v.g. homo , & riſibile habent identitatem realem inter ſe : albedo autem , & dulcedo habent identitatem in lacte . *Diſtinctio* verò eſt alietas unius rei ab alia , ſeu id , quo unum non eſt aliud . Unde aliqua eſſe diſtincta, eſt unum non eſſe aliud ; & id , quo mediante unum non eſt aliud , eſt diſtinctio , ſeu alietas , ſeu negatio identitatis .

Quod autem *identitas* deſcribatur per unitatem , non ſequitur , quod idem ſignificent : unitas enim non eſt propriè identitas, nam unitas eſt indiviſio rei in ſe , & per conſequens eſt quid abſolutum , *identitas verò dicitur* de re cum relatione ad aliud, ut patet ex deſcriptione allata. Unde unitas in ſuo conceptu formali non dicit , vel connotat plura , inter quę verſetur , ſed potius illa excludit . Eſt enim indiviſio rei in ſe ,ſed *identitas* dicit quidem illam unitatem , ſed prout eſt ratio coadunans plura in unum eſſe , connotat plura , inter quæ verſetur per modum relationis , ſeu habitudinis .

Nota etiam ex eodem Philoſopho , quòd, propriè loquendo differens , & diverſum non idem ſignificant , nam *diverſa dicuntur, quorum ſpecies plures , aut materia , aut ratio ſubſtantiæ* , id eſt , quæ diſtinguuntur ſpecie , ut *aſinus , & homo* , aut genere , ut *homo , & planta* , aut definitione, quæ eſt ratio ſubſtantiæ , ſeu eſsentiæ . *Differentia verò dicuntur, quæcunque diverſa ſunt, ideſt, aliquid entia* , id eſt , in aliquo uno convenientia , & in alio diſtincta , ut So-

[1] *L.1.Metaph.c.16.*

Digitized by Google

Socrates ſcribens differt à Socrate non ſcribente. Sic *homo*,& *equus* conveniunt in animalitate,& diſconveniunt in rationalitate, & equinitate. Sic *differens*,& *diverſum* latè ſumpta idem ſignificant. Sed, ſi *diverſa* ſtrictè ſumantur, ſunt ea, quæ in nullo conveniunt, ſeu quæ primo differunt, ut rationalitas,& irrationalitas, Petreitas, & Pauleitas, & ſic inter idem, & diverſum datur medium, ſc. differens,quod eſt partim idem, & partim diverſum. His poſitis, quæritur 1. in quo conſiſtat formaliter *identitas*, an in poſitivo, an in negativo, an in abſoluto, an in relativo.

Varias autem diviſiones *diſtinctionis* attulimus,& deſcripſimus in Elementis philoſophicis, quarum præcipuæ ſunt tres iſtæ, *realis*, *rationis*, & *formalis*, quæ quaſi mediat inter duas priores, & de his ſigillatim agemus quæſt.ſequentibus. I. Eſſentiam identitatis, & diſtinctionis hic examinabimus.

CONCLUSIO I.

Identitas formaliter conſiſtit in poſitiva relatione convenientiæ rei, vel ad ſe, vel ad aliud, quæ relatio eſt realis, vel rationis. Eſt Doctoris, & ſuorum.

Prob. 1. ex Scoto, & Philoſopho. Cùm ſibi objeciſſet, quòd, *idem nullo modo ad aliud eſt, niſi aliud ratione, quia, inquantum ſimpliciter idem, intellectus uno, ut duobus*, &c.ſic reſpondet, & impugnat: *idem, & diverſum ſunt contraria, ſed contraria ſunt in eodem genere: ſed diverſitas eſt relatio realis, ergo & identitas, quia ens reale non opponitur enti rationis, oppoſitione contraria, ſed potius contradictoria*. Quod adhuc probat, *quia omne ens omni enti comparatum, aut eſt idem, aut diverſum, idem ergo, & diverſum ſunt contraria immediata circa ens, & convertibilia: ſed ens rationis eſt diſtinctum contra reale, & non eſt paſſio convertibilis cum ente extra animam (quia ens reale poteſt eſſe ſine ente rationis) ergo identitas non eſt ens rationis*. Alias addit rationes ad idem, ex quibus

Prob. concluſio per partes, & primò, quòd importet poſitivam relationem. Res dicitur eadem

cum

Digitized by Google

cum alia, vel quia in aliquo prædicato communi convenit cum illa, vel quia eſt eadem ſibi ipſi: ſed neutrum dici poteſt, niſi identitas importet ſupra entitatem rei relationem realem convenientiæ illius rei ad ſe, vel ad aliud, ergo, &c. Prob. min. 1. p. Importat convenientiam ad aliud, ergo & relationem, & quidem realem; alioqui identitas non erit realis, ſed rationis, qualis concipitur inter hircum, & cervum in ente ficto. 2. ſi ad ſe ipſam, ergo conſiſtit in comparatione rei ad ſeipſam, ergo importat relationem, quia, ut docet Philoſophus citatus, cùm res ad ſe ipſam comparatur, alieno modo ingeminatur, *uno*, *ut pluribus utimur*, ut cùm dico *Petrus eſt Petrus*, aliquo modo *Petrus* in ſe plurificatur, ut oſtendatur ejus identitas, ergo, &c.

Prob. 3. eadem pars. Identitas formaliter in unum colligit plura, vel realiter, vel formaliter, vel ratione, ergo eſt relatio convenientiæ, vel realis ſi ſint plura realia, vel formalis, ſi ſint plura formaliter tantùm, vel ratione, ſi pluralitas ſit rationis tantùm.

Dices, nihil addere ſupra unitatem, quæ eſt quid abſolutum per nos.

Contra 1. Quia unitas ex Philoſopho eſt fundamentum identitatis, illa enim ſunt eadem, quorum ſubſtantia eſt una, ſicut ſimilitudo fundatur in unitate qualitatis, & æqualitas in unitate quantitatis. 2. Quia *unitas* eſt indiviſio rei in ſe abſolutè, *identitas* verò eſt convenientia rei, vel cum alio, vel ſibi, ergo, ſicut *unitas* conſiſtit in abſoluto, *identitas* conſiſtit in relativo. 3. Quia, quæ habent diverſa oppoſita, diverſa ſunt inter ſe; ſed unitas, & identitas habent diverſa formaliter oppoſita, ergo inter ſe diverſa ſunt. Prob. min. Unitas opponitur multitudini, & identitas diſtinctioni, ergo, &c. Denique Ariſtoteles non dicit abſolutè, quòd identitas ſit unius eſſentiæ, ſed unitas quædam, ſc. quia fundatur in unitate.

Prob. 2. p. Nam relatio talis eſt, qualia ſunt extrema, unde ſi realia ſunt, & diſtincta realiter, ipſa realis eſt; ſi ratione tantùm, identitas erit rationis; & identitas reperitur inter ea omnia, ergo eſt vel realis, vel rationis tantùm. Prob. ant. Nam identitas

Digitized by Google

titas generica hominis cum bruto in animalitate,& ſpecifica Petri cum Paulo in humanitate eſt inter realiter diſtincta, & per conſequens eſt realis identitas Petri cum ſe ipſo, eſt inter indiſtincta realiter, quia Petrus à ſe ipſo non dividitur niſi per intellectum aliquo modo illum à ſe ipſo dividentem, ut comparet illum ſibi, ergo identitatis relatio erit tantùm rationis.

Confirmatur ex Doct. [1] Item *Identitas numeralis non eſt relatio realis: eſt tamen relatio, nam relatio realis requirit duo extrema realiter diſtincta, idem autem à ſe ipſo non diſtinguitur realiter.* Item. [2] *Identitas ejuſdem ſuppoſiti ad ſe eſt rationis tantùm, quantum ad fundamentum; tamen non eſt vera, & perfecta identitas, quia rationis tantùm*, ergo identitas numerica rei ad ſe ipſam eſt quidem relatio, ſed rationis.

Objic. 1. contra hanc partem. Quod eſt idem realiter, habet identitatem realem: ſed Petrus eſt realiter idem ſibi, ergo per identitatem realem: ſed per nos omnis identitas eſt relatio, ergo & identitas rei ad ſe eſt realis.

Reſp. ex textu mox citato diſt.maj. Quod eſt idem realiter identitate formaliter vera, & reali, conc.maj. identitate fundamentali, & ſecundum rationem, neg. maj. & diſt. min. Petrus eſt idem ſibi identitate fundamentali, & ſecundum rationem, conc. min. identitate formali, & vera, neg. min. & conſeq. propter rationes allatas.

Inſtabis 1. Identitas illa eſt numerica, ergo & realis, & perfectiſſima, quia unitas, in qua fundatur, eſt numerica, & perfectiſſima, ergo & identitas.

Reſp. neg. conſeq. primi argumenti, & diſt. conſeq. 2. in ratione unitatis, conc. conſeq. in ratione identitatis formaliter, neg. conſeq. Nam unitas eſt quid abſolutum, & dicit indiviſionem rei in ſe; identitas verò formaliter dicit relationem rei ad ſe, quæ non poteſt eſſe, niſi rationis, quia res non diſtinguitur à ſe, ut comparetur ad ſe, niſi per intellectum.

Inſt. 2. Diſtinctio numerica eſt realis, ergo identitas

[1] *ibid. n.75.* [2] *1. d. 31. q. un. E. n. 5.*

Digitized by Google

titas ei oppoſita, ſc. numeralis, erit realis. Probatur conſeq. Oppoſitorum eadem eſt ratio.

Reſp. diſt. ant. In genere opponuntur, ſive contrariè, ſive contradictoriè, conc. antec. in particulari, v. g. diſtinctio Petri à Paulo, & identitas Petri ad ſe ipſum, neg. ant. & conſeq. imò ex identitate, ſeu unitate Petri in ſe ipſo ſequitur diſtinctio ejuſdem à Paulo, & per conſequens illa diſtinctio, & identitas uniuntur in eodem ſubjecto; tantùm abeſt, ut ſint oppoſitæ in particulari.

Objic. 2. Si identitas realis eſſet relatio realis, illa relatio eſſet ſibi eadem, vel diſtincta, & hoc per aliam identitatem, vel diſtinctionem ſuperadditam, & rurſùs idem eſſet de iſta, & ſic in infinitum: ſed abſurdum conſeq. ergo identitas non eſt quid ſuperadditum entitati rei, nec etiam diſtinctio.

Reſp. cum Doct. neg. maj. [1] Nam identitas in ſe formaliter nec eſt eadem, nec diſtincta, ſed eſt formaliter ipſa identitas, aut diſtinctio, ſicut albedo, ſeu albedineitas non eſt alba, nec nigra, ſed eſt ratio conſtituens ſubjectum album: *dicendum*, inquit, *quod illa identitas, quæ eſt relatio, non eſt relativum, ſed ratio referendi, & quod illa relatio, ut illa relatio, non eſt eadem ſibi, nec diverſa, ſed ratio, quæ aliquid eſſet idem ſibi, &c.*

CONCLUSIO II.

D*Iſtinctio realis propriè ſumpta eſt quid poſitivum relativum, & ſuperadditum entitati rei.* Eſt Doctoris, & ſuorum.

Dixi, *propriè ſumpta*. Nam diſtinctio negativè, & impropriè nihil eſt aliud, quàm negatio identitatis, & ſic unum diſtingui ab alio dicitur, quatenus non eſt idem; ſed hoc non explicat naturam diſtinctionis, quæ eſt alietas poſitiva rerum.

Prob. autem 1. ex Scoto. *Nam unum, & multa, idem, & diverſa ſunt oppoſita*, ergo, ſi identitas importat quid poſitivum, ut de facto conſtat ex concluſione præcedenti, ita & diſtinctio: nam contrariorum eſt eadem ratio; ſunt enim ſub eodem genere. Clariùs id docet, dum ſic diſputat de di-

[1] 1. *Metaph. q.* 1. *n.* 8.

Digitized by Google

ſtinctionibus in divinis. *Nunquid igitur debet concedi aliqua diſtinctio inter eſſentiam, & perſonas? Reſp. melius eſt uti iſta negativa, hoc non eſt formaliter idem, quàm hoc eſt ſic, & ſic diſtinctum, ſed nonnè ſequitur: A. & B. non ſunt idem formaliter, ergo ſunt formaliter diſtincta?* Reſp. *quod non oportet ſequi, quia formalitas identitatis in antecedente negatur, & in conſequente formalitas diſtinctionis aſſirmatur.* Vides, ex Scoto, negationem identitatis, non eſſe propriè diſtinctionem, ergo diſtinctio conſiſtit in ratione aliqua poſitiva.

Prob. 2. quoad illam partem. Diſtinctio propriè eſt inter poſitiva, non identitas verò eſt inter poſitivum, & negationem, vel privationem, aut inter ens reale, & rationis, ergo diſtinctio eſt quid poſitivum.

Prob. 3. Quia diſſimilitudo inter album, & nigrum, præter negationem ſimilitudinis, dicit relationem poſitivam diſſimilitudinis, ergo idem eſt de diſtinctione inter poſitiva. Antec. patet. Nam alia eſt diſſimilitudo nigredinis cum albo, quàm cum chimæra, ſed cum chimæra eſt diſſimilis negativè, ergo cum albo erit diſſimilis poſitivè. Probatur 1. conſeq. Sicut enim ſe habet ſimilitudo inter qualitates, ita diſtinctio, & identitas inter entitates, ſeu eſſentias: ſed ſimilitudo, & diſſimilitudo opponuntur contrariè, ita, ut diſſimilitudo importet poſitivam relationem, præter negationem ſimilitudinis, ergo & diſtinctio præter negationem identitatis importat quid poſitivum.

Prob. 2. pars, ſc. *quod illud poſitivum ſit relativum.* Quia totum ejus eſse eſt ad aliud, ergo eſt pura relatio. Patet ant. Nam diſtinctio nihil eſt præter alietatem, & conſiſtit in ſeparatione rei, non à ſe ipſa, ſed ab alio, ergo totum ejus eſse eſt ad aliud.

Prob. 2. eadem pars eodem modo, quo prima. Nam, ſicut ſe habet diſsimilitudo inter qualitates, ſic diſtinctio inter entitates: ſed diſſimilitudo eſt relatio, ergo & diſtinctio.

Et quidem, ſicut ſimilitudo, æqualitas, & identitas ſunt relationes æquiparantiæ, ſic diſtinctio eſt rela-

Digitized by Google

relatio diſquiparantiæ , ſicut & inæqualitas , & diſſimilitudo .

Quæres , an *illa relatio ſit realis , an tranſcendentalis.*

Reſp. illam , quæ eſt inſeparabilis, & identificata cum ſubjectis , eſſe tranſcendentalem : Illam verò eſſe prædicamentalem, quæ eſt ſeparabilis, ut diſtinctio Petri à Paulo , quæ ceſſat, pereunte alterutro ; & de novo reſultat in uno , poſito alio .

Prob. 3. pars, quod *ſit quid ſuperadditum entitati rei* . Quia entitates rerum ſunt abſolutæ , ergo diſtinctio , quæ eſt quid relativum , eſt quid ſuperadditum illis .

Objic. 1. contra 1. p. Diſtinctio opponitur identitati , ſicut multitudo unitati : ſed multitudo non dicit ſupra unitatem , niſi negationem , ergo & diſtinctio .

Reſp. neg. maj. Nam identitas fundatur quidem in unitate : ſed cum hac differentia, quod unitas dicit quid abſolutum , & identitas addit relationem , & ita eſt de diſtinctione poſitiva , ſeu propria : & ideò dicit poſitivum , quia importat diverſitatem in multitudine , in qua fundatur . Dico de diſtinctione propria , nam de negativa, & impropria facilè concedi poteſt , eam conſiſtere in negatione identitatis , ſicut multitudo , ſeu diviſio conſiſtit in negatione unitatis .

Objic. 2. contra 2. p. Relatio realis ſupponit extrema jam diſtincta , ergo diſtinctio ipſa non eſt relatio, ſed fundamentum relationis , & per conſequens eſt quid abſolutum . Prob. antec. Nihil refertur ad ſe ipſum , ergo relatio omnis ſupponit extrema diſtincta .

Reſpondeo diſt. ant. Supponit , ſi non facit extrema diſtincta , conc. ant. ſi facit illa eſſe diſtincta , & ſit relatio formalis diſtinguens , neg. maj. Diſtinctio autem eſt ratio formalis diſtinguens , non ſic ſimilitudo , quæ non eſt ratio formalis diſtinguens , ſed ſupponit diſtinctos parietes , ſeu diſtincta alba .

Objicies 3. Si idem , & diſtinctum , ſeu diverſum opponerentur contrariè , daretur medium : ſed hoc eſt falſum , ergo opponuntur contradictoriè , ergo

Digitized by Google

unum, aut alterum conſiſtit in pura negatione.

Reſp. neg. min. Nam, ut conſtat ex dictis, *diverſum* propriè ſumptum ſignificat rem ſe tota diſtinctam, & diſconvenientem, ut ultimæ differentiæ, & in hoc diſtinguitur à *differenti*, quod dicitur de re partim convenienti, & partim diſconvenienti, & ſic *differens* aliquo modo mediat inter *idem*, & *diverſum* rigorosè ſumptum. Item diſtinctio impropriè ſignificat non idem, & importat puram negationem identitatis, ſed propriè importat relationem poſitivam diverſitatis, & ſic inter *idem*, & *diſtinctum*, ſeu *diverſum* propriè datur medium, ſc. *diſtinctum negativè*, ut ens à Chimæra, album à non albo.

QUÆSTIO V.

De diſtinctione reali, & identitate.

Diſtinctio, ſicut & Identitas dividi poteſt 1. & immediatè in *realem*, & *rationis*: ſumendo nomen *realis* pro eo, quod eſt à parte rei, & independens ab operatione intellectus, *rationis* verò pro eo, quod nihil eſt in re, ſed purè dependet ab operatione intellectus, qui concipit ut diſtincta, quæ prorsùs in ſe ſunt indiſtincta, & è contra concipit, ut idem, quæ ſunt in ſe diſtincta.

Rursùs diſtinctio realis in prædicto ſenſu ſubdividitur in *realem* ſimpliciter, & *formalem* ex natura rei. Prior illa eſt, quæ reperitur inter rem, & rem, & poſterior, quæ reperitur inter formalitates, ſed utraque in hoc convenit, quod eſt ſemper in objectis à parte rei, & abſque ulla fictione, vel præciſione intellectus. Diſtinctio Petri à Paulo, materiæ phyſicæ à forma phyſica, ligni, & lapidis, &c. eſt realis. Diſtinctio intellectus à voluntate, animalitatis à rationalitate, &c. eſt formalis, & ita diſcurrendum eſt cum proportione de identitate. Nam intellectus, & voluntas ſunt realiter idem, quia ſunt eadem res; & animalitas eſt formaliter eadem ſibi, & diſtincta per rationem, ſed ut hæc melius capiantur.

Nota 1. nomen *Rei* ſumi poſſe 1. pro eo omni, quod exiſtit per ſe in rerum natura, ita, ut habeat pro-

propriam exiſtentiam, per quam poteſt exiſtere ſine alio, ſive ſit ſubſtantia, ſive accidens, ut hic homo, hic lapis, &c. & dicitur *res* à *ratum*, & hæc eſt propria rei ſignificatio. 2. pro eo, quod exiſtit quidem in rerum natura pręter opus intellectus, & poteſt quidem ab alio ſeparari, ſed non exiſtere poteſt ſine illo, in quo eſt, & tales ſunt omnes modi extrinſeci, & relationes tàm intrinſecùs, quàm extrinſecùs advenientes, quæ realiter quidem inſunt rebus, & ſubjecta eorum poſſunt eſse ſine illis, ſed non iſta ſine ſubjectis ſuis, ideòque non tàm ſunt res, quàm modi rerum, & realitates. Unde hæc ſignificatio *rei* eſt minùs rigoroſa, 3. adhuc minùs propriè ſignificat ea, quæ inſunt quidem rebus à parte rerum, ſeu independenter ab omni operatione intellectus, ſed ſunt adeò infixa eiſdem rebus, & ſic illis inhærent, ut nec res ſine illis, nec illa ſine rebus ullo modo poſſint exiſtere, ne divinitus quidem, nec illa inter ſe ſeparari. Tales ſunt formalitates entis, & ſubſtantiæ in creatis: eſſentia, & Paternitas in Deo, relationes omnes tranſcendentales, &c.

Hæc igitur tria entium genera dicuntur quidem Res, ſed ſolis primis hoc nomen convenit propriè: ſecundis minùs propriè, & impropriiſſimè tertiis, quę ideò non vocantur *res*, ſed *realitates*, non *entia*, ſed *entitates*, non *formæ*, ſed *formalitates*, & inde eſt, quòd primorum *diſtinctio* dicatur propriè, & abſolutè *realis*, ſeu *realis major*; poſteriorum diſtinctio dicatur potiùs modalis, ſeu *realis minor*, & 3. dicatur *formalis*, ſed cum addito, *ex natura rei*, ut diſcernatur à diſtinctione *rationis*, quam vocant aliqui *formalem*.

Nota 2. nomen *formalitatis* eſſe quaſi diminutivum à *forma*, ſicut *realitas* à *re*, & *entitas* ab *ente*, nam nomen formæ ſumitur propriè pro illa parte compoſiti phyſici, quæ tribuit illi eſſe, & nomen, ut anima rationalis in homine, & anima leonis in leone, & hæc forma dicitur *forma partis*. 2. ſumitur pro eſſentia rei, quæ exprimitur in abſtracto, & eſt forma totius, ut humanitas in homine, equinitas in equo, &c. 3. pro quacunque ſubſtantia ſpirituali, qualis eſt *Deus*, *Angelus*, ſed hoc valdè impropriè, & rarò. 4. pro quocunque accidente, quia proprium

Digitized by Google

accidentis eſt ineſſe, ſeu informare: ſed accidens dicitur *forma* cum addito, ſc. *accidentalis*, ad differentiam primæ, quæ dicitur forma abſolutè, & ſine addito. 5. denique pro quacunque ratione, ſeu quidditate, ſub qua ens aliquod concipi poteſt: nam ratio accipitur pro quidditate, modò ſit vera, & à parte rei.

Formæ autem in quatuor primis ſignificatis fundant diſtinctionem *realem majorem*, aut *minorem*: at in ultima acceptione fundant diſtinctionem, quam vocamus *formalem ex natura rei*; de qua ſuo loco.

CONCLUSIO.

Diſtinctio realis propria eſt alietas eorum, quorum unum poteſt exiſtere ſine alio, vel quorum unum eſt realiter producens, & alterum productum, vel quæ exiſtunt immediatè in ſubjectis ſeparatis, vel ſeparabilibus. Eſt ad mentem Doctoris, & ſuorum, imò & debet eſſe communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui loquens de diſtinctione eſſentiæ à divinis perſonis, quam dicit dari à parte rei, ſic objicit, & reſpondet. *Nunquid hæc diſtinctio realis? Reſp. non eſt propriè realis actualis, ſi intelligatur, ſicut communiter dicitur realis actualis, illa, quæ eſt differentia rerum in actu, quia in una perſona* (divina) *non eſt aliqua differentia rerum propter ſimplicitatem divinam, &, ſicut non eſt realis actualis, ita non eſt realis potentialis, quia nihil ibi eſt in potentia, quod non ſit actu... ſi illud, quod habet talem diſtinctionem, non habet rem, & rem, &c.* ut ſuperiùs dixerat. *In re autem manifeſta eſt diſtinctio rerum; & naturarum.* Ergo, ex Scoto, diſtinctio propriè, & abſolute *realis*, eſt inter rem, & rem: ſeu inter ſeparata, aut ſeparabilia, quæ vocat *res* in actu, & in potentia.

Confirm. 1. quia, ex Scoto, *illud, quod propriè dicitur ineſſe alicui, ſine quo illud non poteſt eſſe ſine contradictione, eſt idem ſibi realiter*, ergo à contrario illa diſtinguuntur realiter, quorum unum poteſt ſine contradictione eſſe ſine alio.

Prob. 2. ratione. Certum, ac evidens eſt, quod, quæ-

[1] 2. *d.* 2. *q.* 7. *GG. n.* 43.

Digitized by Google

quæcunque ita ſe habent inter ſe, ut exiſtentias diverſas habeant, adeò ut unum illorum poſſit exiſtere ſine alio, vel quæ ſubjectantur in diverſis realiter ſubjectis, vel quorum unum eſt realiter producens, & alterum productum, licèt nec poſſint exiſtere ſine ſe invicem, nec ſint in diverſis ſubjectis; illa, inquam, diſtinguuntur realiter, & nulla reperiuntur ſic diſtincta, quin ſe habeant ad invicem uno ex his tribus modis; ergo per hæc ſigna rectè, & ſufficienter explicatur natura diſtinctionis realis.

Confirmatur hæc ratio, & probatur ſimul ant. Nam diſtinctio *realis* dicitur ab extremis, quia eſt inter *res*, & per hoc ſecernitur non ſolùm à diſtinctione rationis, ſed etiam *à formali* ex natura rei: quia hæc non eſt inter *res*, ſed inter formalitates, & ea, quæ habent diverſas exiſtentias, ſunt propriè *Res*, ſeu *Rata*, & *firma*: ſed, quæ poſſunt ſic ſeparari, ut unum exiſtere poſſit ſine alio, habent diverſas exiſtentias, ergo propriè ſunt *res*, & realiter diſtinguuntur. Uno verbo, certum eſt, quod, quidquid exiſtere poteſt ſine alio, non eſt idem cum ipſo: implicat enim idem exiſtere poſſe ſine ſe ipſo; *quodlibet enim eſt, vel non eſt*, ergo, &c.

Prob. quoad 2. Quia certum eſt de fide, tres perſonas diſtingui realiter inter ſe, licèt non habeant proprias exiſtentias, ſaltem abſolutas, nec poſſint exiſtere ſine ſe invicem, nec ſint in diverſis ſubjectis, ergo ratio producti, & producentis notat ſufficienter, & certo diſtinctionem realem.

Prob. quoad 3. Quia, quæ ſunt immediatè in ſubjectis ſeparatis, aut ſeparabilibus, ſunt etiam inter ſe ſeparata, aut ſeparabilia, ergo diſtinguuntur realiter. Tales ſunt duæ correlationes, quæ non poſſunt exiſtere ſine ſe invicem, nec una eſt productiva alterius, nec altera eſt producta, tamen diſtinguuntur realiter, quia ſunt in diverſis ſubjectis, v. g. ſimilitudo in duobus parietibus.

Objicies 1. Eſſentia eſt cauſa, ſeu principium ſuarum proprietatum, & tamen non diſtinguitur ab illis realiter, ergo cauſalitas, ſeu ratio producentis, & producti non inducit diſtinctionem rea-

G 6 lem.

Digitized by Google

lem. Probatur ant. Nam proprietates verè fluunt ab eſſentia.

Reſp. diſt. ant. Eſt cauſa per emanationem metaphyſicam, & impropriam, conc. ant. per influxum, & cauſalitatem realem, ac phyſicam, neg. ant. & conſeq. Ideò addidi, *realiter*, ita ut unum extremorum diſtinctionis ſit *realiter*, & *phyſicè* producens alterum.

Objic. 2. Anima rationalis eſt in brachio, capite, & pede, quæ ſunt ſeparabilia, & tamen non eſt diſtincta realiter in ſe ipſa, ergo malè aſſignatur illud ſignum diſtinctionis realis.

Reſp. neg. conſeq. Nam membra corporis humani coeunt in unum phyſicè corpus unitate integrali, & ideò anima informat illa indiviſibiliter. Non ita eſt de duobus albis: unde eſt in capite, brachio, & pede indiviſibiliter per quandam illimitationem, & prout faciunt unum quid integrale, per hoc patet diſparitas, & falſitas conſeq.

Objic. 3. Albedo parietis ſubjectatur in quantitate, & ſubſtantia parietis: ſed ſubſtantia, & quantitas parietis ſunt ſeparabiles, & tamen albedo illa eſt eadem, ac indiſtincta realiter in utriſque, ergo diſtinctio realis ſubjectorum non arguit diſtinctionem realem.

Reſp. diſt. maj. Subjectatur immediatè in quantitate, & mediatè in ſubſtantia, conc. maj. immediatè in utraque, neg. maj. & conſeq. Loquimur enim de ſubjectis immediatis.

Inſt. Eſſentia divina eſt immediatiſſimè in tribus ſuppoſitis divinis, & tamen eſt indiſtinctiſſima, ergo nulla ſolutio.

Reſp. diſt. ant. Eſſentia divina eſt in tribus ſuppoſitis, & eſt infinita, conc. ant. & eſt finita, neg. ant. & conſeq. Loquimur de entibus finitis.

Ob. 4. Humanitas, quæ eſt in Petro, non eſt diſtincta realiter ab humanitate, quæ eſt in Paulo, & tamen ibi ſunt duæ exiſtentiæ, & quidem ſeparatæ, & verè duæ res, ergo non benè ex ſeparatione exiſtentiæ definitur diſtinctio realis.

Reſp. neg. ant. Nam eſt quidem una, & eadem unitate, & identitate formali, quam diximus in Logica minorem unitate reali, & numerica, non identitate reali.

CON-

CONCLUSIO II.

IDentitas realis eſt convenientia eorum, quæ non poſſunt exiſtere ſine ſe invicem, ſeu ſeparata, nec unum eſt realiter producens, nec aliud productum, nec poſſunt eſſe immediatè in diverſis ſubjectis, uno verbo, *ibi eſt identitas realis, ubi nullum prædictorum ſignorum diſtinctionis reperitur.* Hæc ſequitur ex præcedenti.

Prob. breviter. Quia, ſi diſtinctio realis arguatur ex uno ex dictis capitibus, ut probatum eſt, ſequitur neceſſariò, quòd identitas requirit convenientiam in illis omnibus: ſi enim deſit in uno, erit diſtinctio.

Objic. Ad diſtinctionem ſufficit unum ex prædictis capitibus, ver.gr. ut adſint diverſæ, ſeu ſeparabiles exiſtentiæ, ergo ad identitatem debet ſufficere, ſi non ſint ſeparabiles exiſtentiæ. Prob. conſeq. Nam contrariorum eſt eadem ratio.

Reſp. neg. conſeq. Nam plura requiruntur ad unitatem, quam ad diſtinctionem. Ad diſtinctionem ſufficit unicus defectus unitatis, ad identitatem, ſeu unitatem requiritur, ut abſint omnia principia diſtinctionis, & adſint omnes conditiones unitatis, quia bonum ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu, identitas autem eſt aliquod bonum entis.

Quæres, *an omnia ſigna diſtinctionis comprehendantur in illis tribus contentis in prima concluſione.*

Reſp. aliquot alia ſigna ſolere afferri à Philoſophis, ſed vel ad hæc facilè poſſunt reduci, ut patebit diſcurrenti per ſingula, vel non ſunt ſigna ſufficientia.

Prob. 1. de illo, quod aſſignant aliqui, dicentes, *prædicata contradictoria arguere diſtinctionem realem.* Nam de eadem re non poſſunt verificari contradictoria à parte rei. Iſtud, inquam, non ſufficit ad propriam diſtinctionem realem, quæ eſt inter *rem*, & *rem*, ergo, &c. Prob. antec. Nam de eſſentia divina, & de perſonis divinis verificantur à parte rei contradictoria, ſcil. *communicari*, & *non communicari*: paternitas non communicatur, & eſſentia communicatur, & tamen paternitas, & eſſentia non diſtinguuntur hac diſtinctione reali, ergo, &c. Sufficit quidem illud ſignum ad probandam diſtinctionem ex

na-

Digitized by Google

natura rei, qualis eſt *formalis*, ſed non ad *realem*.

2. Alii ponunt diverſitatem exiſtentiarum: ſed hæc non eſt tàm ſignum, quàm principium, & fundamentum hujus diſtinctionis; & ipſa diverſitas exiſtentiarum manifeſtat ſe per ſeparabilitatem entitatum, quandoquidem exiſtere non diſtinguitur realiter, & ſenſibiliter ab entitate rerum.

3. Alii colligunt hanc diſtinctionem ex generatione, & corruptione, ita ut illa cenſeantur diſtincta, quæ diverſa generatione generantur, & diverſa corruptione corrumpuntur, & illa ſint eadem, quæ una generatione generantur, & una corruptione corrumpuntur. Hoc quidem verum eſt, ſed hoc caput facilè ad primum à nobis aſſignatum reducitur: nam quod generatur, aut corrumpitur diverſa corruptione, vel generatione, poteſt eſſe ſine alio.

Porro diſtinctio iſta realis dividitur 1. in *mutuam*, & *non mutuam*. Diſtinctio *realis mutua*, quæ & *major* dicitur, eſt inter res, quæ mutuò poſſunt ab invicem ſeparari, & exiſtere ſeparatæ, ut corpus, & anima, *non mutua* verò eſt inter res, quæ poſſunt quidem ſeparari, non tamen una illarum poteſt exiſtere ſeparata, ſed hoc ipſo deſinit eſſe, quod ſeparatur, ſic diſtinguuntur Petrus, & ſeſſio ejus, & tales ſunt relationes omnes, ac modi extrinſeci, qui deſinunt eſſe hoc ipſo, quòd ſeparantur à rebus modificatis: ideò dicitur *realis minor*, & *modalis*, imò & dicitur formalis à quibuſdam.

Dividitur etiam ab aliquibus in *actualem*, *potentialem*, & *virtualem*. 1. eſt inter ea, quæ ſunt actu ſeparata. 2. inter ea, quæ poſſunt ſeparari, & 3. inter ea, quæ nec ſunt actu ſeparata, nec ſeparabilia: ſed ſe habent, perinde ac ſi eſſent ſeparabilia.

QUÆSTIO VI.

De diſtinctione, & identitate rationis.

QUia ens reale, & rationis, & diſtinctio ſimiliter realis, & rationis immediatiùs opponuntur: poſt examen illius iſtã tractamus: ex quo magis patebunt, quæ de priori diximus, & quæ de formali dicturi ſumus.

Ratio ſumitur dupliciter, 1. ſignificat quidditatem,

tem, ſeu eſſentiam, aut definitionem rei, [1] prout proponitur intellectui, ver. gr. *animal rationale* eſt *ratio formalis* hominis, & ſecundum hanc ſignificationem *rationis* diſtinctio inter tales rationes eſt realiſſima, & dicitur eſſentialis, & diſtingui ita ratione eſt diſtingui eſſentialiter. 2. ſignificat aliquid fabricatum à ſolo intellectu: unde per diſtinctionem rationis ſignificatur diſtinctio fabricata per intellectum, & de hac quærimus, quid ſit.

CONCLUSIO I.

Diſtinctio rationis ea eſt, quam ponit intellectus in rebus à parte rei identificatis: & ideò non eſt vera diſtinctio.

Prob. 1. ex Scoto. [2] *Nam diſtinctio una in intellectu eſt penes diverſum modum concipiendi idem objectum formale, & hoc ſive concipiendo grammaticè, ut homo, & hominis, ſive Logicè, ut homo, & humanitas: alia major diſtinctio eſt in intellectu concipiendo duobus actibus duo objecta formalia, & hoc, ſive illis correſpondeant diverſæ res, ut intelligendo hominem, & aſinum, ſive una res extra, ut intelligendo colorem, & diſgregativum*. Igitur in primo membro deſcribitur diſtinctio puræ rationis, quam ſolus intellectus ponit in rebus à parte rei identificatis: ut *homo*, & *hominis*, & ut *homo*, & *humanitas*: & in ſecundo membro deſcribit diſtinctionem realem, aut formalem, ſed per ordinem ad intellectum.

Prob. 2. Quia diſtinctio rationis debet intelligi per oppoſitionem ad realem, ſicut ens rationis per oppoſitionem ad reale: ſed diſtinctio realis eſt inter res à parte rei plures, & independenter ab intellectu, ergo diſtinctio rationis non poteſt meliùs explicari, quàm dicendo, quòd ſit in rebus non pluribus, niſi per intellectum.

Igitur ſupponimus, multa eſſe, quæ nec realiter, nec formaliter diſconveniunt, ſed ſunt prorsùs unum: ſed intellectus pro ea, qua pollet virtute, ponit inter ea diſcrimen aliquod, vel per abſtractionem, ut cùm abſtrahit humanitatem ab homine, vel *per comparationem*, comparando hominem ad ſe ipſum,

ut

[1] *1. d. 2. q. 7. GG. num. 43.* [2] *ibid. nu. 32.*

Digitized by Google

ut cùm dicis, *homo eſt homo*, tunc enim *homo*, ut ſubjectum, aliquo modo plurificatur, & diſtinguitur à ſeipſo, ut prædicatum talis propoſitionis, & talis diſtinctio eſt puræ rationis, quæ bis concipit hominem, quaſi eſſet duo.

Item, quoties intellectus format unum, aut plura entia rationis, diſtinctio, quæ intercedit inter illa, eſt puræ rationis, ſi comparentur inter ſe, ſi verò comparentur ad ens reale, diſtinctio ex parte entis realis eſt quidem realis, ſed ex parte chimeræ eſt rationis. Vel, ſi mavis, erit ſemper rationis, quia relationes ſpecificantur maximè à terminis.

CONCLUSIO II.

Identitas rationis propriè eſt ea, quam ponit intellectus in rebus à parte rei pluribus, ſeu diverſis. Hæc etiam debet eſſe communis.

Et patet ex præcedenti. Nam contrariorum eadem eſt doctrina cum proportione, quatenùs debemus de illis philoſophari oppoſito modo, ergo, ſicut diſtinctio rationis eſt ea, quæ concipitur in rebus à parte rei non pluribus, ſed identificatis, ita identitas rationis eſt ea, quæ concipitur in rebus à parte rei pluribus, ut cùm fingitur hircocervus, concipiendo hircum, & cervum, ut unum animal: nec in hoc video difficultatem.

Porrò ſolet dividi hæc diſtinctio, & maximè apud Thomiſtas, in *rationis ratiocinantis*, & *rationis ratiocinatæ*. 1. eſt, quam ponit intellectus in rebus abſque ullo fundamento ex parte objecti, ſed purè pro libitu ſuo, ut cùm hominem à ſe ipſo dividit, vel humanitatem ab homine. 2. ea eſt, quam ponit cum aliquo fundamento ex parte rei, quæ talis eſt in ſe, qualis concipitur, aut ſaltem exigit ita concipi. Et hæc coincidit cum diſtinctione noſtra formali, quia de facto objecta ſe habent inter ſe, & in ſe, qualia concipiuntur, ut cùm concipiuntur ſeorſim ſapientia in Deo, & juſtitia, eſſentia, & perſonalitates; animalitas, & rationalitas in homine. Thomiſtæ dicunt ea diſtingui *ratione ratiocinata*, nos *formali ex natura rei*, & ideò non eſt propriè diſtinctio rationis, ſed propiùs accedit ad diſtinctionem à parte rei, quia eſt

ex

Digitized by Google

ex ſe ex objecto ratiocinata, non verò ex puro arbitrio intellectus, ut diſtinctio rationis ratiocinantis, licèt requirat attentiorem intellectus applicationem, ut percipiatur, quapropter dicitur rationis.

Advertis ergo differentiam harum diſtinctionum, quod eſt magni momenti ad intelligentiam doctrinæ Scotiſtarum, & Thomiſtarum, & tollendam omnem æquivocationem. Nam in diſtinctione *rationis ratiocinantis* tota diverſitas ſe tenet ex parte intellectus, & modo, quo res concipit, non verò ex parte objecti, unde hæc diſtinctio nullam tollit identitatem ex parte objecti, quod relinquit omninò idem realiter, formaliter, & virtualiter, at diſtinctio ratiocinata ſupponit rem, in quam cadit, ad minus virtualiter multiplicem, aut formaliter, ita ut intellectus nihil circa objectum dividat, niſi quatenùs præſcindendo reddit actualem illam multiplicitatem in conceptu ſuo, quæ ex parte rei erat fundamentalis, ſeu virtualis, ſeu aptitudinalis, & exigebat ſic concipi.

Dixi autem, quòd *diſtinctio rationis ratiocinantis non eſt vera diſtinctio*, alioqui enim eſſet realis: non eſt, inquam, vera comparativè ad alias, ſed tamen in ordine ſuo poſſet utcumque dici vera: ſicut entia rationis habent eſſe, ita & proprietates ſuas, & veritatem.

Objic. 1. Illa diſtinctio eſſet inutilis, ergo non eſt admittenda.

Reſp. diſt. anteced. Si ſemper poſſemus conſiderare res intuitivè, & in ſe ipſis, ut ſunt, conc. antec. pro ſtatu, & more noſtro concipiendi res, neg. anteced. Inſervit enim ad explicandas varias objectorum conceptibilitates in ordine ad intellectum noſtrum, qui ut pertingat ad veritatem, ſæpè innumera figmenta ſibi proponit. Item ad diſcernendas propoſitiones identicas à formalibus. Item ad entia rationis à veris, & realibus diſtinguenda.

Inſt. Nullum fundamentum habet in rebus, ergo eſt prorsùs vana.

Reſp. nullum fundamentum directum, conc. antec. indirectum, neg. antec. Nam vix poſſumus perfectè dignoſcere identitatem realem, ſeu ex natura rei, quin utamur diſtinctione rationis, ſcil. comparando rem ad ſe ipſam, ut benè intelligatur ejus unitas, & di-

ſtin-

Digitized by Google

ſtinctio, & , ut res comparetur ad ſe ipſam , debet aliquo modo duplicari, & diſtingui à ſe ipſa. Habet etiam fundamentum, id eſt occaſionem in rebus, ſicut entia ipſa rationis.

Inſtab. 2. Per iſtam diſtinctionem res aliter concipitur, quàm ſit; & ideò ille conceptus eſt falſus, ergo illa diſtinctio non eſt vera. Prob. antec. Concipitur res, ut diſtincta, cùm non ſit, ergo, &c.

Reſp. diſt. conſeq. Non eſt vera in genere entis, ſeu vera paſſio entis realis, conc. conſeq. in ſuo genere diſtinctionis, neg. conſeq. Sicut ens rationis habet ſuas paſſiones in ſuo genere, ſcil. entis rationis, ita & diſtinctio rationis.

QUÆSTIO VII.

De diſtinctione, & identitate formali ex natura rei.

IN hac quæſtione adverſarias habemus alias omnes Scholas, quæ quaſi unanimiter conſpirant contra hoc genus diſtinctionis, quod ponimus quaſi medium inter diſtinctionem perfectè realem, & puræ rationis, quam magna pars illorum vocat formalem, id eſt conſiſtentem in pura actione intellectus: ſed non terret nos tot Adverſariorum potentia, nec multitudo. Si ratio ſtat pro nobis, quis contra nos?

Repete ex dictis, quòd diſtinctio realis, ut ſic, dicitur ea, quæ ineſt entibus realibus ex natura rei, independenter ab omni actione intellectus. Quòd ſi ea, quæ ſic diſtinguuntur, ſint propriè res, ſeu inter rem, & rem in ſenſu à nobis explicato, diſtinctio dicitur propriè, & abſolutè realis, ſi ſit inter realitates, ſeu formalitates, ſeu entitates, dicitur *formalis ex natura rei*, quod additur, ad ſignificandum, quod habet eſſe in rebus independenter ab intellectu.

Repete 2. varias acceptiones nominum, *res*, *formalitas*, *entitas*, *realitas*, & *forma*, & ex iis, quæ diximus de hujuſmodi entibus, colliges formalitatem deſcribi poſſe, *aliquid poſitivum, quod non poteſt per ſe exiſtere, aut ſeparari, ne divinitùs quidem à re, in qua eſt, nec illi de novo advenire, includitur tamen, & verè ineſt enti reali*. His ita ſuppoſitis, ſit

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO I.

Diſtinctio formalis ex natura rei eſt alietas pluriũ formalitatum, ſeu entitatum prorſus inſeparabilium à ſe invicem, tùm à re, in qua ſunt, & quæ ſunt ſeorſim quidditativè conceptibiles. Identitas verò formalis ex natura rei explicari poteſt per negationem talis alietatis, ſeu diſtinctionis, ſeu eſt in formalitatibus, quæ ſe ſe invicem includunt, ut non ſint ſeorſim quidditativè conceptibiles. Eſt ad mentem Doctoris, & Scotiſtarum omnium.

Prob. ex Scoto [1] ſic deſcribente identitatem hanc. *Voco autem identitatem formalem, ubi illud, quod dicitur ſic idem, includit illud, cui ſic eſt idem in ratione ſua formali, & per conſequens per ſe primo modo.* Ergo, ex Scoto, illa ſunt idem formaliter, quæ ſe ſe includunt in ratione ſua formali in primo modo dicendi per ſe, id eſt, ſic ut unum illorum ſit vel definitio, vel pars definitionis alterius, & è contia, illa diſtinguuntur formaliter, quæ ſe ſe non ſic includunt, ſed ſunt ſeorſim quidditativè conceptibilia: nam ſic docet, eſſentiam, & perſonalitates in Deo diſtingui formaliter ex natura rei, *in propoſito autem eſſentia non includit in ratione ſua formali proprietatem ſuppoſiti, nec è converſo: & ideò poteſt concedi, quòd ante actum intellectus hæc realitas eſſentiæ, quæ eſt communicabilis, & realitas ſuppoſiti, qua ſuppoſitum eſt incommunicabile, & ante actum intellectus, hæc realitas formaliter non eſt illa, vel non eſt eadem formaliter illi, ſicut priùs expoſitum eſt, quid ſit formaliter idem.*

Confirm. quantum ad realitatem, id eſt, quod ſit à parte rei. Nam loquens de diſtinctione inter attributa divina, quam diximus eſſe formalem ex natura rei, ſic ſe explicat, ut eam ſecernat à diſtinctione rationis, & ab ea, quam virtualem vocant, prout virtuale opponitur actuali. *Dico, quòd inter perfectiones eſſentiales non eſt tantùm differentia rationis, hoc eſt diverſarum modorum concipiendi idem objectum formale... nec eſt ibi tantùm diſtinctio objectorum formalium in intellectu... eſt ergo ibi diſtinctio tertia*

[1] *1.d.2.qu.7.n.5.HH.*

Digitized by Google

tertia præcedens intellectum omni modo. Eſt igitur realis, id eſt à parte rei, imò & actualis, non autem virtualis: nam ſapientia eſt in re ex natura rei, & bonitas eſt in re ex natura rei (ecce pro actuali exiſtentia duorum illorum attributorum in eſſentia divina) *ſapientia autem in re formaliter non eſt bonitas* (ecce pro diſtinctione ex natura rei) *quia intelligo ſic, quod intellectus componens iſtam (ſapientia non eſt bonitas formaliter) non cauſat actu ſuo collativo veritatem iſtius compoſitionis, ſed in objecto invenit extrema, ex quorum compoſitione fit actus verus.* Alibi tamen docet, eam poſſe dici virtualem, *non quod extrema ejus non ſint actu in re, ſed quia illud, quod habet talem diſtinctionem in ſe, non* habet rem: ſed una *res habens virtualiter, ſive eminenter duas realitates*, &c. *ſimiliter* dici poteſt *rationis, non quod* ratio accipiatur *pro differentia formata ab intellectu, ſed ut ratio accipiatur pro quidditate rei.*

Ut autem melius concluſionis veritas pateat, nota, diſtinctionem, & identitatem hanc duplici modo explicari à Scotiſtis, & uſurpatam à Scoto. 1. Aliqua dicuntur idem formaliter, quando unum includit alterum in ſua ratione formali, ſeu in ſuo conceptu quidditativo, ita ut ſit vel ejus definitio, vel pars definitionis ejus. Sic definitio eſt idem cum ſuo definito, & viciſſim. Sic rationale, & homo ſunt idem. E contra dicuntur diſtingui, quando neutrum eſt de quidditate, ſeu de conceptu formali alterius, ita ut unum poſſit quidditativè cognoſci ſine alio, ut *animal* ſine *rationali*. 2. Explicatio, quæ eſt recentiorum Scotiſtarum, docet, quòd ea ſunt idem formaliter, quæ non habent eandem formalitatem, & rationem conceptibilem ex natura rei: diſtinguuntur verò formaliter, quæ habent aliam, & aliam formalitatem ſeorſim conceptibilem ex natura ſua: & hæc explicatio, ut vides, coincidit cum ea, quam tradidimus in concluſione.

Rursùs hæc diſtinctio formalis eſt *adæquata*, & *mutua*, cùm reperitur inter formalitates poſitivas, quarum neutra includitur in conceptu quidditativo alterius, ut inter ſapientiam, & bonitatem, inter rationalitatem, & riſibilitatem, inter intellectum, & voluntatem, &c. Eſt autem inadæquata, & non mutua,

tua,

Digitized by Google

tua, quandò reperitur inter formalitates, quarum una includitur in alia, ut *homo*, & *animal*: animal enim includitur in homine, non verò homo in animali. Item eſt non mutua inter rem,& modos ſuos. Ex dictis etiam patet, quòd formalitas eſt quid poſitivum, quod ſecundum ſe non poteſt exiſtere per ullam potentiam, eſt tamen immerſum in re potente per ſe exiſtere, & eſt conceptibile conceptu quidditativo diſtincto, vel à re cujus eſt, vel ab alio exiſtente in eadem re, cujus eſt aliquitas, id eſt non tota eſſentia: unde humanitas reſpectu hominis non eſt formalitas ejus, ſed forma totalis, & eſſentia, benè verò rationalitas, riſibilitas, &c. His ita ſuppoſitis, patet ſatis ratio, & ſenſus deſcriptionis allatæ, tàm identitatis, quàm diſtinctionis formalis, quatenùs à nobis ſuſtinetur.

CONCLUSIO II.

D*Atur verè diſtinctio formalis ex natura rei ſupra explicata, quæ nec eſt propriè realis, nec rationis*. Ita Scotus, & Scotiſtæ omnes, & alii multi contra Thomiſtas, & Nominales, & Neotericos.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam, *voco*, inquit, *identitatem formalem, ubi illud, quod dicitur ſic idem, includit illud, cui ſic eſt idem in ratione ſua formali, & per conſequens per ſe primo modo, quamvis ſint abſolutè inſeparabilia* ſed in compoſitis metaphyſicis multæ ſunt formalitates, quarũ neutra includit aliam in ſua ratione fo mali quidditativa, licèt non ſint realiter ſeparabiles, nec inter ſe, nec à re cujus ſunt, & per conſequens non diſtinguuntur realiter propriè, nec ſola ratione: ergo datur diſtinctio formalis ex natura rei, quæ nec eſt propriè realis, nec rationis. Prob. ſubſumptum. 1. enim animalitas, & rationalitas ſunt formalitates hominis inter ſe penitùs inſeparabiles, & neutra in conceptu ſuo quidditativo includit aliam, animalitas enim à parte rei, & in conceptu ſuo quidditativo non eſt rationalitas, nec rationalitas eſt animalitas. Antec. quoad 1. par. negari non poteſt. Prob. quoad 2. Nam de re omnino eadem ante omnem operationem intellectus non poſſunt verificari

[1] *ibid.*

Digitized by Google

cari contradictoria: ſed nullo intellectu cogitante verificari poſſunt contradictoria de animalitate, & rationalitate hominis, ergo à parte rei animalitas, & rationalitas non ſunt eadem entitas. Maj. patet: nam in eo omni ſenſu, & reſpectu, in quo conveniunt prædicata contradictoria aliquibus entibus, debet intercedere diſtinctio proportionata juxta illud axioma receptiſſimum: *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*. Prob. ergo min. Animalitas hominis à parte rei habet convenientiam cum animalitate bruti, & rationalitas à parte rei non convenit cum illa. Animalitas eſt principium ſenſitivitatis, & poteſt eſſe in aliquo, in quo non poteſt eſſe rationalitas: ſed hæc ſunt contradictoria, ergo de animalitate, & rationalitate verificantur à parte rei contradictoria.

Dices, ad hæc ſufficere diſtinctionem virtualem, aut rationis ratiocinatæ.

Contra. Diſtinctio virtualis, & rationis non ponunt quidquam in extremis à parte rei, ergo non poſſunt fundare veritatem contradictionis actualis: ſed contradictiones prædictæ ſunt actuales in animalitate, & rationalitate, ergo non veniunt ex ſola diſtinctione virtuali animalitatis, & rationalitatis. Prob. maj. Nam cum ſola diſtinctione virtuali, aut rationis animalitas, & rationalitas remanent actu eadem formalitas, & entitas, ergo contradictio actualis à parte rei diceretur de entitate actualiter, & à parte rei eadem.

Prob. 2. ex Philoſ. [1] & Scoto dicente, quòd *ens, & unum ſunt unum, & idem natura*, id eſt realiter, quia conſequuntur ſe ad invicem, ut *principium, & cauſa, ſed non ut oſtenſa una ratione*, in quem textum ſic philoſophatur Doctor Subtilis. [2] Notandum,
„ quòd dupliciter dicunt aliqua eamdem naturam.
„ 1. quia habent identitatem realem, & diſtinctio-
„ nem rationum realium ex natura rei. 2. quia ſunt
„ idem ſecundum rem, & ſecundum rationem rea-
„ lem. Exemplum primi, ut cauſa, & principium:
„ nam eadem res eſt cauſa, & principium, ſed ſecun-
„ dum aliam, & aliam rationem realem. Nam di-
„ citur principium ratione primitatis, ſed dicitur

cauſa

[1] 4. *metaphyſic. tom. 3.*
[2] *Scotus ibid.*

Digitized by Google

„ cauſa ratione dandi eſſe, ergo ex Philoſopho, [1] & Scoto unum, & ens ſunt idem realiter, & diſtinguuntur formaliter ex natura rei. *Iſtæ rationes non ſunt eædem ex natura rei, & una eſt prior altera. Primo modo ſunt idem re, & unum, non 2. modo,* addit Scotus.

Confirm. ex eod. [2] Nam diſtinguit genus à differentiis his verbis: *Non eſt autem poſſibile, genus exiſtentium unum eſſe, neque unum, neque ens: nam nec eſſe differentias,* quæ ultima verba commentatur Scotus dicens, *quia differentia cùm contrahat, & dividat ipſum genus, idcirco eſt extra rationem generis, ſicut contrahens eſt extra rationem contracti, & per conſequens genus non poteſt de differentia prædicari, unde concludit Philoſophus: quare, ſi unum, aut ens ſunt genus, nulla differentia erit nec unum, nec ens,* ergo Ariſtoteles ponit genus extra differentias, & differentias extra genus, id eſt, diſtinguit ea inter ſe, ſed non diſtinguit realiter, tanquam res à rebus, nec purè per intellectum, ergo formaliter ex natura rei, ergo ex Philoſopho datur diſtinctio ex natura rei, quæ non eſt perfectè realis, ſed formalis, quia eſt inter formalitates non habentes propriam exiſtentiam extra rem, cujus ſunt, quod ex aliis textibus confirmari poſſet: ſed hi ſufficiant. Plures vide apud Maſtrium. [3]

Prob. 3. Illa diſtinguuntur à parte rei, quæ exigunt diverſis conceptibus concipi: ſed gradus omnes, & proprietates entium, & attributa divina exigunt concipi diverſis conceptibus, ergo diſtinguuntur à parte rei, atqui non diſtinguuntur realiter propriè, tanquam res à rebus, quia non habent propriam exiſtentiam, ſed identificantur in entibus, in quibus ſunt, ergo diſtinguuntur formaliter ex natura rei, ergo datur diſtinctio formalis ex natura rei. Maj. videtur evidens. Cur enim exigerent diverſos conceptus, niſi de ſe eſſent diverſa? Sicut exiſtentia diverſa, & ſeparabilitas indicat diſtinctionem realem, ita conceptibilitas diverſa, & ſeparabilitas in concipi arguit entitatem diſtinctam, & diſtinctionem formalem ex natura rei. Prob. min. Nam de facto illi gradus entium,

[1] *lib. 3. metaph. c.* 10. [2] *Scot. ibid. n.* 37.
[3] *diſp. 6. num.* 219.

Digitized by Google

tium, & illa attributa divina concipiuntur diverſis conceptibus, qui ſunt veri, & illis verè conveniunt: ſed illi conceptus non eſſent veri, nec illis verè convenirent, niſi ipſimet gradus exigerent de ſe ſic concipi, ergo gradus, & proprietates entium, & attributa divina exigunt conceptus diverſos.

Prob. 4. ex Theologia. In Deo Intellectus, & Voluntas, Eſſentia, & Paternitas, Filiatio, & Spiratio diſtinguuntur à parte rei, & nullo cogitante intellectu: ſed non diſtinguuntur realiter, ergo formaliter, ergo datur talis diſtinctio. Prob. maj. Si intellectus, & voluntas divina non diſtinguerentur à parte rei, idem eſſet à parte rei & formaliter principium Generationis, & Spirationis, adeò ut, cùm dicimus Filium generari per viam intellectus, & Spiritum S. non generari, ſed procedere per viam voluntatis, tota hæc differentia ſe teneret ex parte intellectus duas illas proceſſiones ſic concipientis: ſed conſequens eſt contra fidem, ergo à parte rei intellectus, & voluntas divina diſtinguuntur. Idem eſt de eſſentia, quæ communicatur tribus Perſonis, & de perſonalitatibus, quæ non communicantur.

Dices, ut ſuprà, ad hoc ſufficere diſtinctionem virtualem, aut rationis ratiocinatæ.

Contra. Diſtinctio illa virtualis, aut rationis ratiocinatæ facit, ut à parte rei principium *quo* Generationis, & principium *quo* Spirationis ſint eędem omninò, vel diverſæ formalitates: ſi facit diverſas à parte rei, habetur intentum, ſi non facit diverſas, ergo generatio, & ſpiratio ſunt ab eadem formalitate, tanquam principio *quo*.

Confirm. Nam Pater diſtinguitur realiter à Filio: ſed non diſtinguitur à Filio per eſſentiam divinam, ergo per aliquid diſtinctum à parte rei ab eſſentia, ergo paternitas diſtinguitur à parte rei ab eſſentia: ſed paternitas non diſtinguitur realiter ab eſſentia, ſicut à filiatione, ergo formaliter ex natura rei.

Prob. denique ex SS. PP. 1. ex D. Auguſt. [1]*Nam eo Pater, quo Deus, nec eo Deus, quo Pater*; ergo Deitas, & Paternitas ſunt entitates à parte rei diſtinctæ: alioqui Deitas, qua eſt Deus, & Paternitas, qua eſt Pater, eſſent idem formaliter, & à parte rei. 2. ex Dama-

[1] *de Trin. cap. 5.*

Damaſceno. [1] *Si dixeris bonum, juſtum, non naturam Dei, ſed quæ circa naturam ſunt, dixeris*, ergo bonitas, juſtitia, & alia Dei attributa diſtinguuntur & quidem à parte rei ab eſſentia, alioqui enim, qui diceret bonitatem, diceret à parte rei naturam Dei.

Objicies 1. Inter ens reale, & rationis non datur medium, ergo neque inter diſtinctionem realem, & rationis. Prob.conſeq. Nam diſtinctio, & identitas eſt proprietas entis, ergo quale eſt ens, talis eſt diſtinctio, vel identitas.

Reſp.diſt. ant. Inter ens reale, id eſt, à parte rei, & ens rationis, id eſt per intellectum, non datur medium, conc. ant. inter ens reale, id eſt, quod habet propriam exiſtentiam, & poſſit ſeparari ab eo, cui ineſt, & ens per intellectum, neg. ant. & ſimiliter diſt. conſeq. Non datur diſtinctio media inter realem, prout realis dicitur ea, quæ eſt à parte rei, & rationis ea eſt, quæ eſt per intellectum, conc. conſeq. prout realis dicitur ea, quæ eſt inter rem, & rem in ſenſu prædicto, neg. conſeq. Nam diſtinctio noſtra formalis eſt quidem à parte rei, & independēs ab intellectu, ſed nō eſt inter rem, & rem.

Inſt. 1. Formæ à parte rei diverſæ ſunt *Res*, & *Res*: ſed diſtinctio iſta ideò dicitur formalis, quia eſt inter diverſas à parte rei formas, ergo eſt inter *res*, & *res*.

Reſp. neg.min. Nam dicitur formalis, quæ eſt inter formalitates inſeparabiles tum inter ſe, tum à natura, cujus ſunt formalitates.

Inſt. 2. Formalitates illæ ſunt ens, ergo ſunt *res*. Patet ant. Quia non ſunt nihil, neque non ens. Prob. conſeq. Quia res, & ens convertuntur.

Reſp. neg. ant. & ad prob. ejus concedo, non eſſe nihil, neque non ens, ſed aliquid entis, & entitates, & ad conſeq. dico non eſſe res propriè, quia non habent propriam exiſtentiam, ſed ſunt realitates, & ſicut *ens*, & *res* convertuntur, ita & *entitas*, & *realitas*.

Inſt. 3. Formalitas ſubſtantiæ eſt ſubſtantia verè, & propriè: ſed omnis ſubſtantia vera, & propria eſt res verè, & propriè, ergo omnis formalitas ſubſtantiæ eſt res verè, & propriè.

H Reſp.

[1] *L. de fide, c.* 4.

Reſp. neg.maj. Eſt quidem ſubſtantialis, & quid ſubſtantiæ,non tamen ſubſtantia perfecta, & in recto.

Objic. 2. Quæ habent diverſas definitiones, diſtinguuntur realiter: ſed illæ formalitates habent diverſas definitiones, ergo, &c. Prob. maj. Quæ habent diverſas definitiones, habent diverſas eſſentias, nam differunt genere, aut ſpecie: ſed diverſæ eſſentiæ diſtinguuntur realiter, ergo, &c.

Reſp. diſt.maj. Aliquando, ut cùm definita habent proprias exiſtentias, & ſunt naturæ utcumque completæ, conc.maj. ſemper, ut cùm definita ſunt entitates inſeparabiles, & non exiſtentes per proprias exiſtentias, neg. maj. & conſeq. ſimiliter diſtincta min. Nam paternitas in Deo habet definitionem diverſam à filiatione, juſtitia à miſericordia, & quaſi ſpecie differunt, ſed imperfecta, ideò non diſtinguuntur realiter.

Inſt. 1. Quæ diſtinguuntur definitione,diſtinguuntur quidditativè, & ſpecie: quæ diſtinguuntur ſpecie, diſtinguuntur numero; & quæ diſtinguuntur numero, diſtinguuntur realiſſimè, ergo diſtinctio illa eſt realiſſima.

Reſp. diſt. ant. Diſtinguuntur quidditate, & ſpecie aliquali, atque imperfecta, conc. ant. diſtinguuntur ſpecie perfecta,& totali ſaltem ſemper, neg.ant. & reliquas partes inductionis, v.g. ſapientia,& juſtitia in Deo ſunt virtutes aliqualiter differentes ſpecie, ſed non totali. Similiter generatio, & ſpiratio ſunt actiones ſpecie differentes, & tamen ſunt in eadem eſſentia realiter.

Inſt. 2. In eadem re eſſet identitas, & diſtinctio realis,ſeu à parte rei: ſed hoc implicat,ergo,&c. Min. patet. Idem enim, & non idem à parte rei ſunt contradictoria: ſed diſtingui, & identificari à parte rei importat idem,& non idem à parte rei,ergo,&c. Maj. verò etiam patet. Nam quæ diſtinguuntur formaliter, ſunt eadem realiter.

Reſp. d. mai. Si *à parte rei*, ſeu *reale* utrobique ſumerentur eodem ſenſu, conc.maj. ſi diverſo ſenſu,neg. maj. Diſtinctio formalis eſt realis, id eſt, à parte rei, ſed identitas realis, quæ ſtat cum illa, non ſolùm eſt à parte rei, & ante intellectum, ſed inter *Res*, & *Res*.

Digitized by Google

Inſt. 3. Per diſtinctionem formalem hanc tam verum eſt intellectum non eſſe idem cum voluntate, quàm materiam phyſicam non eſſe idem cum forma phyſica, ſeu corpus cum anima : ſed materia, & forma phyſica diſtinguuntur realiſſimè , ergo & ea, quæ diſtinguuntur formaliter ex natura rei , ergo eſt realiſſima abſolutè.

Reſp.diſt.maj.Tam eſt verum, ſed non eodem modo, conc.maj.eodem modo,& eadem diſtinctione,neg. maj. & conſeq. Nam materia , & forma ſunt alia , & alia res, alietate ſeparabilitatis , & exiſtentiæ, non autem intellectus , & voluntas.

Inſt.4. Separabilitas non facit diſtinctionem , ſed eam ſupponit; nam ideò materia, & forma ſeparabiles ſunt, quia ſunt entia diſtincta à parte rei, ergo, ſi entitates illæ ſunt à parte rei diſtinctæ, erunt ſeparabiles.

Reſp. diſt. maj. Supponit, aut arguit diſtinctionem realem abſolutè,conc.maj. diſtinctionem quamcũque à parte rei, adeò ut ex illa ſequatur , ut illum arguat, neg.maj. Unde materia,& forma sũt ſeparabiles,quia habẽt diſtinctas exiſtẽtias realiter, & ſeparabilitas eſt ſignũ, ſeu ratio à poſteriori;nõ ita de formalitatibus, & de diſtinctionibus illarũ , quamvis ſint à parte rei.

Obijc. 3. Si admittenda eſſet talis diſtinctio , maximè propter myſterium Trinitatis, v.g. propter communicabilitatem eſſentiæ , & incommunicabilitatem perſonalitatum, ſeu relationum : ſed non eſt admittenda in Deo; ergo nullibi eſt admittenda .Maj. ſupponitur ex probationibus noſtræ concluſionis. Prob. min. Si admittatur diſtinctio ex natura rei inter eſſentiam, & relationes, eſſent in Deo plures entitates diſtinctæ ante operationem intellectus, ſed hoc repugnat Deo, ergo,&c. Prob. min. Repugnat enim ſummæ ſimplicitati divinæ omnis pluralitas realis entitatum, ergo, &c.

Reſp. quidquid ſit de maj. quæ non continet adæquatam rationem , cur hæc diſtinctio admittatur (nec enim ſolùm in divinis, ſed etiam in creatis eſt admittenda) reſpondeo, inquam, neg.min. primi , & 2.argumenti , & ant.tertii .

Inſtabis 1. Omnis compoſitio repugnat ſummæ ſimplicitati , ſed omnis pluralitas entitatum rea-

Digitized by Google

lium inducit compoſitionem, ergo, &c.

Reſp. neg. abſolutè min. vel ſic diſtinguo. Omnis pluralitas entitatum realium, atque realiter diſtinctarum, & finitarum, & inter ſe unitarum per modum actus, & potentiæ, conc. min. entitatum realiter identificatarum, & infinitarum, quarum nulla ſe habeat per modum potentiæ, ac perfectibilis, neg. min. & ratio eſt, inquit Scotus, [1] *quia relatio eſt perfectè eadem eſſentia, propter enim infinitatem unius rationis* (id eſt entitatis, ſeu formalitatis) *quidquid poteſt eſſe cum ea, eſt idem perfectè ſibi* (realiter ſcil.) *perfectio enim identitatis excludit omnem compoſitionem, & quaſi compoſitionem, quæ identitas eſt propter infinitatem, & tamen infinitas non tollit rationes formaliter ſic, quin hæc formaliter non ſit illa.... ideo nihil eſt ex eis, quaſi compoſitum ex actu, & potentia, ſed eſt unum ſimpliciſſimum ex iſtis, quia una ratio eſt perfectè, imò perfectiſſime eadem alteri, & tamen non eſt formaliter eadem.*

Inſt. 2. Si plures entitates à parte rei non faciunt unum per compoſitionem, ſaltem facient unum per aggregationem, & per accidens: ſed hoc eſſet magis inconveniens, ergo, &c.

Reſp. neg. ant. [2] *Nam eadem perfecta identitas excludit omnem aggregationem, quia idem non aggregatur cum ſeipſo.* Hæ autem rationes, quia non ſunt eædem in creatis, in quibus omnia ſunt limitata, & finita, ideò plures entitates à parte rei faciunt in eis compoſitionem Metaphyſicam: at in divinis, quia nulla talium entitatum eſt de ſe finita, ideò non faciunt unum unitate unionis, vel compoſitionis, ſed ſimplicitatis, & identitatis.

Inſt. 3. Quælibet talium entitatum in divinis, quatenus diſtincta ab aliis, eſt incompleta, ergo nulla ſolutio. Prob. ant. Facit cum aliis aliquod unum totum, ſaltem integrale, quod eſt majus qualibet illarum, ergo, &c.

Reſpondeo neg. ant. utrumque. Nam, ut dixi, propter infinitatem repugnat illis ratio partis propriè loquendo, & propter identitatem perfectiſſimam realem faciunt unum totum unitate identi-

tatis,

[1] 1. d. 5. 1. 2. K. qu. 35. [2] *Scotus ibid.*

Digitized by Google

tatis, non verò unitate unionis, nec compoſitionis.

Inſt. 4. Compoſitio eſt diſtinctorum unio: ſed tales ſunt illæ entitates, ſi diſtinguuntur à parte rei, ergo, &c. ibi eſt compoſitio.

Reſp. diſt. maj. Eſt diſtinctorum realiter, & finitorum, conc. maj. diſtinctorum formaliter, ac infinitorum, neg. maj. & conſeq. Quod patet ex dictis.

Objic. 4 Ut probes, hanc diſtinctionem eſſe propriè realem. Nam cauſatur à principiis realibus, ergo eſt verè realis. Prob. ant. Cauſatur ex rebus, quæ ſunt in rerum natura independenter ab omni opere intellectus, ergo cauſatur à principiis realibus.

Reſp. diſt. ant. & conſeq. Si vox, *Reale*, ſumatur largè, & impropriè, côc. ant. ſi ſumatur propriè, & ſtrictè, neg. ant. & conſeq. Largè ſumitur pro omni eo, quod eſt à parte rei, & in hoc ſenſu tàm principia, quàm ipſa diſtinctio formalis ſunt realia: ſtrictè verò ſumitur pro ente rato, & habente propriam exiſtentiam, & talia non ſunt extrema hujus diſtinctionis, nec ipſa diſtinctio: eſt ergo realis eo modo, & ſenſu, quo ejus principia ſunt realia, id eſt à parte rei.

Objic. 5. Diſtinctio hæc major eſt ea, quam dicimus realem, ergo à fortiori eſt realis. Prob. ant. Diſtinctio eò eſt major, quò datur per intimiora: ſed diſtinctio noſtra formalis datur per intimiora; quia datur per prædicata eſſentialia, realis verò penes exiſtentiam; ſed prædicata eſſentialia ſunt intimiora rebus, quàm exiſtentia, quæ non eſt prædicatum quidditativum, ergo eſt major.

Reſpondeo neg. ant. primi argumenti, & maj. 2. Nam inde ſequeretur, diſtinctionem ſpecificam eſſe majorem generica, quia datur per differentias magis proprias, & intimiores, majoritas ergo diſtinctionis arguitur ex majori, vel compoſſibilitate cum alia diſtinctione, & maximè cum minore reali, & cum majori, vel minore ſeparabilitate exiſtentiæ, & ex perfectiori realitate, unde noſtra diſtinctio eſt minor reali, quia non infert realem, ſed ſtat cum reali identitate, & cum inſeparabilitate, & inter *realitates*, non verò *res*, & denique minùs ab unitate diſcedit.

Digitized by Google

Inſt. Hæc, qualiſcumque ſit, repugnat in divinis; ergo non eſt admittenda. Prob.ant. Arguit compoſitionem ad minus Metaphyſicam, ergo repugnat ſummæ Dei ſimplicitati.

Reſp. ut ſuprà, neg.ant. utriuſque argumenti propter rationem allatam.

Inſt. 2. Eſſentia divina recipit quandam perfectionem ab attributis, ergo ſe habet, ut perfectibilis, & per modum potentiæ ad illa, ergo ex eſſentia, & attributis diſtinctis inducitur quædam compoſitio in Deo.

Reſp. ex Scoto, [1] neg. ant. Non enim quæcumque perfectibilitas inducit potentialitatem, & imperfectionem, & per conſequens compoſitionem oppoſitam ſimplicitati, ſed ea tantùm, qua recipitur perfectio per modum formæ, & partis, ut ſit in creatis, non verò ea, qua recipitur, ſeu unitur per identitatem, v. g. ſapientia dupliciter conſiderari poteſt, 1. ut accidens, & forma, & pars informans, & hoc eſt imperfectio, & hoc munus non habet in Deo. 2. ut eſt ratio, qua eſt ſapiens per identitatem, quam habet propter infinitatem ſuam, propter quam nata eſt identificari cuilibet naturæ capaci talis perfectionis, & ſic eſt in Deo. De ratione igitur componibilitatis entitatis eſt, ut ſit pars; & ut ſit pars, debet eſſe finita, quia, ut finita, non infert identitatem cum re, cui unitur; ſi verò ſit infinita, infert identitatem cum re, quam perficit, & hoc ita eſt in Deo quoad eſſentiam, & attributa infinita, quibus perficitur.

Objic. 6. Scotus non audet uti voce diſtinctionis, cùm hanc aſſerit in divinis, [2] *nunquid igitur debet concedi* (inter eſſentiam, & perſonas) *aliqua diſtinctio? Reſp. melius eſt uti iſta negativa, hoc non eſt formaliter idem, quàm, hoc eſt ſic diſtinctum*, ergo ſaltem in divinis non datur hæc diſtinctio.

Reſp. neg. conſeq. 1. Quia ex eodem textu haberetur etiam, quòd non datur diſtinctio virtualis, nec rationis, quod eſt conrra adverſarios. Nam, *breviter dico*, inquit, *omittendo illa verba de diſtinctione rationis, & de diſtinctione virtuali, non quia ſint male*

[1] *In* 1. *d.*8. *q.* 4. *X. n.*21. *& d.*5. *q.* 2. *n.* 15.
[2] *In* 2. *q.*7. *n.*44.

Digitized by Google

malè dicta , ſed quia non oportet eis uti , &c. ex quibus verbis patet

Reſpondendum eſſe 2. Scotum formidoloſè , & prudenter, ut aſſolet , ibi loqui , quia nomen diſtinctionis in divinis ſuo tempore non erat benè in uſu , & non ſolùm abſtinet ab uſu diſtinctionis realis actualis , licèt vox *realis* ſumeretur impropriè ; ſed ne nomine quidem diſtinctionis *virtualis* , aut *rationis* , quod erat longè mitius . *Dico , quòd in eſſentia divina ante actum intellectus eſt entitas A. & eſt entitas B. & hæc non eſt formaliter illa* , &c. ergo in re admittit diſtinctionem , quam non audet admittere in voce ; denique, ut notat Lychetus , alibi audentiùs loquitur , & diſtinctionem aſſerit .

Inſt. Saltem Scotus agnoſcit tantùm diſtinctionem negativam, ideſt non identitatem , &c. Patet ant. *Melius eſt* , inquit , *uti iſta negativa , hoc non eſt formaliter idem* .

Reſp. cum Vulpes , id ideò dixiſſe , quia non fundatur ſuper pluralitatem abſolutè, & ſimpliciter , ſed ſecundum quid , & non eſt poſitiva in comparatione reali , quæ eſt inter *rem* , & *rem* .

QUÆSTIO VIII.

De diſtinctione , & identitate eſſentiali , virtuali , & modali .

Ex locis proximè citatis Scoti patet , eum agnoviſse diſtinctionem *virtualem* , & *rationis* , & probaſse . Non eſt autem minùs famoſa apud Thomiſtas , & Recentiores, quàm formalis apud nos. De illa breviter aliquid dicemus , ſicut & de *eſſentiali* , & denique de *modali* ,ſaltem ut meliùs tota hæc materia intelligatur.

Diſtinctio eſsentialis non conſtituit ſpeciem ab aliis diverſam, ſed à Philoſophis variè explicatur.

Identitas *eſſentialis* ſumitur 1. pro ea , qua uniuntur conſtitutiva alicujus eſsentiæ , & illi identificantur in primo modo dicendi per ſe ; ut *animal* & *rationale* idem ſunt eſſentialiter in homine, quia coeunt in unam eſsentiam . Non ſic de riſibilitate ,

Digitized by Google

quę eſt extra eſſentiam ejuſdem hominis, eamq; ſupponit conſtitutam eſſentialiter, dùm intelligitur ab ea fluere: & convenit in 2. modo dicendi per ſe: diſtinctio verò illi oppoſita in hoc ſenſu ea eſt, qua ſecernuntur, quæ non pertinent in 1. modo ad conſtitutionem unius eſſentiæ, ſed ſunt extra illam, ut accidentia communia: proprietates verò non ſunt de eſſentia, ſed tamen identificantur eſſentiæ. Identitas autem dicitur non de conſtituentibus eſſentias, ſed de ipſis eſſentiis conſtitutis: unde illa dicuntur eadem eſſentialiter, quæ participant eandem eſſentiam, ut Petrus, & Paulus; & è contra illa dicuntur diſtincta eſſentialiter, quæ habent plures eſſentias, ut Petrus, & Bucephalus.

Primus modus pertinet propriè, & communiter ad diſtinctionem, & identitatem realem, ſaltem in creatis: omnia enim, quæ conſtituunt unam eſſentiam, aut illi identificantur, ſunt idem realiter: quæ verò pertinent ad diverſas, diſtinguuntur realiter: dico: *ſaltem in creatis:* nam in Deo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus identificantur in eſſentia, & tamen realiter diſtinguuntur inter ſe 2. verò coincidit cum formali: illa enim ſunt idem formaliter, quæ conveniunt in quidditate, ſeu eſſentia, habentque eandem definitionem. Diſtinguuntur verò formaliter, quæ habent diverſas quidditates, ſeu definitiones: & ratio eſt, quia eſſentia, ut diximus, ſolet vocari forma totalis rei, ergo identitas eſſentialis eſt identitas formalis, & ſic de diſtinctione: relationes enim ſpecificantur, & denominantur ab extremis.

Ea tamen eſt differentia hujus identitatis, & diſtinctionis ab alia, quæ ſtrictiori nomine dicitur formalis ex natura rei, & non à forma totali, ſed à formalitatibus denominatur, quòd hæc ſtet cum identitate reali, illa verò ſc. purè eſſentialis ſtet cum diſtinctione reali, ut patet de Petro, & Paulo, qui ſunt idem eſſentialiter, & diſtincti realiter, & numericè.

Quoad diſtinctionem *modalem* jam diximus, eam ſic dici à modis, ad quos terminatur. Modi autem alii ſunt intrinſeci, & inſeparabiles à rebus, ut finitas,

tas, & infinitas in ente: alii extrinſeci, & ſeparabiles à rebus, ut ſeſſio reſpectu ſedentis, figura reſpectu quantitatis: ſic duplex eſt diſtinctio, & identitas modalis, juxta illud duplex genus modorum: &, quoniam Scotiſtæ ſolos intrinſecos agnoſcunt, recentiores verò, & alii ſolos extrinſecos, ita nos ſolam diſtinctionem modalem intrinſecam propriè admittimus, alii ſolam extrinſecam.

Identitatem ergo, & diſtinctionem modalem inter rem, & modum intrinſecum dicimus formalem ex natura rei: ſed non mutuam: modalem verò inter modos extrinſecos, & res modificatas, realem non mutuam, ſeu minorem. Ratio prioris partis eſt, quia ſunt puræ formalitates realiter, & abſolutè inſeparabiles quoad exiſtentiam, & inſunt rebus independenter ab omni opere intellectus, ſuntque conceptibiles ſeorſim, & objectivè: ſaltem ens poteſt concipi ſine ſuis modis intrinſecis, licèt iſti nequeant concipi perfectè ſine ente, ergo non poſſunt diſtingui, nec magis, nec minùs, quàm formaliter ex natura rei: ſed diſtinctione *inadæquata*, & *non mutua*, ſeu *formali minori*. Quoad extrinſecos verò, quia res modificata poteſt exiſtere, & eſt vera res habens propriam exiſtentiam independenter à modis ſuis, licèt ipſi non poſſint exiſtere ſine re modificata: non poſſunt diſtingui minùs, quàm realiter: ſed diſtinctione reali non mutua, ſeu reali minori in comparatione illius, quæ eſt inter res potentes exiſtere viciſſim ſeparatas: in quo non eſt diutiùs immorandum.

Denique diſtinctio *virtualis*, ut jam diximus non ſemel, fundatur ſuper pluralitate rerum, vel realitatum contenta. tum in aliquo ente ſuper eminenti, quæ quidem realitates non ſunt actu in illo, ſed virtute, aut eminenter, quatenùs eadem ſimpliciſſima forma æquivalet pluribus rebus, vel formalitatibus, & illa ſola præſtat ea omnia, quæ præſtarent illæ formalitates, ſi eſſent actualiter, & ex natura rei diſtinctæ: ideò enim dicitur *virtualis*, & *eminentialis*. quia formalitates illæ non ſunt actuales, ſeu actu exiſtentes: ſicut in diſtinctione formali: in quo hæc ab illa differt: & hæc differentia valdè

Digitized by Google

notabilis eſt. Sic diſtinguuntur in Sole virtus calefactiva, & exſiccativa. Nam duæ illæ virtutes non ſunt actu exiſtentes, & diſtinctæ, nec inter ſe, nec à ſubſtantia Solis, qui per unicam, & ſimpliciſſimam virtutem eminentioris ordinis æquivalet duabus & inde intellectus ſumit occaſionem concipiendi in Sole duas illas facultates, quaſi eſſent à parte rei exiſtentes, & diſtinctę, quamvis non ſint, niſi unica ſimpliciſſima entitas cum ipſo Sole.

Hanc diſtinctionem agnovit Scotus, [1] & admittendam cenſuit inter eſſentiam divinam, & relationes originis, v. g. Paternitatis, & Filiationis, ſed hac non fuit contentus; nam voluit præterea adeſſe actualem adeò, ut entitas eſſentiæ non ſit entitas Filiationis, &c.

Hinc patet duplici ex capite, diſtinctionem *virtualem*, & *formalem*, noſtram differre 1. ex parte fundamenti; nam fundamentum diſtinctionis formalis eſt pluralitas actualis formalitatum in eadem re phyſica exiſtentium; fundamentum verò diſtinctionis *virtualis* eſt eminentia quædam rei phyſicæ continentis plures perfectiones virtualiter, ſeu eminenter, quæ ſunt diſperſæ in aliis entibus, ut patet de virtute exſiccativa, & calefactiva in Sole.

2. Differunt ex parte intellectus. Nam diſtinctio formalis prævenit omne opus intellectus, qui nihil concipit in re illa diſtinctum, quod non ſit ita conceptibile, & quidem adæquatè, & quæ ſic nihil ibi ponit de ſuo; at in diſtinctione virtuali concipit diverſis conceptibus ea, quæ de ſe non ſunt adæquatè, & ſeorſim conceptibilia, nec actu ſunt talia, qualia concipiuntur, ſed ſunt indiſtinctiſſima quoad entitatem.

QUÆSTIO IX.

De Præciſionibus.

Diſtinctionum materiæ affines ſunt præciſiones, quarum ferè nulli Scotiſtæ mentionem faciunt, ita ut vel ipſos earum terminos in Scholis noſtris ignotos dicat Maſtrius, & revera poſt ſtabilitam diſtinctionem formalem ex natura rei inter

[1] in 1. d. 2. q. 7. n. 44.

Digitized by Google

ter gradus Metaphyſicos, & attributa divina, fruſtrà quærerentur, an præſcindant aut formaliter, aut objectivè; nulla enim major præciſio objectiva, quàm diſtinctio formalis illa. Tamen, quia præciſionum termini, & materia celebres evaſerunt apud recentiores, ne quid in eorum lectura, & opinionibus moretur Tyrones noſtros, & meliùs capiantur, quæ ſupra diximus de præciſione entis, quid illæ ſint, & quales, breviter hìc ſubjicimus.

Præciſio, ut vox ſonat, eſt [1] aliqualis rerum, aut conceptuum unitorum ſeparatio, ideò præſcindere *eſt cognoſcere unum ſine alio realiter identificato*, ut ſi concipias gradum entis, nihil cogitando de finitate, vel infinitate, de perſeitate, & inhærentia; item, ſi concipias animalitatem nihil cogitando de rationalitate, & viciſſim. Duplex eſt, *formalis*, quæ ſe tenet tota ex parte actus, & *objectiva*, quæ ſe tenet ex parte objecti. Per primam attingitur quidem tota entitas objecti, quod ſupponitur penitùs ex ſe indiſtinctum, ſed adeò confusè, ut, quantum eſt ex parte illius actus, non advertat intellectus, ſe cognoſcere, niſi unam ſimpliciſſimam entitatem, nec poſſit diſcernere, an attingat unum gradum potiùs, quàm alterum, ita ut nihil ſit ex parte objecti, quod non reſpondeat illi cognitioni, ſed confusè. Per 2. verò ita cognoſcit unum gradum, & adeò diſtinctè, ut advertat, ſe per illum actum attingere illum, verbi gratia animalitatem, nihil prorſus cogitando de rationalitate. Solam formalem ſic deſcriptam admittunt Nominales, & Neoterici inter gradus entis Metaphyſicos, poſteriorem verò ſuſtinent Thomiſtæ, & alii plurimi, & à fortiori Scotiſtæ omnes, qui ſuſtinent ibi diſtinctionem ſuam formalem ex natura rei: illa enim tota ſe tenet ex parte objecti. *Præciſio* igitur dicitur *objectiva*, quia ex parte objecti reperitur formalitas *animalis*, quæ ſola correſpondet uni actui, & formalitas *rationalis*, quæ correſpondet alteri; at in præciſione purè formali tam *rationale*, quàm *animal* correſpondet utrique actui.

Rursùs *præciſio objectiva* dupliciter contingit. Si

H 6 enim,

[1] *Diſp. 2. q. 3.*

enim formalitates ex parte objecti correſpondentes ſingulis conceptibus intellectus ſint actu, & de facto, & formaliter in ipſo objecto, & ſecundum proprias earum rationes formales, ut *animalitas*, & *rationalitas* in homine, & *ſapientia*, & *juſtitia* in Deo: tunc præciſio eſt objectiva ex natura rei, & independenter ab opere intellectus; quia ideò tales entitates intelligit diverſis actibus, & ſeorſim, quia illæ ſunt in re, & de ſe ita conceptibiles, & illi conceptus ſunt quidem inadæquati reſpectu totius rei, ſeu objecti, quod non attingitur totaliter, & quoad omnia ejus prædicata tum eſſentialia, tum propria, ſed reſpectu ſingularum entitatum dici poſſunt adæquati, quia & exprimunt totam quidditatem ſingularum formalitatum.

Quòd ſi formalitates illæ, quę diverſis actibus attinguntur, non continentur actualiter, & ſecundum proprias ſuas formalitates in objecto, ſed virtualiter tantùm, vel eminenter, ut diximus ſuprà de virtute calefactiva, & exſiccativa in Sole, talis præciſio non eſt omninò ex natura rei, ſed partitio illa venit ab intellectu ſic concipiente, ut diviſa, quæ non ſunt diviſa, & ſinguli conceptus illi ſunt inadæquati reſpectu tam totius objecti, quàm illarum formalitatum.

Priores autem præciſiones admittimus in gradibus Metaphyſicis, & in attributis Divinis: Thomiſtæ verò ſolas poſteriores. Illæ ſequuntur, & fundantur in noſtra diſtinctione formali ex natura rei, iſtæ in diſtinctione virtuali, aut rationis ratiocinatæ, quia, licèt intellectus habeat fundamentum ex parte rei attingendi virtutes illas diverſis actibus, tamen actu non ſunt diverſæ, ſed ſolùm æquivalenter, & virtualiter.

Habes igitur differentiam præciſionis objectivæ à formali, quòd objectiva ſe tenet ex parte objecti, quod cauſat diverſos conceptus in intellectu clarius, & diſtinctè rem cognoſcente, ſicuti eſt in ſe, ſaltem inadæquatè, & per partes; formalis verò ſe tota tenet ex parte intellectus, qui rem, licèt perfectiſſimè unam, & indiſtinctam cognoſcit diverſis actibus, quibus eadem ſemper entitas correſpondet, licèt conceptus ſint diverſi, quia objectum ita confuſè cognoſcitur, ut in uno conceptu videatur apparere ſe-

ſuc-

Digitized by Google

cundum unum prædicatum, & in alio ſecundum aliud: ut cùm à longe vides colorem aliquem, nec potes diſcernere, num ſit albedo, vel rubedo, ſcis te videre colorem, & habes conceptum coloris, quæ eſt ratio generica ſine conceptu albedinis, vel nigredinis, quæ eſt ratio ſpecifica, cùm verò propiùs accedis, vides albedinem: &, ſicut utrobique vides ſemper idem objectum, ſed modò diſtinctè, modò confusè, ſic in Metaphyſicis, cùm intelligis ens, non cogitando de finitate, vel infinitate, & deindè cognoſcis illud eſſe finitum, utrobique eſt idem totale objectum, ſed in primo attingitur confusè, & in 2. diſtinctè: & ſic tota præciſio, & differentia conceptuum ſe tenet ex parte intellectus.

Dari autem hujuſmodi præciſiones formales nullus dubitat, ſed quæſtio, & controverſia eſt de objectivis.

CONCLUSIO

D*Antur præciſiones objectivæ tàm in divinis, quàm in creatis*. Eſt communis inter Scotiſtas, & Thomiſtas, & alios contra Nominales, & plures Neotericos.

Prob. autem ex Scoto[1] in omnibus locis ſuprà citatis, in quibus agnoſcit diſtinctionem formalem ex natura rei, aut virtualem tàm in Deo, quàm in creatis, nec placet ea repetere.

Prob. 2. Iiſdem argumentis, quibus probata eſt à nobis neceſſitas prædictæ diſtinctionis. Nam præciſio objectiva etiam actualis fundatur in pluralitate actuali formalitatum ex natura rei in Deo, & creaturis exiſtentium: ſed pluralitas illa datur de facto in illis, ergo & præciſio objectiva. Quod ſi præciſio objectiva actualis, ſeu Scotiſtica detur; multò magis virtualis, & Thomiſtica. Min. patet ex dictis. Prob. maj. Nam quodlibet objectum eſt cognoſcibile, ſicuti eſt: ſe ſe enim naturaliter repræſentat, ergo, quod habet pluralitatem formalitatum ſeorſim conceptibilium, eſt cognoſcibile de ſe per plures conceptus correſpondentes illis formalitatibus.

Prob. 3. Intellectus habet vim collativam præciſivam, ergo poteſt formare diverſos conceptus inadæqua-

[1] *In* 1. *d.* 2. *q.* 7. *n.* 43.

Digitized by Google

quatos de eodem objecto, quod intelligit, ita ut per unum attingat unam tantùm partem ejus, & per alium alteram. Patet conſeq. Nam in hoc conſiſtere videtur vis præciſiva. Prob. ant. Quia nulla eſt in hoc repugnantia; imò id ſuadet quotidiana experientia, qua advertimus, nos cognoſcere in homine animalitatem non cogitando de ulla alia formalitate, v. g. de rationalitate, & irrationalitate non cogitando de riſibilitate, vel admirativitate; vel de gradu vegetationis, aut ſubſtantialitatis, &c. ſic in ſole concipio vim calefactivam, non cognita vi exſiccativa, & viciſſim.

Prob. 4. *argumento Theologico*. Certum eſt, quòd, cùm dico: eſſentia *divina communicatur tribus perſonis*, correſpondet illi cognitioni aliquid in Deo ex parte eſſentiæ divinæ, quod non convenit perſonæ Patris, v. g. ſimiliter, cùm dico: *eſſentia eſt una, perſona eſt triplex*; niſi enim aliquid ex parte objecti reſponderet hujuſmodi propoſitionibus, illæ non eſſent magis veræ ex parte Dei, quàm iſtæ contrariæ: *eſſentia divina non communicatur*, *eſſentia eſt triplex*, &c. ſed hoc eſt hæreticum, ergo, &c.

Objic. 1. ea omnia, quæ objecta ſunt contra diſtinctionem formalem: ſed hæc jam ſoluta ſunt.

Objic. 2. Animalitas, & rationalitas in homine non diſtinguuntur, antequam præſcindantur, ergo non præſcindunt objectivè, ſed tota præciſio eſt in intellectu, ſeu cognitione. Conſeq. patet. Prob. ant. Conſtituunt unam indiviſibilem eſſentiam, ergo à parte rei non diſtinguuntur.

Reſpondeo cum Scotiſtis, n. ant. & conſeq. prob. Nam à parte rei animalitas non eſt rationalitas, ſed ſunt formalitates ſeorſim adæquatè conceptibiles.

Reſpon. 2. cum Thomiſtis n. conſeq. Quia ſufficit, quòd ex parte objecti præbeatur intellectui aliquod fundamentum ſic præſcindendi; & illud fundamentum poterunt eſſe diverſæ operationes, quarum aliæ ſunt communes omnibus viventibus, & brutis; inde concipio gradum animalitatis, ut diſtinctum à gradu rationalitatis, quem concipio ex operationibus ſoli homini propriis.

Inſt. 1. Si cognitio terminata ad animal non terminaretur etiam ad rationale, illa diſtinguerentur rea-

Digitized by Google

realiter; falſum conſeq. ergo & ant. Prob.ſeq. Illa diſtinguuntur realiter, quibus à parte rei conveniunt diverſa prædicata realia, ſed convenirent diverſa prędicata realia animali, & rationali, ergo, &c.

Reſp. cum Scotiſtis, conc. mai. ſc. animalitatem diſtingui realiter à rationalitate; non realiter abſolutè, tanquam *Rem* à *Re*, ſed formaliter ex natura rei, & n. min.

Reſp. cum Thomiſtis, n. maj. Sufficit enim ad hoc diſtinctio rationis cum fundamento in re, ſeu *ratiocinatæ*, ut patet ex dictis.

Inſt. 2. Ergo ſaltem à Deo poſſent ſeparari de facto; ſicut à nobis ſeparantur cognitione. Prob. illatum ex SS. PP. Nam Baſilius: [1] *quæ mentis ſola agitatione, cogitationeque diſparari à ſe poſſunt, ea re ipſa ſejungi facultate creatoris utriuſque naturæ poſſe*, & hic probat ſeparabilitatem ſolis à luce. Et D. Anſelmus arguit ſeparabilitatem ſubjecti ab omni accidente; quia intelligi poteſt ſine illo, &c.

Reſp. 1. has authoritates nimium probare; probarent enim admittendas ne quidem in Deo, vel inter gradus Metaphyſicos præciſiones formales, nec diſtinctiones rationis ratiocinantis, quia ex his ſequeretur ſeparabilitas realis.

Reſpondeo 2. Illas authoritates intelligendas non de præciſione intellectiva, ſed de reali diviſione; quod patet ex ipſo textu D. Anſelmi: *Cùm omne objectum aut eſſe, aut intelligi poſſit ſine accidente; Deus ſine poteſtate neque eſſe, neque intelligi poteſt.* Hæc ultima falſa eſſent, ſi de ſola præciſione intellectiva loqueretur.

Objic. 3. Sequeretur idem cognoſci, & non cognoſci; implicat conſequens, ergo & implicant præciſiones objectivæ. Min. patet. Nam, ſicut implicat idem exiſtere, & non exiſtere, ita & cognoſci; utrumque enim eſt æquè contradictorium. Prob. ſeq. maj. Animalitas, & rationalitas ex parte rei ſunt idem: Sed animalitas cognoſceretur, & non cognoſceretur, ergo idem cognoſceretur, & non cognoſceretur. Hoc argumentum putant inſolubile adverſarii, ſed immeritò; nam facilè

Reſpondeo d. maj. Idem realiter, & ſecundum di-ver-

[1] *Homil. 6. ex. 4. de Incar.*

verſas formalitates, conc. maj. idem formaliter, & ſecundum eandem formalitatem, n. maj. & ſimiliter d. maj. prob. Animalitas, & rationalitas ſunt realiter idem in homine, conc. maj. idem formaliter ex natura rei, n. maj. & conſeq. quod patet ex dictis. Homo cognoſcitur ſecundum animalitatem, quæ ut eſt entitas ex natura rei diſtincta à rationalitate, ita & conceptibilis eſt præciſè, & ſeorſim ab illa. Quid hic myſterii?

Reſp. 2. cum Thomiſtis d. maj. Idem realiter, & fundamentaliter, ac virtualiter, ſeu eminenter multiplex: conc. maj. utriuſque argumenti: idem tàm virtualiter, & fundamentaliter, quàm realiter, n. maj. & conſeq. Nam in ſententia non admittentium, niſi diſtinctionem virtualem, aut rationis ratiocinatæ, eadem eſt lux ſolis realiter, quæ calefacit, & exſiccat: ſed eſt virtualiter multiplex: quatenùs hæc duo efficit, quæ in aliis procedunt à cauſis realiter diſtinctis: & inde intellectus ſumit fundamentum concipiendi virtutes illas, ut diſtinctas in ſole, cum ſint actu indiſtinctæ.

CONCLUSIO II.

P*Er actus intuitivos, & abſtractivos poteſt fieri præciſio*

Prob. ex Scoto dicente, [1] *eſſentiam, & ſuppoſitum habere quandam diſtinctionem præcedentem omnem actum intellectus creati, & increati*, ergo tàm intellectus divinus, quàm creatus intelligit eſſentiam præciſè à paternitate, v. g. ſed intellectus divinus cognoſcit intuitivè: *nam cognitio abſtractiva, & non intuitiva eſt aliquo modo imperfecta*, [2] inquit Doctor, & ſic repugnat Deo.

Confirmatur ex eodem. Nam probans, [3] *quòd perfectiones divinæ non habent ex natura rei ante opus intellectus identitatem formalem: ſic loquitur: intellectus intuitivus nullam habet diſtinctionem in objecto, niſi ſecundum quòd exiſtens eſt: cùm igitur intellectus divinus non cognoſcat eſſentiam ſuam niſi intuitiva intellectione, quæcunque diſtinctio ponatur in objecto, ſequitur, quod iſta diſtinctio erit in objecto, ut actu exiſtens eſt, &c.* ergo, quæ præſcindunt obje-

[1] *1. d. 2. q. 2. F. n. 43.* [2] *ibid.* [3] *ibid. d. 8. q. 4. M. n. 15.*

Digitized by Google

objectivè, tàm præſcindunt reſpectu cognitionis intuitivæ, quàm abractivæ.

Confir. adhuc clarius ex eodem [1] docente: quòd de potentia Dei abſoluta poteſt ab intellectu beato videri eſſentia ſine perſonis, *non video contradictionem*, inquit, *quin poſsibile ſit ex parte intellectus, & voluntatis, quòd utrinſque actus terminet eſſentia, & non perſona, & una perſona, & non alia: puta, quòd intellectus videat eſſentiam, non perſonam*, &c.

Prob.2. Quia in hoc nulla eſt contradictio, ſeu repugnantia, ergo poteſt fieri. Ant. patebit ſolutione objectionum.

Prob.3. Si quid obſtaret, ne cognitio intuitiva ſtet cum præciſione, ſeu diſtinctione formali, eſſet identitas realis earum formalitatum: ſed hæc identitas non impedit, ergo, &c. Prob. min. De ratione cognitionis intuitivæ non eſt, ut attingat omnia, quæ ſunt in objecto, & realiter identificata: hoc quidem pertinet ad comprehenſivam; ſed non ad intuitivam, ut dicetur aliàs: ſufficit ad intuitivam, quod terminetur ad objectum præſens, ut præſens eſt, ergo, &c.

Confirm. Quia de facto intellectus Beatorum videns eſſentiam intuitivè non videt actus liberos Dei: ſed illi actus identificantur cum eſſentia, ergo intuitio poteſt eſſe, & eſt de facto præciſiva. Ant. patet ex conſenſu omnium Theologorum.

Objicies. 1. Cognitio intuitiva repræſentat objectum, pro ut eſt à parte rei; ſed objectum habet à parte rei omnes formalitates ſuas realiter identificatas, & exiſtentes, ergo debent omnes repræſentari: ſed cognitio præciſiva non omnes cognoſceret, ergo non eſſet intuitiva.

Reſp. d. maj. Repræſentat objectum, pro ut eſt à parte rei ſecundũ ea, ad quę terminatur per ſe ipſum, & non per alienas ſpecies, con. maj. ſecundum omnia, quæ in ipſo continentur, n.maj. & conſeq. Nam de ratione cognitionis intuitivę eſt quidem, ut videat objectum in ſe ipſo, & per ipſummet, non per ſpecies alienas, ut autem videat ſecundum omnia contenta in ipſo, eſt de ratione cognitionis comprehenſivæ.

Inſt. 1. Cognitio intuitiva eſt de objecto exiſtenti, ut exiſtens eſt: ſed omnes formalitates exiſtunt per

[1] *1.d.1.q.2.a.2.c.n.5.*

Digitized by Google

per unicam exiſtentiam rei, ergo omnes debent videri.

Reſpondeo d. maj. Ut exiſtens eſt, ita ut ipſa cognitio terminetur immediatè, & directè ad ipſam rem exiſtentem, conc. maj. ita ut terminetur immediatè ad exiſtentiam, n. maj. Exiſtentia igitur non terminat directè cognitionem intuitivam, ſed eſt conditio neceſſaria, ut cognoſcatur res per propriam ſpeciem: & ſic quælibet formalitas rei exiſtens in re ſufficienter ſe per ipſam exhibet intuenti, quia habet propriam ſpeciem ſui repræſentativam.

Objic. 2. Implicat unam rem produci ſine ſuis formalitatibus realiter identificatis, ergo & cognoſci intuitivè, & præciſivè. Prob. conſeq. Quia non cognoſcitur intuitivè, niſi ut producta, & exiſtens, ergo tàm implicat cognoſci præciſivè, & intuitivè.

Reſpondeo n. conſeq. utramque, ob rationem mox allatam. Non enim poteſt cognoſci intuitivè, niſi ut producta, & exiſtens, quia debet cognoſci per propriam ſpeciem; ſed, ut ſic cognoſcatur, non eſt neceſſe, ut intueatur omnia exiſtentia in illa.

Objic. 3. Implicat aliquid exiſtere à parte rei, quin ſit integra entitas, ergo implicat videri intuitivè, & ut exiſtens, quin videatur totum, ergo implicat præciſio in intuitione.

Reſpondeo n. conſeq. Nam exiſtentia reſpicit rem totam; at intuitio reſpicit ſolùm rem, ut repræſentatam per ſe ipſam, & non per ſpeciem; & ad hoc ſufficit, quòd res ſit per ſe præſens ſecundum id, quod terminat intuitionem, non verò, ut intuitio terminetur ad omne, quod exiſtit in re.

Objic. 4. Res, ut exiſtens, eſt ſingularis; ſed intuitio eſt rei ut exiſtentis, ergo ut ſingularis, ergo intuitio non poteſt eſſe præciſiva. Prob. conſeq. Præciſio attingit formalitatem communem, non cognita ſingularitate; verbi gratia, animalitatem Petri, non cognita Petreitate, ergo attingit univerſalitatem, ut exiſtentem, & ſine ſingularitate.

Reſpondeo d. min. Ita ut exiſtentia ſit quid concomitans, & conditio requiſita ad intuitionem, quatenùs terminatur ad ipſam rem in ſe, & non in ſpecie, conc. min. quatenùs ipſa exiſtentia debeat directè

ctè cognoſci, n. min. & conſeq. Res igitur, quæ videtur, debet eſſe exiſtens, & ſingularis concomitanter, ſed non eſt neceſſe, ut intuitio terminetur ad exiſtentiam; ita nec ad ſingularitatem. An autem eſſentia in communi poſſit videri intuitivè ſaltem ab intellectu ſeparato, non eſt hujus loci decidere.

QUÆSTIO ULTIMA.

De diviſionibus entis.

INumeræ ſunt entis diviſiones, ſicut & ſpecies: ſed præcipuas, & notabiliores hìc dabimus; &, ſi quæ ſint diſputatione dignæ, examinabimus.

Ens igitur generaliſſimè ſumptum dividitur in *Reale*, cui non repugnat realis exiſtentia in rerum natura, & extra intellectum; & *rationis*, cui repugnat realis exiſtentia extra intellectum; ut Chimera: & quæritur, an hæc diviſio ſit univoci in univocata, quod negavimus ſuprà.

2. Dividitur in *infinitum*, & *finitum*: in *independens*, & *dependens*; *in neceſſarium*, & *contingens*, de quo jam diximus diſp. præced. in *increatum*, & *creatum*; in *imparticipatum*, & *participatum*, in ens *à ſe*, & *ab alio*. Hæ omnes diviſiones in unum tendunt, ſc. priora membrâ deſignant Deum, & poſteriora creaturas. Quæri etiam poteſt, utrum ſit univoci ad univocata; ſive an ens dicatur univocè de Deo, & creatura; quod aſſeruimus ſuprà.

3. In ens *ſimplex*, & *compoſitum*. Primum dicitur, quod non admittit in ſe multa inter ſe hærentia; compoſitum verò è contra, quod ex multis coaleſcit. Sed *ſimplex* dicitur diverſimodè. 1. *ſummè ſimplex dicitur* id, quod non coaleſcit ex partibus nec Phyſicis, quæ ſunt *Res*, & *Res*, nec Metaphyſicis, quæ habent inter ſe rationem *actus*, & *potentiæ*, nec ipſum eſt alteri ſic unibile; & hæc ſimplicitas ſumma ſoli Deo convenit: creaturæ verò omnes ſunt aliquo ex his tribus modis compoſitæ, aut componibiles. 2. *ſimpliciter ſimplex*; & tale dicitur, quidquid non eſt reſolubile in plures conceptus, quorum unus ſit quidditativus, alter qualificativus; & talia ſunt *ens ut ſic*, *modi ejus intrinſeci*, & *proprietates*,

&

Digitized by Google

& *ultimæ differentiæ*, quæ verò ſunt reſolubilia in plures conceptus quidditativos, & qualificativos ſunt compoſita compoſitione oppoſita huic ſimplicitati, & ſic de præcedenti, & dicitur compoſitio Metaphyſica, 3. *ſimplex phyſicum*, quod non eſt conſtans ex re, & re, ſeu ex materia, & forma: talia ſunt accidentia: materia prima, forma ſubſtantialis, anima rationalis, & Angeli: licèt alioqui ſint compoſita Metaphyſicè. 4. *ſimplex purum*: ſc. quod caret mixtione, ut cœlum, & elementa: *compoſitum verò* huic oppoſitum eſt *mixtum*.

4. In ens in actu, & ens in potentia. 1, eſt illud, quod habet actualem exiſtentiam in rerum natura, 2. quod actu non habet exiſtentiam, ſed illam poteſt habere, & de hoc egimus diſput. præced.

5. Ens *per ſe*, & per *accidens*, de quo etiam diximus diſp. præc. q. 3. nec quidquam occurrit addendũ.

6. *Ens unum*, *& multa*, & hæc quoq; diviſio videtur explicata, dùm egimus de unitate entis, quæ eſt ejus proprietas transcendentalis. Hæc autẽ diviſio, inquit Scotus, [1] non eſt propriè per oppoſita: nam ens non opponitur entibus: multitudo enim nihil aliud eſt, quàm multa entia: non enim eſt diviſio propriè per oppoſita... ſed eſt, quaſi diceretur *ens*, aliud *ens*, aliud entia, ſic poteſt dividi unum, & una, ita quòd multa propriè non ſunt ens, ſed entia, & ita quòd non ſit unum, ſed una, *ipſa multitudo*.

7. In abſolutum, & relativum 1. quod non eſt formaliter, & quidditativè ad aliud, ut Deus, ſubſtantia, quantitas, & qualitas. 2. quod eſt formaliter, & quidditativè ad aliud, ut paternitas, & filiatio in divinis: entia quarti, & ſex ultimorum prædicamentorum in creatis, & de his abundè diximus in Logica.

8. In *ſubſtantiam*, & *accidens*, de his etiam *diximus* in Logica ſufficienter.

9. Et denique in ens quantum, & non quantum. 1. eſt, quod dicit ex ſe perfectionem: non enim hic agitur de quantitate molis, ſed de quantitate virtutis, 2. quod ex ſe non dicit nec perfectionem, nec imperfectionem poſitivè, ut dicere ſolemus de relationibus Paternitatis, Filiationis, & Spirationis in Deo, & gravis eſt difficultas inter Philoſophos, an

[1] *L. 4. metaph. q. 2. n. 14.*

Digitized by Google

an hæc diviſio ſit legitima. His ita poſitis, ſit

CONCLUSIO I.

D*Iviſio* [1] *entis in reale, & rationis eſt æquivoci in æquivocata: in infinitum verò, & finitum, independens, & dependens, creatum, & increatum, ſubſtantiam, & accidens, abſolutum, & relativum eſt legitima, & univoci in univocata*, Eſt Doctoris cum ſuis, & aliis.

Probata manet quoad omnes partes ex dictis ſupra, ubi de univocatione entis. Nec placet iis quidquam addere.

CONCLUSIO II.

D*Iviſio entis in actu, & entis in potentia eſt bona, & univoci in univocata*. Eſt Doctoris [2] cum ſuis maxima ex parte.

Prob. ex dicendis diſp. ſeq. Nam *ens poſſibile* participat veram rationem entis per nomen ſignificatam, ſicut *ens actuale*: ergo ens dicitur univocè de utroque. Prob. ant. Ratio ſignificata nomine entis eſt *id, cui non repugnat realis exiſtentia*, ut diximus: Sed hæc deſcriptio, & ratio tàm convenit enti poſſibili, quàm actuali, ergo, &c. Alias probationes tàm ex Scoto, [3] quàm ex ratione adducemus, & objectiones ſolvemus diſp. ſequenti.

CONCLUSIO III.

D*Iviſio entis in per ſe, & per accidens, nec in unum, & multa non eſt vera, & propria univoci in univocata*. Eſt communis.

Prob. ex ratione Scoti allata ſupra. Bona diviſio debet dari per oppoſita; ut ſuppono ex dictis in Logica: ſed ens per accidens non opponitur enti *per ſe*, nec ens *unum*, & *multa* non opponuntur propriè, & verè, ergo nec verè, & propriè dividunt ens. Prob. min. Nam *ens per accidens* dicit aggregatum ex pluribus entibus, uno verbo dicit plura entia, & *ens per ſe*

[1] *Diſp.* 2. q. 1. & 4.
[2] *Lib. 9. metaph. q. 1. & in 1. d. 36.* [3] *Diſp.* 1. q. 2.

ſe dicit unum ens. Idem eſt de *uno*, & *multa*, ergo, &c. non eſt ergo vera oppoſitio.

CONCLUSIO IV.

Diviſio Entis in quantum, & non quantum eſt legitima, & univoca, & quidem immediata. Eſt Doctoris, & ſuorum.

Prob. 1. ex Scoto [1] tota concluſio. *Nam finitum, & infinitum non dividunt ens, niſi ens quantum, quia ſicut ſecundum Philoſophum finitum, & infinitum quantitati congruunt, quod eſt verum de finito, & infinito proprie acceptis: ita etiam, extenſivè loquendo, finitum, & infinitum, ut ſunt paſſiones entis, conveniunt præciſè enti quanto in ſe habenti quantitatem aliquam perfectionalem*, ergo ex Scoto, diviſio entis in quantum, & non quantum non ſolùm eſt bona, & univoca, ſed etiam eſt prima, & immediata; ita ut præcedat eam, qua dividitur in *infinitum*, & *finitum*, & ut notat Lychetus ad marginem hujus loci: [2] *Hæc reſponſio apud Scotiſtas eſt, ut principium.*

Prob. 2. ratione 1. p. Dantur entia realia, quæ ex ſe important perfectionem poſitivam, & alia, quæ ex ſe præciſè non dicunt nec perfectionem poſitivam, nec imperfectionem, ut videbimus in Theologia, & tamen participant veram entis realis rationem, ergo &c.

Prob. 3. quoad 2. p. Quia, quod eſt proximius, & intimius diviſo, priùs, & immediatiùs dividit illud: ſed quantitas virtutis, & non quantitas, ſunt differentiæ proximiores enti reali ut ſic, ergo priùs, & immediatiùs dividunt. Prob. min. Nam, ut dicebatur ex Scoto, prius eſt ens eſſe abſolutè, quàm eſſe tale, vel tale, ergo prius eſt ens eſſe quantum, vel non quantum, quàm eſſe finitum, vel limitatum in quantitate illa.

Objic. 1. In bona diviſione ambo membra debent eſſe poſſibilia: ſed unum membrorum iſtius eſt impoſſibile, ergo, &c. Prob. min. Nullum enim datur ens reale non quantum, ergo, &c. Prob. ant. Implicat dari ens non bonum, quia bonitas eſt paſſio entis adæquata, ergo implicat dari ens non quan-

[1] *Quodlib. 5. BB. n. 26.* [2] *ibid.*

quantum , quia perfectio , & bonitas , ſeu perfectum , ſeu quantum , & bonum idem ſunt .

Reſp. neg. min. 1. argumenti , antec. 2. & diſt. ant. 3. Implicat dari ens non bonum bonitate tranſcendentali , conc. ant. bonitate virtutis , & qualificativa , neg. ant. & conſeq. Triplex enim eſt bonitas, uti diximus . 1. eſt moralis . 2. tranſcendentalis, ſeu entitativa , quæ eſt integritas rei conſtantis omnibus , quæ deſiderantur ad ejus conſtitutionem in ratione entis, & ex qua redditur appetibilis . 3. eſt *virtutis*, ſeu *qualificativa* , quæ eſt perfectio gradualis uniuſcujuſque naturæ, ſecundum quam illa nata eſt eſſe menſura , vel menſurata , excedens, vel exceſſa in ordine ad aliud ; uno verbo , magis , aut minùs perfecta . 1. convenit ſoli creaturæ rationali . 2. convertitur cum omni ente reali . 3. partitur entia realia; nam quibuſdam convenit , quæ ideò dicuntur entia *quanta* . 4. minimè aliis , quia ſunt quædam , quæ dicuntur *non quanta* , ut relationes , vel ſuppoſitalitates divinæ , de quibus in Theologia .

Inſtabis 1. cum Maſtrio, qui licèt in concluſione conveniat nobiſcum , tamen hanc ſolutionem non probat . Illa perfectio gradualis non differt à tranſcendentali , vel ex ea ſequitur , ergo ſi tranſcendentalis non dividit ens , ſed convenit omni enti , ita eſt de iſta .

Reſpondeo neg. ant. Certum enim eſt , aliquas entitates omninò reales in ſuo eſſe perfectas , ſeu bonas bonitate entis , non habere ullam talem bonitatem comparativam , & qualificativam , qua perficiant res , in quibus ſunt , nec ſunt perfectæ , niſi tranſcendentaliter, ut dicemus de relationibus divinis .

Inſt. 2. Omne diviſum recipit aliquam perfectionem à ſuis differentiis diviſivis ; ſed non quantum , ſeu ratio expreſſa per illam negationem perfectionis dividit ens , ergo addit illi aliquam perfectionem . Prob. maj. Nam omnis differentia diviſiva determinat prædicatum , vel entitatem ſuperiorem , & indifferentem ad aliquod genus , vel ſpeciem , v. g. rationale addit gradum perfectionis viventi , ergo *non quantitas* ,

Reſp.

Reſpondeo d. ant. utrumque. Addit perfectionem entitativam eo modo, quo eſt ens, conc. ant. qualificativam & gradualem, n. antec. unde iſte gradus, ſeu modus entis, de quo loquimur, potiùs negat talem perfectionem: ſicut irrationale, ſeu brutalitas importat negationem rationalitatis.

Objc. 2. Ens non quantum dicit imperfectionem in ente, Ergo non eſt differentia vera entis. Prob. ant. Ens dicitur *non quantum*, quia præſcindit ab omni perfectione ex ſe: ſed hoc eſt magna imperfectio: Ergo, &c.

Reſp. n. ant. & min. prob. Eſt enim tantùm imperfectio negativa, quæ non nocet rei, quandoquidem nihil deeſt ex qualitatibus debitis.

Inſt. Illud ens eſt finitum, vel infinitum, ergo & *Quantum*. Ant. patet. Non enim datur medium Prob. conſeq. Quia finitum, & infinitum ſunt differentiæ entis *quanti*, ergo, &c.

Reſpondeo n. ant. Nam eſt tale ens, & nihil aliud, præſcindit ab omni eo, quod eſt extra rationem ejus, vel, ſi vis, erit finitum negativè: quatenùs non importat perfectionem infinitam, nec finitam poſitivè, & ſic negatur etiam ant. prob. Quia, cùm finitum, & infinitum ſint qualitates poſitivæ, datur medium inter illas, ſc. non *finitum poſitivè*, nec infinitum poſitivè.

Reſp. 2. d. ant. Eſt finitum, vel infinitum, vel in ſe entitativè, & formaliter, vel in alio realiter, & identicè, conc. ant. in ſe formaliter, n. ant. & conſ. Nam ſufficit, ut denominationes illas habeat à re, in qua eſt identificatum.

Objic. 3. Paternitas in Deo, verbi gratia, eſt formaliter vera, Ergo & bona, ergo & quanta. [1] Prob. antec. ex Scoto. Quia bonum *uno modo convertitur cum ente, & iſto modo bonum poteſt poni in omni genere*.

Reſpon. eſſe bonam, ſicut & veram, ſc. bonitate tranſcendentali entis, non autem bonitate virtutis, ac perfectionis, ſaltem præcisè ab eſſentia, cui realiter identificatur, & à qua participat per identitatem infinitam perfectionem.

Inſt. Relatio creata dicit perfectionem, ergo à fortiori increata.

[1] *1. d. 1. q. 2. n. 12.*

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondeo neg. conſeq. Eſt enim diverſa ratio de relationibus divinis, ac de creatis, divinæ ſunt ultimæ differentiæ conſtitutivæ perſonarum, & ideò repugnat illis ex ratione ſua particulari, quòd ſint quantæ, non ita eſt de creatis. Sed de his in Theologia.

Objic. 4. contra 2. p. Ens immediatè dividitur in Deum, & creaturam, ergo diviſio ejus in quantum, & non quantum non eſt immediata.

Reſpond. neg. conſeq. Nam prædicatum ſuperius dividi poteſt in ſua inferiora, vel 1. per ſuas differentias eſsentiales, aut quidditates, ut ſi animal dividas per *hominem*, & *brutum*, vel per *rationale*, & *irrationale*, vel 2. per paſſiones ſuas, ut ſi dividas ens in *unum*, & *multa*, & *animal* in *riſibile*, & in *hinnibile*, vel 3. per modos ſuos intrinſecos, & hoc modo ens dividitur immediatè in *quantum*, & *non quantum*.

Inſtabis. Si per modos intrinſecos dividatur ens, deberet prius dividi per finitum, & infinitum, ergo iſta non eſt immediata, ne quoad modos quidem intrinſecos. Prob. antec. Plus enim diſtant *finitum*, & *infinitum*, quàm *quantum*, & *non quantum*, ergo illa prius dividunt, quàm iſta.

Reſpondeo neg. antecedens utrumque. Nam finitum, & infinitum continentur ſub *quanto*, & *non quanto*.

DISPUTATIO V.

De ſtatibus entis, ſeu de eſſentia, & exiſtentia, & individuatione.

TRiplex eſt eſse rerum; eſse eſsentiæ, exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ, de duobus primis agimus hac diſputatione, & de ſingularitate, ſeu de principio individuationis; de ſubſiſtentia in ſequenti dicemus,

QUÆSTIO I.

Quid ſit eſſentia, & exiſtentia.

ESſentiæ nomen eſt abſtractum quoddam ab *ente*, ſeu *eſſe*, & eſt ratio eſsendi ſecundum etymologiam grammaticalem vocis, & idem ſonat, quod *entitas*, ſicut *ſapientia* dicitur à *ſapere*, quod colligit Doct. [1] ex S. Aug. *quod eſt ſapientiæ ſapere, & juſtitiæ juſtum eſſe, hoc eſt eſſentiæ ipſum eſſe*, ſolet etiam appellari *natura*, *quidditas*, *ſubſtantia*. (Latè tamen, quatenus ipſa eſt prima ratio eſſendi, non autem prout opponitur accidenti) *entitas*, & *ratio formalis*. Magis propriè ſumitur ab aliis pro combinatione, ſeu collectione omnium prædicatorum ad primum modum dicendi per ſe ſpectantium, quibus unumquodque in ſuo eſſe quidditativo conſtituitur, & ad certum gradum entis determinatur, ita ut ab omni alio ſecernatur. In hoc ſenſu *eſsentię nomen* convenit non ſolùm omni *enti reali*, ſed etiam *rationis*; iſtud enim habet ſuo modo combinationem ſuorum prædicatorum, quibus in ſuo eſſe quidditativo conſtituitur.

Exiſtentia, juxta etymologiam nominis, eſt velut *extra ſiſtentia*, quia non ſiſtit extra nihil ſui: nam res, præciſa exiſtentia, eſt actu nihil: ſiſtit res extra ſuas cauſas, in quarum virtute reſidebat: ſiſtit extra potentialitatem eſſendi, ſeu extra ordinem entium potentialium, & ſiſtitur in ordine actualium; & hoc ſenſu poteſt quidem explicari grammaticaliter exiſtentia creata, non verò divina, quia hæc non ponit Deum extra ullas cauſas, nec potentialitatem ullam, ſaltem Phyſicam, vel Metaphyſicam, ſed, ad ſummum, Logicam, quæ conſiſtit in pura non repugnantia ad exiſtendum.

CONCLUSIO I.

LIcèt eſſentia non poſſit definiri à priori, ſufficienter tamen deſcribitur prima ratio eſſendi ſimpliciter. Eit Doctoris, & in re eſt communis,

Prob.

[1] *Quodl. 1. a. 1. n. 3.*

Digitized by Google

Prob. 1. ex Scoto [1]. Nam ſi ſic deſcribit illam entitatem realem, quæ dicitur eſſentia in Deo, cùm ſit 1. *ratio eſſendi ſimpliciter*, hinc enim ſequitur 1. quòd non poſſit definiri à priori: nihil enim habet, quòd ſit prius, per quod poſſit explicari, ſequitur 2. ſufficienter haberi notitiam talis entitatis; nam per eſſentiam omnes intelligunt rationem radicalem eſſendi cujuſcumque rei.

Prob. 2. Nam ſecundum hujus nominis communem intelligẽtiam non poteſt meliùs deſcribi, prout excludit entia ficta, & puræ rationis, quæ non habent rationem eſſendi ſimpliciter, ſed purè objectivè. Quod enim deſcribitur ab aliquibus, *integra cujusque rei natura*, certè eò reducitur, *ut ſit primum principium eſſendi*, quod ab aliis dicitur *primum*, *& radicale, ac intimum principium omnium actionum, & proprietatum, quæ rei conveniunt*: eſt remotius: nam prius eſt eſſe, quàm principiare. Quod ab aliis dicitur *eſſe id, quod per definitionem rei explicatur*, eſt etiam verum: ſed hęc deſcriptio eſt longè exterior, ſicut & cùm dicitur eſſe *id, quod primum concipitur in re*; imo & hæc deſcriptio eſt longè imperfectior; nam, quod primùm concipitur in re; non eſt ſemper de eſſentia, imò rerum cognitionem ſæpè incipimus ab extrinſecis. Quod ab aliis dicitur *prima ratio, qua res in tali ſpecie, vel gradu entis conſtituitur, & ab aliis diſtinguitur*, in noſtram reducitur, quia id totum importat prima ratio eſsendi ſimpliciter, & ſic de cæteris, ergo hæc deſcriptio eſt ſufficiens.

Dicitur autem 1. *quidditas*, quia per eam reſpondetur ad quæſtionem, *quid eſt res?* 2. *natura*, quia eſt principium operationum, & proprietatum. 3. *ſubſtantia*, in latiori ſignificatione, quatenus per ſe ſtat, & ſubſtat omnibus, quæ rei tribuuntur. 4. *ratio formalis*, ſeu conceptus formalis, quia eſt cauſa, & ratio, cur res eſt talis formalitatis. 5. denique *entitas*, quaſi ratio, ſeu *natura* entis, ſed completè; nam, ut diximus ſuperiori diſput. *entitas* incompleta quaſi diminutivum eſt, & portio quædam entis, non autem ratio ejus.

Sicut autem entia rationis non ſunt propriè entia; ſed

[1] *ibid.*

Digitized by Google

ſed ad modum entium concepta, ſic & eſsentiam propriè non habent, ſed fictam, ideò eſsentiæ nomen propriè ſolis entibus realibus convenit.

Eſsentia autem realis dicitur (ſicut de ente reali diximus) ea, vel quæ de facto exiſtit, vel cui non repugnat exiſtere, aut quæ eſt principium, & radix operationum, vel effectuum realium: prior explicatio eſt velut à priori, 2. eſt à poſteriori.

Porrò eſsentia dividi ſolet in *actualem*, quæ de facto eſt in rerum natura: *potentialem*, ſeu *poſſibilem*, quæ de facto non exiſtit, ſed poteſt exiſtere: *ſubſtantialem*, quę dicitur de ſubſtantiis tantùm: *accidentalem*, quæ dicitur de accidentibus: *ſimplicem*, quæ nullam admittit compoſitionem, ut eſsentia divina; & *compoſitam*, quæ admittit compoſitionem; ut eſsentia hominis, quæ ex animalitate, & rationalitate coaleſcit Metaphyſicè; vel ex anima, & corpore Phyſicè.

CONCLUSIO II.

E*Xiſtentia eſt ratio formalis, qua eſsentia conſtituitur in actu, ſeu extra ſuas cauſas, ſeu extra nihil*. Ita communiter.

Prob. 1. ex Scoto, [1] & Philoſopho, *Eſt autem actu exiſtere rem; non ita, ſicut de potentia dicimus; actus enim, & potentia dupliciter dicuntur*, inquit Doctor, 1. *modo dicuntur Metaphyſicè, ita quòd actus dicit actum eſſendi, ſive exiſtendi, cui opponitur potentia objectiva*, ergo exiſtentia eſt formalis ratio, qua res ponitur in actu, ſeu extra ſuas cauſas; nam talis eſt actus oppoſitus potentiæ objectivæ.

Probatur 2. Nam ex omnium ſenſu, rem exiſtere nihil aliud eſt, quàm actu eſse, cùm anteà eſſet tantùm in potentia; exiſtentia enim dicitur actus, quia reſpondet, & opponitur potentiæ objectivæ, ergo, &c.

Hinc colligis 1. exiſtentiā eſse *quid reale, & intrinſecum rei*, quam actuat. *Reale*, inquam, quia exercet effectum verè realem, dum conſtituit rem extra ſuas cauſas à parte rei, & nemine cogitante In-

[1] *Lib. 9. metaph. t. 11. Scotus ibid. n. 24.*

Digitized by Google

Intrinſecum autem, quia id præſtat per modum cauſæ formalis, ſc. per ſuimet exhibitionem rei, quam facit exiſtere.

Colligis 2. eam eſſe quendam veluti actum, ſeu formam eſſentiæ; quia illam actuat; exiſtere enim eſt actu eſſe, cùm ante exiſtentiam non eſſet, niſi poſsibilis, & in potentia objectiva. Eſt actus *ultimus*, & *primus* rei. *Ultimus* quidem, quia ſupponit eſſentiam completam in toto ſuo eſſe eſſentiali, non quidem reali, ſed objectivo; & ſic advenit illi conſtitutæ ex omnibus ſuis prædicatis eſſentialibus. *Primus* autem in eſſe realitatis, & operationis, quatenus per eum primò ponitur in eſſe reali, & eſt primus reſpectu operationum, & accidentalium attributorum, quæ omnia adveniunt poſt exiſtentiam.

Colligis 3. exiſtentiam eſſe extra eſſentiam rei, non verò prædicatum ejus quidditativum, ſaltem in creatis; nam ſolius Dei eſſentiam ingreditur; quippe qui ſolus ex vi ſuæ eſſentiæ exiſtit: cæteris verò omnibus exiſtentia eſt contingens, & illis convenit per actionem Creatoris, vel agentium, à quibus producuntur.

Colligis denique, illam importare quid poſitivum, & reale; alioqui enim non conſtitueret res extra ſuas cauſas, & de potentia objectiva in actum. Jam videndum, quomodò diſtinguatur ab eſſentia, & quid addat ſupra illam.

QUÆSTIO II.

Quid addat exiſtentia ſupra eſſentiam, & quomodò ab ea diſtinguatur.

SUppoſito, quòd exiſtentia ſit quid poſitivum, reale, & intrinſecum rei, ad quam habet ſe per modum actus, ſed contingentis: quæritur, quid ſit illud: an accidens eſſentiis rerum inhærens inſeparabiliter; an modus quidam intrinſecus; & quomodò ab ea diſtinguatur.

Digitized by Google

CONCLUSIO I.

Exiſtentia non eſt accidens proprium, nec commune reſpectu eſſentiæ, ſed modus quidam intrinſecus. Eſt Doctoris, & ſuorum, & aliorum.

Pr. 1. ex Scoto. [1] *Hic homo* abſtrahit ab exiſtentia, *ſicut homo, hic tamen homo exiſtens non eſt ens per accidens, tanquam aliquid compoſitum ex rebus diverſorum generum; ſed exiſtentia formaliter eſt extra rationem eſſentialem illius hominis, & totius coordinationis in genere ſubſtantiæ, & pro tanto dicitur exiſtentia ſibi eſſe accidens*, ergo, ex Scoto, exiſtentia nõ eſt accidẽs reſpectu eſſentiæ, nec commune nec proprium, ſed intantum dicitur *accidentalis* eſſentiæ, inquantum non eſt de intrinſeca ratione. Sequitur etiam, quod eſt aliquid eſſentiæ ſuperadditum, quandoquidem eſt extra rationem formalem, ſeu eſſentialem rei.

Quod confirmatur, & ſimul probatur eſſe modum rei intrinſecum; quia eſt inſeparabilis: *nam dici poteſt, quod eſſentia, & ejus exiſtentia in creaturis ſe habent, ſicut quidditas, & modus, & ideò diſtinguuntur*, &, licèt hæc verba ponantur in textu inter additiones, tamen hanc eſſe mentem Doctoris exiſtimant omnes ejus diſcipuli, ut patet ex commentatore iſtiuſmet textus. Item *eſſe*, ſeu exiſtentia *eſt idem realiter cum eſſentia, non progrediens, ſeu non fluens ab eſſentia*, ergo non eſt accidens proprium; nam proprietates fluunt, ſeu *progrediuntur* ab eſſentia.

Probatur 2. *per partes, & 1. de accidente communi*, ſeu *prædicamentali*. Nam illud advenit enti jam exiſtenti in actu, & diſtinguitur realiter à ſubjecto, à quo ſubſtentatur, & dependet, tanquam à cauſa materiali, & dicitur adeſſe, & abeſſe ſine ſubjecti corruptione: ſed nullum ex his convenire poteſt exiſtentiæ, ergo exiſtentia non eſt accidens commune eſſentiæ. Prob. min. Nam primò exiſtentia non ſupponit, ſed ponit rem in actu, & facit exiſtentem; non dependet ab eſſentia in illo genere cauſæ, quia prius eſt exiſtere, quàm cauſare; deni-

[1] *Repor. in 4. d. 23. q. un. n. 13.*

Digitized by Google

denique exiſtentia non poteſt adeſſe ſine eſſentiæ productione, nec abeſſe ſine ejus deſtructione, ergo, &c.

Prob. *quoad accidens proprium*. Nam exiſtentia divagatur per omnia entium genera, ergo non eſt accidens proprium ulli generi particulari.

Confirm. Quia emanatio proprietatis ab eſſentia ſupponit illam in eſſe reali actuali, & completo: ſed nullum eſſe reale actuale, & completum competit eſſentiæ, antequam exiſtat, ergo exiſtentia non eſt proprietas eſſentiæ.

Dices, hanc rationem non valere. Nam riſibilitas in homine fluit ab ejus eſſentia, præſcindendo ab exiſtentia; & neceſſariò convenit eſſentiæ; exiſtentia verò contingenter.

Sed contra. Nam, licèt eſſentia cum ſuis paſſionibus præſcindat ab actuali exiſtentia, non tamen ab aptitudinali, quod ſic probo ex Ariſtotele. De omni objecto priùs quæritur, aut præſupponitur, an ſit, quàm quale ſit, ergo exiſtentia præſupponitur proprietatibus.

Confirm. Nam hæ cauſales verę ſunt: *homo eſt riſibilis actu, quia eſt actu*, & iſta: *homo eſt riſibilis aptitudine, quia poteſt eſſe, ſeu exiſtere*, & è contra iſtæ non ſunt veræ: *homo exiſtit, quia eſt riſibilis*, ergo exiſtentia realis, aut aptitudinalis, reſpectivè, prior eſt quacumque proprietate eſſentiæ.

Prob. 3. p. Modus intrinſecus eſt entitas realis, quæ non variat rem, ſed modificat illam, eſtque inſeparabilis ab ea, & quaſi eam complet: ſed talis eſt exiſtentia reſpectu eſſentiæ, ergo eſt modus ejus intrinſecus. Prob. min. Non enim conſtituit, ut pars eſſentiæ materialis, ſeu generica, nec formalis, ſeu differentia conſtitutiva, eſt enim extra eſſentiam, ergo, &c.

Objic. 1. Exiſtentia, ex Scoto, dicitur accidens ſubſtantiæ [1] ergo, &c.

Reſp, nos jam monuiſſe, quo ſenſu Scotus id dixerit, ſc. prout illud dicitur accidens alicui, quod eſt extra rationem ejus formalem, ſeu eſſentiam, non autem in rigore, prout accidens ſignificat ens natum inhærere, &c. unde diſtinctio rei per exiſtentiam *eſt*

[1] *in* 1. *d*. 2. *q*. 11. *n*. 1. *in* 2. *d*. 3. *q*. 4. *C*.

aliquo modo accidentalis, licèt non ſit verè accidentalis.

Objic. Exiſtentia eſt actus eſsentię, ergo eſt actus eſſentialis, vel accidentalis, non eſsentialis, ut fatemur, ergo accidentalis.

Reſp. diſt. ant. Eſt actus Metaphyſicus, & modalis conc. ant. actus Phyſicus, & informans neg. ant. & conſeq. Eſt quidem actus totalis, per quem tota res extrahitur ex eſse objectivo, & potentiali, & ponitur in eſse actuali, & extra cauſas ſuas.

Inſt. Exiſtentia advenit eſsentiæ totali, & in ſe completæ, & de illa prędicatur contingenter: ſed, quod advenit enti totali, & in ſe completo, eſt accidentale, ergo &c.

Reſp. diſt min. Eſt accidentale, ideſt, extraneum eſsentiæ, & quidditati rei, conc. min. accidentale in rigore, & prout accidens dicitur id, quod aptum eſt inhærere, & diſtinguitur realiter à ſubjecto inhæſionis, neg. min. Exiſtentia igitur dicitur accidentalis reſpectu creaturæ, non ſolùm quia non eſt de quidditate rei exiſtentis, ſed etiam quia contingens eſt in ſe, dico, *in ſe*, non enim eſt propriè contingens reſpectu eſsentiæ, quia, ut videbimus brevi, eſsentia nihil eſt ſine exiſtentia, nec poteſt ab ea ſeparari.

Inſt. 1. Exiſtentia creata adeſt, & abeſt ſine eſſentiæ corruptione, ergo eſt illi propriè accidentalis. Prob. ant. Nam ante exiſtentiam, & deſtructa exiſtentia eſſentia hominis eſt ſemper eadem, ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & diſt. rationem ejus. Eadem eſſentia in potentia objectiva, & in eſſe diminuto, conc. ant. in eſſe actuali, & reali, neg. ant. & conſeq. Igitur falſum eſt exiſtentiam advenire eſſentiæ conſtitutæ in ſuo eſſe completo reali, vel actuali, & eſſentiam in eodem eſſe reali, & actuali permanere, exiſtentia ceſſante, imò effectus ejus formalis eſt conſtituere eſſentiam in tali eſſe, & hoc ipſo, quòd perit, recidit & eſſentia in nihilum reale.

Objic. 2. Exiſtentia eſt ipſa rei duratio: ſed duratio eſt accidens de prædicamento *Quantitatis*, aut *Quandò*, ergo eſt accidens. Prob. maj. Idem enim eſt rem exiſtere, & durare.

Reſp. neg. maj. Nam duratio ſupponit exiſtentiam; prius

Digitized by Google

prius eſt enim rem eſſe in rerum natura, quàm coexiſtere tempori, & permanere in eſſe.

Reſp. 2. neg. min. Nam ſi duratio, & exiſtentia ſunt formaliter idem, duratio ſubſtantialis identificatur cum ſubſtantia, & eſt quid ſubſtantiæ, ſeu ſubſtantiale, & duratio accidentis eſt quid accidentale.

Inſt. 1. Exiſtentia ſubſtantiæ non eſt ſubſtantia, ergo eſt accidens. Prob. ant. Si eſset ſubſtantia, eſset vel materia, vel forma, vel totum ſubſtantiale, ſed nullum horum dici poteſt, ergo non eſt ſubſtantia.

Reſp. diſt. ant. Non eſt ſubſtantia formaliter, & in recto, conc. ant. identicè, & in obliquo, neg. ant. & conſeq. Nam eſt materia, & forma, & totum identicè, ſc. modus intrinſecus realiter illi identificatus, à quo habet eſſe reale actuale.

Inſt. 2. Si exiſtentia ſubſtantiæ eſset quid ſubſtantiale, poneretur in prædicamento ſubſtantiæ(& idem eſt de accidentali) ſed non ponitur in prędicamento, ergo, &c. Prob. min. Res prædicamentales præſcindunt ab exiſtentia.

Reſp. diſt. maj. Poneretur in prædicamento reductivè, & indirectè, conc. maj. & n. min. directè, & per ſe, neg. mai. Cùm enim identificetur rebus, quæ ponuntur in prædicamento, reducitur ad prædicamenta ipſarummet rerum, quas conſtituit in eſſe.

CONCLUSIO II.

E*Xiſtentia non diſtinguitur ab eſſentia realiter; nec ſola ratione*. Eſt Doct. & ſuorum contra Thomiſtas, qui diſtinctionem realem aſserunt, & alios, qui ſolam diſtinctionem rationis admittunt.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam eſse eſsentiæ, & exiſtentiæ ita ſe habent, ut *unum ſine altero non ſit, qualitercumque diſtinguantur*, ergo jam habemus, illa duo *eſſe* diſtingui, ſed non realiter; & id contendit tota illa quæſtione, ut probet, quòd *eſſe* reale eſſentiæ eſt inſeparabile ab *eſſe* exiſtentiæ. *Item falſum eſt, quòd eſſe* (id eſt exiſtere) *ſit aliud ab*

[1] *In 1. d. 36. q. un. n. 11.*

eſſentia, & dico, quod, ſi eſſe ſit aliud ab eſſentia ... prius intelligitur compoſitum eſſe per ſe ens, & perfectum, quàm eſſe ſibi ſuperveniat. .. & in illo priori, in quo intelligitur aliquid eſſe perfectum in ſe, intelligitur poſſe habere propriam operationem .... ergo principium operationis præcedit eſſe, ſi eſſe ſit aliud ab eſſentia, & ita potentia eſt propinquior eſſentiæ, quàm eſſe, quod eſt contra rationem, & contra veritatem. Ergo, ex Scoto, abſurdum eſt diſtinguere realiter eſſe eſſentię ab eſſe exiſtentiæ, & clariſſimè dum ait: *tenendo tamen (quod credo magis verum) quòd eſſe non differt realiter ab eſſentia.*

Prob. 2. ratione, & quidem 1. p. quòd non diſtinguatur realiter. 1. exiſtentia eſt id, quo ponitur res extra ſuas cauſas: ſed res ponitur extra ſuas cauſas per eſſentiam ſuam actualem, ergo eſſentia non diſtinguitur realiter ab exiſtentia actuali. Prob. min. Res poni extra ſuas cauſas eſt eas extrahi ex nihilo eſſentiæ, ergo ponuntur extra ſuas cauſas per eſſentiam actualem.

Dices. Ponuntur extra nihilum eſsentiæ per eſſentiam actualem, non verò extra nihilum exiſtentiæ, niſi per exiſtentiam.

Contra. Rem extrahi ex nihilo eſſentiæ eſt extrahi ex ſtatu poſſibilitatis, vel non: ſi primum, ergo exiſtit in rerum natura, & extra ſuas cauſas (quod vocamus exiſtere) ſi ſecundum, ergo non exiſtit extra ſuas cauſas.

Probatur 2. Quia, ſi eſſet aliqua ratio diſtinguendi realiter exiſtentiam ab eſsentia actuali, maximè quia eſſentia non ſemper exiſtit: ſed illa ratio non valet, ergo, &c. Major continet præcipuum fundamentum adverſariorum. Prob. min. Nam exiſtentia ipſa non ſemper exiſtit, ergo, ſi ratio illa valeret pro eſſentia, valeret etiam pro exiſtentia, & ſic, quando de facto eſt, deberet exiſtere per aliam exiſtentiam diſtinctam realiter, & ſic daretur proceſſus in infinitum.

Dices, id non ſequi de exiſtentia, quia hæc eſt ipſamet formalis ratio exiſtendi, & ſicut non datur unio unionis, ita nec exiſtentia exiſtentiæ.

Contra. Per te, ratio diſtinguendi exiſtentiam ab eſſentia eſt, quia hæc non ſemper exiſtit, hinc

enim

enim arguitur ſeparabilitas, ergo, ſi concedis, exiſtentiam non ſemper exiſtere, debes etiam diſtinguere exiſtentiam ab exiſtentia, unde, ſi poſſet concipi unio non ſemper uniens, ſed ut indifferens ad uniendum actu, idem eſſet ac de exiſtentia, quæ concipitur indifferens ad exiſtendum.

Probatur 3. communi axiomate non multiplicandi entia ſine neceſſitate. Nulla enim apparet neceſſitas diſtinguendi realiter eſsentiam ab exiſtentia, ergo, &c. Probatur antecedens ex ſolutione rationum, quibus adſtruitur illa diſtinctio.

Prob. 4. Eſsentia, prout diſtincta ab exiſtentia, eſt quid reale dependens, vel independens, productum, vel improductum à Deo, ſed neutrum dici poteſt, ergo, &c. Patet maj. Omne enim ens reale eſt dependens, vel independens, productum, vel improductum, nec datur medium. Prob. min. Nam, ſi eſt improducta, & independens, eſt Deus, ſi producta, & dependens, ergo & exiſtens, quia eſt extra ſuas cauſas.

Dices. Eſt producta, & exiſtens inchoativè, non verò completè; iſtud enim advenit eſsentiæ per exiſtentiam.

Contra. Non poteſt poni extra ſuas cauſas, & exiſtens, niſi ſecundum ſuam entitatem, ergo completè; non enim eſt diviſibilis.

Probatur denique. Diſtinctio realis exigit extrema realiter exiſtentia: ſed talis non eſt eſsentia reſpectu exiſtentiæ, ergo non diſtinguitur realiter ab illa. Major patet ex dictis ſupra de diſtinctione reali. Probatur minor. Nam eſsentia non exiſtit ſine exiſtentia, ergo reſpectu exiſtentiæ, & præcisè ab illa non eſt extremum realiter exiſtens. Plures alias rationes vide apud auctores.

Prob. 1. p. 2. ex argumentis, quibus nititur opinio Thomiſtarum. Nam ſaltem probant majorem diſtinctionem, quàm ſolius rationis, ergo, &c.

Prob. 2. Exiſtentia magis diſtinguitur ab eſsentia creata, quàm à divina: ſed ab hac diſtinguitur ſaltem ratione, ergo in creatis diſtinguitur pluſquam ratione. Prob. maj. Nam in creatis exiſtentia eſt extra ra-

Digitized by Google

tionem eſſentiæ, ſeu quidditatis, in Deo verò eſt de quidditate, in creatis eſt contingens, in Deo eſt neceſſaria, &c. ergo &c.

Prob. denique per concluſionem ſequentem, ubi ſtatuimus diſtinctionem formalem ex natura rei.

Objic. 1. Eadem res non poteſt eſse ſimul dependens, & independens: neceſsaria, & contingens; æterna, & temporalis, &c. ſed talia prædicata oppoſita conveniunt eſsentiæ, & exiſtentiæ, ergo ſunt res diſtinctæ. Prob. min. Eſsentiæ rerum ſunt neceſsariæ, incorruptibiles, independentes, & æternę; exiſtentia verò eſt contingens, dependens, temporalis, &c. ergo, &c.

Reſp. neg. min. abſolutè, & ant. prob. Nam eſsentia actualis, & realis tam eſt dependens, & corruptibilis, & contingens, quàm exiſtentia, quandoquidem non eſt actualis, nec realis, niſi per exiſtentiam. Abſtractivè quidem illa prædicata tribuuntur eſsentię præciſè ab exiſtentia, ſed ad hoc ſufficit diſtinctio formalis ex natura rei.

Objic. 2. Subjectum, ſeu recipiens, & forma, ſeu receptum, diſtinguuntur realiter: ſed eſsentia ſe habet ad exiſtentiam, ut ſubjectum, & recipiens, & exiſtentia, ut forma, ergo diſtinguuntur realiter. Prob. min. Nam eſsentia creaturæ recipit exiſtentiam à Deo, alioqui haberet eam à ſe; eſset Deus, & independens, ergo, &c.

Reſpondeo neg. min. Nam, licèt eſsentia creata recipiat eſse à Deo, non tamen recipit illud, ut forma, nec ſe habet ad illud per modum veri ſubjecti, ſed per modum termini creati, ſeu producti.

Inſt. 1. Creatura eſset ſuum exiſtere: ſed hoc convenit ſoli Deo, ergo &c.

Reſp. diſt. ſeq. Suum exiſtere, id. exiſteret per exiſtentiam ſibi identificatam realiter, conc. ſeq. exiſteret independenter ab alio, & exiſtentia eſset de illius quidditate, neg. ſeq. Deus ergo exiſtit per eſsentiam ſuam, & à ſeipſo; creatura verò dependenter à Deo, & per exiſtentiam, quæ eſt extra quidditatem ejus.

Inſt. 2. Si exiſtentia identificetur eſsentiæ, & ita ſit verum, quòd eſsentia creata eſt ſuum eſse identicè,

ſem-

Digitized by Google

ſemper erit neceſſariò, ergo nulla ſolutio. Prob. ſeq. Quod identificatur eſſentiæ rei, convenit neceſſariò, & per eſſentiam: ſed exiſtentia identificatur eſſentiæ creaturarum, ergo convenit illi per eſſentiam.

Reſpondeo n. ſeq. & d. maj. prob. Convenit neceſſariò, id. intrinſecè, & immediatè ratione eſſentiæ, & entitatis propriæ, conc. maj. convenit neceſſariò quaſi eſſentia illa de ſe, & neceſſario, & independenter ab ulla cauſa extrinſeca habeat eſſe actuale, & reale aliquod, in quo illud ſic exigat, n. maj. Suppoſita entitate reali, & eſſe actuali eſſentiæ, habet quidem exiſtentiam ſibi identificatam, & inſeparabilem: ſed nihil eſt reale, nec ullus eſt ſtatus realis eſſentiæ independens à Deo, in quo exigat exiſtentiam.

Inſt. 3. In tantum creatura differt à Deo, in quantum Deus eſt eſſe imparticipatum, creatura verò participatum: ſed participans & participatum diſtinguuntur realiter, ergo eſſentia creaturæ diſtinguitur realiter ab eſſe ſuæ exiſtentiæ.

Reſp. d. maj. Quatenùs eſſe *imparticipatum* ſignificat eſſe à ſe, & independens ab ulla cauſa; & *participatum* ſignificat eſſe ab alio, & dependens à cauſa extrinſeca, conc. maj. quatenus ſignificat eſſe exiſtentiæ diſtinctum, vel indiſtinctum realiter, n. maj. Neque enim in hoc conſiſtit differentia exiſtentiæ Dei ab exiſtentia creaturæ, ſed in independentia illa.

Inſt. 4. Saltem in hoc conſiſtit, quòd in Deo non ſit compoſitio ex eſſentia, & exiſtentia propter ejus ſimplicitatem, ſicut in creatura: ſed hæc compoſitio ceſſaret in creatura, niſi exiſtentia, & eſſentia ejus diſtinguerentur realiter, ergo diſtinguuntur.

Reſp. n. min. Nam, licèt ex identitate reali eſſentiæ creatæ cum hac exiſtentia ſua impediretur compoſitio realis, & phyſica ex illis, adhuc infinitè perfectior eſſet ſimplicitas Dei ſupra creaturam: nam iſta eſt aliunde compoſita, & phyſicè, ut creaturæ materiales completæ, & [1] Metaphyſicè, ſc. ex genere, & differentia, ut eſſentiæ, & creaturæ ſpirituales, v.g. Angeli, & eſſent componibiles cum aliis, ut docet Scotus. At etiam exiſtentiæ identitas in crea-

[1] 1. d. 8. q. 2. A. n. 1.

Digitized by Google

creaturis eſt longè minor, & ideò facit cum eſſentia compoſitionem majorem, quàm in Deo, in quo eſt de eſſentia ejus.

Objic. contra 2. part. ex Scoto. Eſſentia, & exiſtentia non diſtinguuntur, niſi ratione: [1] *dico loquendo de eſſe actuali exiſtentiæ in re extra cauſam, & extra intellectum, vel non eſt res ſine actuali exiſtentia, vel non differt exiſtentia à re extra cauſam ſuam, niſi ſola ratione*, & iterùm *certum eſt de eſſe eſſentiæ, quod tantùm differt ab eſſentia in modo concipiendi*, &c. ergo, ex Scoto, eſſentia, & exiſtentia non diſtinguuntur formaliter ex natura rei, ſed ſola ratione ratiocinata.

Reſp. n. ant. ſc. ex Scoto eſſentiam, & exiſtentiam non diſtingui, niſi ratione, aut in modo concipiendi: nam, ſi benè attendatur 1. locus, agit de *eſſe actualis exiſtentię*, & de *re extra cauſam*, & hoc ſenſu rectè dicit, quòd *exiſtentia non difert* à *re extra ſuam cauſam*, ſc. rem exiſtere, & rem eſſe extra cauſam ſuam idem ſunt. Similiter in 2. *eſſe eſſentiæ*, & eſſentia pro eodem ſumuntur: nec differunt, niſi penes modum *concipiendi*, quatenùs *eſſe eſſentiæ* concipitur, & exprimitur concretivè, & eſſentia dicitur à verbo *eſſe*, ſicut *ſapientia* à verbo *ſapere*, & ita explicant illum diſcipuli, & Commentatores.

CONCLUSIO III.

Eſſentia, & exiſtentia creata diſtinguuntur formaliter ex natura rei. Eſt Doctoris, & ſuorum.

Prob. ex Doct. [2] & per textus, in quibus exiſtentiam diſtinguit ab eſſentia, velut modum ejus. 1. *Dici poteſt, quòd eſſentia, & ejus exiſtentia in creatis ſe habeat, ſicut quidditas, & modus, & ideò diſtinguuntur*, ſc. ex natura rei, ſicut in reliquis 2. quia, *ſicut invenitur ſupremum in genere pręciſè conſiderando illud ſub ratione eſsentiæ, & inveniuntur genera intermedia, ſpecies, & differentiæ: ita invenitur etiam infimum, ideſt ſingulare abſque omni exiſtentia actuali, quod patet evidenter quia hic homo non plus includit formaliter exiſtentiam actua-*

[1] *Report. in 4. diſt. 6. qu. 7.*
[2] *Quodlib. 1. n. 1. B. in addit. n. 4.*

Digitized by Google

æqualem, *quàm homo*, ergo, ex Scoto, eſſentia generica, ſpecifica, & individualis præſcindunt ab exiſtentia actuali, & illam non includunt formaliter, ergo ab ea diſtinguuntur formaliter.

Prob. 2. *ratione*. Adſunt enim omnia ſigna, & fundamenta, quæ arguunt diſtinctionem formalem ex natura rei, ergo, &c. Prob. ant. 1. enim à parte rei verificantur de eſſentia, & exiſtentia creata prædicata contradictoria, v.g. eſſentia eſt quidditas rei, exiſtentia non eſt quidditas, nec de quidditate: eſſentia ponitur directè in prædicamento, exiſtentia non ponitur: in eſſentia fundantur propoſitiones neceſſariæ: in exiſtentia contingentes, ergo, &c.

Confirm. Quia, ut dicebamus ex Scoto, humanitas Petri v.g. non includit in ſuo conceptu formali, & quidditativo exiſtentiam actualem, ergo eſt de ſe, & à parte rei conceptibilis ſine illa, ergo diſtinguitur formaliter ab illa.

Dices. Exiſtentia non poteſt concipi ſine eſſentia, ergo non diſtinguitur ab ea.

Contra. Nam inde quidem arguitur, hanc diſtinctionem non eſſe mutuam, & perfectam, ſicut in multis aliis entitatibus: ſed ſufficit, quòd ſit modalis, & non mutua in ſuo genere. Modi intrinſeci non poſſunt concipi ſine re, cujus ſunt, propter minimam eorum entitatem: at res poteſt concipi ſine illis, & hoc ſufficit ad diſtinctionem formalem.

Objic. 1. Hæc diſtinctio inducit proceſſum infinitum in formalitatibus eſſentiæ, & exiſtentiæ, non minùs, quàm diſtinctio realis, ergo malè aſſeritur. Prob. ant. Sicut eſſentia objectiva, & poſſibilis præſcindit ab actuali, ita & exiſtentia: ſed ob præciſionem eſſentiæ objectivæ, ſeu poſſibilis ab actuali ponitur formalitas exiſtentię diſtinctæ, quæ dat actualitatem, ergo ita erit de exiſtentia objectiva, cui advenit actualitas, & ſic de iſta actualitate idem dicitur.

Reſp. n. ant. & maj. prob. & diſparitas eſt, quia, ſuppoſita diſtinctione reali inter eſſentiā, & exiſtentiam, exiſtentia cùm ſit res æquè, ac eſſentia, habebit ſuam propriam poſſibilitatem diſtinctam à poſſibilitate eſſentiæ; &, ſicut eſſentia debet extra-

hi

Digitized by Google

hi à ſtatu ſuæ poſſibilitatis per actualitatem diſtinctam, ita & exiſtentia: inde ſequitur proceſsus in infinitum: nam idem quæreretur de ambabus his actualitatibus: non ita eſt in caſu diſtinctionis formalis, & identitatis realis; nam propter identitatem realem eſsentiæ cum exiſtentia ſequitur, poſſibilitatem exiſtentiæ venire à poſſibilitate eſsentiæ, & ſic ipſa exiſtentia ponitur cum ipſa eſsentia, cui identificatur, & abſque ulla formalitate media.

Inſt. Sicut eſsentia poſſibilis non præſcindit ab exiſtentia poſſibili, ita nec eſsentia actualis præſcindit ab exiſtentia, ergo nec diſtinguitur formaliter.

Reſp. n. conſeq. Nam licèt album non præſcindat ab albedine, tamen paries, aut lac benè præſcindit. Ita eſsentia actualis formaliter, & reduplicativè, ut actualis, includit exiſtentiam, ſicut album includit albedinem: ſed ſpecificativè, & nudè ſumpta non includit exiſtentiam, ſed ab ea præſcindit.

Objic 2. Eſsentia, prout eſt à parte rei, includit exiſtentiam, ergo non præſcindit à parte rei ab exiſtentia. Prob. ant. Eſsentia ſine exiſtentia non habet eſse, niſi in intellectu, ergo à parte rei includit exiſtentiam.

Reſp. d. ant. Includit exiſtentiam per identitatem realem, conc. ant. per identitatem formalem, n. ant. Eſsentia igitur à parte rei non habet eſse ſine exiſtentia ſibi realiter identificata: ſed iſta identitas non facit, quòd exiſtentia ſit de conceptu formali, & quidditativo eſsentiæ ſpecificativè ſumptæ.

Quæres 1. *an eſsentia, & exiſtentia faciant aliquam compoſitionem ſaltem in creatis.*

Reſpon. 1. quòd, ſi eſsentia conſideretur in ſtatu poſſibilitatis, & prout eſt in potentia objectiva, nullam facit compoſitionem cum exiſtentia.

Ratio eſt ex Doct. [1] quia, ſicut in eo ſtatu eſsentia eſt verum nihil, nec ſe habet, ut quid receptivum exiſtentia, uno verbo nihil eſt ibi, quod habeat rationem actus, & potentiæ veræ.

Reſpondeo 2. quòd ex eſsentia, & exiſtentia actuali ſit aliqualis compoſitio ſaltem modalis. *Ratio eſt*, quia ſe habent, ut res, & modus ejus intrinſecus, & ſic habent aliqualem rationem inter ſe actus, & potentiæ: eſsentia enim habet rationem potentiæ re-

[1] *1. diſt. 36. q. 1. B.*

Digitized by Google

reſpectu ſuæ exiſtentiæ: ita ut exiſtentia aliquid ſuperaddat aliqua ratione ad eſſentiam: eſt tamen compoſitio Metaphyſica, quia eſt ex entitatibus realiter identificatis: Phyſica verò ſtat inter entitates realiter diſtinctas.

Queres 2. utra ſit nobilior, eſſentia ne, an exiſtentia.

Reſpondeo juxta noſtra principia de diſtinctione formali inter illas, eſſentiam eſſe cenſendam nobiliorem.

Ratio eſt, quia nobilitas rerum attenditur penes eſſentiam, ſeu quidditatem, non verò præcisè penes exiſtentiam: ideò enim homo eſt nobilior equo, non quia exiſtit, ſed quia nobiliorem habet eſſentiam. Tàm enim equus eſt in rerum natura, & extra ſuas cauſas, quàm homo, & in hoc præcisè ſunt æquales. Denique gradus entium varii attenduntur quoad naturam, non quoad exiſtentiam.

Dices. Negari non poteſt, exiſtentiam ſubſtantiæ nobiliorem eſſe exiſtentia accidentis: nulla enim perfectio competit enti, niſi per exiſtentiam, ergo, &c.

Reſp. n. ant. Tota enim ratio nobilitatis, & perfectionis venit ab entitate ſubſtantiæ, quæ exigit exiſtere per ſe independenter à ſubjecto inhæſionis.

Dices 2. Actus nobilior eſt re actuata: ſed exiſtentia habet rationem actus reſpectu eſſentiæ, ergo eſt nobilior eſſentia.

Reſpondeo diſt. ant. Actus ſimpliciter, conc. ant. actus ſecundum quid, n. ant. Nam alioqui accidens eſſet nobilius ſubſtantia, quam actuat. Exiſtentia verò eſt actus ſecundum quid: eſſentia verò eſt forma totalis.

QUÆSTIO II.

An, & quod eſſe habeant eſſentiæ rerum ab æterno.

CReaturæ omnes non habent eſſe exiſtentiæ, niſi in tempore, quia tamen certum eſt eas habere

Digitized by Google

bere poſſibilitatem, antequam exiſtant, & ex qua extrahantur per exiſtentiam actualem, &, ut tales, à Deo cognoſcuntur, & decernuntur in ſua æternitate: quæri ſolet, an illud eſſe poſſibile ſit aliquid reale, quod ſolet vocari eſſe eſſentiæ

Triplex *eſſe* concipimus in rebus: 1. virtuale, quod habent in ſuis cauſis, ex quibus poſſunt produci, quale eſt illud, quod habet Roſa in ſuo Roſeto in hyeme, & quod habebat mundus in Dei potentia ante creationem. 2. *eſſe cognitum*, ſeu *objectivum*, quod habent res in intellectu, à quo cognoſcuntur etiam antequam exiſtant: verbi gratia creatura, ut cognita à Deo in ſua æternitate. 3. *eſſe reale*, ſeu *actuale*, quod habent res extra ſuas cauſas, & per actualem, ſeu realem exiſtentiam.

Porrò nullus dubitat, quin eſſentiæ rerum omnium habuerint eſſe *virtuale* in Dei omnipotentia, & *cognitum* in ejus intellectu: etiam ab æterno: *non enim aliter Deus cognoſcit facta, quàm fienda* (inquit [1] S. Auguſtinus) cognitio Dei non eſt aucta, nec mutata per rerum exiſtentiam. Quæritur ergo, an illud eſſe duplex ſit quid reale, & poſitivum, ita ut dici poſſit, quòd creaturæ habuerunt verum aliquod *eſſe reale* ab æterno.

CONCLUSIO I.

Eſſentiæ rerum nullum habuerunt eſſe reale ab æterno. Eſt Doctoris, & ſuorum cum Thomiſtis, & aliis communiter contra Henricum, & quoſdam etiam Scotiſtas.

Prob. 1. ex Scoto. qui tractat hanc quæſtionem ſub hoc titulo: *utrum creatura, inquantum eſt fundamentum relationis æternæ ad Deum cognoſcentem, habeat verè eſſe eſſentiæ, ex hoc, quòd eſt ſub tali reſpectu*, & impugnat ex profeſſo opinionem affirmativam multis rationibus. 1. Quia, ſi creaturæ haberent verum eſſe aliquod reale ab æterno, nulla poſſet creari; nam creatio eſt ex nihilo.

2. Probat ex abſurdis. Nam ſequeretur, aliquid præter Deum eſſe ens neceſſarium: nam, ſicut intellectus divinus intelligit neceſſariò eſſentias omnes re-

[1] *L. 5. in Gen. c. 7.*

Digitized by Google

rerum poſſibilium, iſtæ eſſent neceſſariò quoad illud eſſe reale.

3. Sequeretur mutabilitas in intellectu divino, quia illud eſſe reale, quod eſſentiæ rerum haberent in Deo, eſſet quid diſtinctum à Deo, & ejus intellectu (niſi velint adverſarii, quòd illud eſſe reale ſit de ſe neceſſarium) poterit, aut non eſſe, aut aliter ſe habere, & ſic inducet mutationem realem in Deo.

4. Sequeretur, ideas talium entium eſſe poſteriores ipſis ideatis: quia eſſent propinquiores cauſæ ſuę, quæ eſt neceſſaria, &c.

5. Quia non tantùm creaturæ cognoſcuntur à Deo ſecundum eſſe eſſentiæ, ſed etiam ſecundum eſſe exiſtentiæ: ergo, ſi *illud eſſe eſſentiæ, ut cognitum*, eſt quid reale, ita & eſſe exiſtentiæ, ut cognitum erit quid reale, ergo creaturæ habebunt eſſe reale ab æterno ſecundum exiſtentiam æquè, ac ſecundum eſſentiam: quod eſt abſurdum, & erroneum in fide. Nam de fide eſt, quòd res non habent eſſe exiſtentiæ, niſi in tempore. Prob. antec. ex citato loco S. Auguſtini: *non aliter novit Deus facta, quàm fienda*.

Prob. etiam 6. ex quæſt. præced. de identitate eſſentiæ, & exiſtentiæ. Si enim res eſſent ab æterno realiter quoad eſſe eſſentiæ, nihil acciperent in tempore præter exiſtentiam, ergo eſſentia & exiſtentia eſſent realiter ſeparabiles.

Prob. denique ex S. Aug. *Erant creatæ in Dei ſcientia, non erant in ſui natura: illos ſc. electos habuit ab æterno Deus apud ſe: non in natura ſui, quia nondùm erant, ſed in ſua præſcientia, quia illos ita novit, ac ſi eſſent .... antequam fierent, erant, & non erant, erant in Dei ſcientia, non erant in ſui natura*.

Objic. 1. Ens reale dividitur in actuale, & poſſibile: ſed creaturæ ſunt poſſibiles ab æterno, ergo & reales.

Reſp. 1. retorquendo argumentum. Exiſtentia rerum tàm eſt poſſibilis ab æterno, quàm eſſentia, ergo tàm eſt realis.

Reſpond. 2. d. conſeq. Sunt reales ab æterno, realitate poſſibilitatis, quæ excludit omnem actualitatem

Digitized by Google

tem realem, & poſitivam, conc. conſeq. realitate actualitatis poſitivæ, n. conſeq. Poſſibilitas ergo entis realis, prout opponitur enti chimærico, conſiſtit in duplici negatione. 1. eſt *non exiſtentia*, ſeu *non actualitas*, & 2. eſt *non repugnantia ad exiſtendum.* Utraque illa negatio habet veritatem ab æterno à parte rei: ſed eſſentiæ rerum non habent aliam actualitatem præter eſſe cognitum, quod totum ſe tenet ex parte intellectus divini.

Inſt. Denominatio poſſibilitatis fundatur in aliquo reali: ſed non poteſt fundari, niſi in eſſe eſſentiæ, ergo illud eſt ab æterno, & reale.

Reſp. d. maj. In aliquo reali intrinſeco, vel extrinſeco, conc. maj. in aliquo intrinſeco rei, n. maj. Ad min. autem dico, denominationem illam fundari in eſſe objectivo, quod eſſentiæ habent in intellectu divino, quod totum eſt in illo, non autem in eſſentia creaturarum, quæ, cùm in ſe nihil ſit, ita nihil poſitivè fundat, imò & ipſa denominatio poſſibilitatis cadit in eſſentiam, prout objectivè, & idealiter exiſtentem in intellectu, ut cùm dicitur: *homo eſt poſsibilis*, Senſus eſt: illa eſſentia, quæ repræſentatur, poterit exiſtere, & exiſtet, cùm Deus volet, ad hoc autem non eſt neceſſarium, hominem *habere aliquod eſſe actuale*, præter eſſe objectivum, ſeu cognitum.

Inſt. 2. Homo, ut poſſibilis ab æterno, non eſt ens rationis, ergo ens reale.

Reſpondeo d. ant. Prout ens rationis dicitur id, quod non habet, nec habere poteſt aliud eſſe, quàm objectivum, conc. ant. prout ens rationis dicitur id, quod non habet, ſed habere poteſt aliud eſſe, quàm objectivum, n. ant. Creaturæ igitur ab æterno, & ante creationem non habent aliud eſſe, quàm objectivum in mente divina, & hoc ſenſu ſunt entia rationis; ſed quia poſsunt habere eſse reale extra illam non ſunt entia rationis chimærica, & in hoc differt ens poſſibile ab ente rationis rigoroſo, & chimærico.

Objic. 2. Quod terminat cognitionem realem, habet aliquod eſſe reale, & non eſt purum nihil: ſed creaturæ ab æterno terminant cognitionem realem Dei, ergo, &c. Min. eſt certa, terminant enim ſcientiam, quæ dicitur ſimplicis intelligentiæ,

Prob.

Digitized by Google

Prob. maj. Nam cognitio realis vel eſt, vel importat realem relationem inter potentiam, & objectum: ſed relatio realis requirit extrema realia, ergo, &c.

Reſp. 1. iſtud etiam poſſe retorqueri quoad exiſtentiam: non enim minùs terminat cognitionem ſimplicis intelligentiæ, aut viſionis, quàm eſſentia, ergo non minùs deberet eſſe realis.

Reſp. 2. n. maj. Objectum purè terminativum intellectionis non debet eſſe reale, benè verò motivum: unde chimæra terminat intellectionem realem, & tamen in ſe nihil eſt reale. Deinde intellectio non eſt pura relatio, niſi ſecundum dici, ſed quid abſolutum. Cognitio dicitur realis in entitate, quia eſt qualitas in ſe realis, & terminativè, etiam ſi terminetur ad eſſe reale actuale, quod poſſunt habere res in tempore, non verò quod habent in æternitate.

Inſt. Scientiæ reales ſunt de realibus, & æternis: ſed ſcientia Dei de poſſibilibus eſt realis, ergo poſſibilia ſunt realia ab æterno.

Reſp. d. maj. De realibus, id. de rebus ſecundum ea, quæ illis competunt, vel competere poſſunt à parte rei, & independenter ab operatione intellectus, conc. maj. de rebus de facto habentibus eſſe reale, n. maj. & conſ. Hinc Metaphyſica licet conſideret ens in abſtracto, & præcisè ab exiſtentia actuali, dicitur tamen realis, prout opponitur rationali, quæ non conſiderat res, niſi prout ſubſunt denominationibus venientibus ab operatione intellectus, ut diximus in Logica.

Objicies 3. Objecta ſcientiæ ſunt neceſſaria, & æternæ veritatis: ſed veritas ſequitur ens reale, ergo objecta ſcientiæ ſunt entia realia ab æterno. Unde verum fuit ab æterno, quòd *homo eſt animal*.

Reſpondeo d. maj. Sunt neceſſaria quoad connexionem terminorum, quatenùs, poſito, quòd exiſtant, aut rectè intelligantur, debent eſſe talia, & non poſſunt aliter ſe habere, conc. maj. quoad ullum eſſe actuale, n. maj. Ideò igitur verum eſt ab æterno, & neceſſarium: *homo eſt animal*: quia ex natura ſua hi termini ſic connectuntur, ut, poſito, quòd homo exiſtat, neceſſariò ſit animal: ideò errat, licet piè, qui gratias agit Deo, quòd illum non ſe-

Digitized by Google

fecerit bovem, aut lapidem, &c. nam, ſuppoſito, quod Deus me voluerit creare (iſtud planè fuit liberum illi) non potuit me facere, niſi hominem.

Objic. 4. In creatis, ex communi uſu Philoſophorum, aliud eſt eſſe eſſentiæ ab eſſe exiſtentiæ, & illud eſt prius iſto, ergo præciſa exiſtentia reſtat adhuc in creatis eſſe eſſentiæ.

Reſpondeo d. antec. Sunt aliud alietate formali, & præciſionis, conc. ant. alietate reali, & ſeparationis, n. ant. & conſeq. Eſſe eſſentiæ præſcindit quidem formaliter ab exiſtentia, ut diximus quæſt. præced. ſed non realiter, ita ut eſſentia habeat ullum eſſe actuale reale ſeparatim, & ſecluſa exiſtentia.

Inſt. Nullum ens ponitur in prædicamento, niſi ſit reale: ſed entia omnia, prout ponuntur in prædicamento, præſcindunt ab exiſtentia, ergo entia, prout præſcindunt ab exiſtentia, ſunt realia.

Reſp. d. maj. Niſi ſit reale, prout illi non repugnat realis exiſtentia, conc. maj. prout habet aliquod verum eſſe actuale, ſecluſa exiſtentia, neg. maj. & conſeq. Non enim in hoc ſenſu dicimus, ens prædicamentale debere eſſe reale, ſed tantùm in primo, ut excludantur à linea prædicamentali entia fictitia, & chimærica.

CONCLUSIO II.

R*Es non habent in æternitate ullum eſſe diminutum, medium inter reale, & rationis, ſaltem propriè, & rigorosè*. Eſt Scotiſtarum communiter contra Poncium inſignem Scotiſtam, ſed fortè in ſolis vocibus diſconvenit: non enim dicit abſolutè *medium*, ſed *quaſi medium*.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam eſſe cognitum, ſeu diminutum, vocat ens rationis, *nihil autem, ſecundum quod ens diminutum eſt, eſt propria ratio entis veri*: ſed creaturæ ab æterno non habent aliud eſſe, niſi cognitum, & diminutum, ergo eſt ens rationis in ſenſu ſupradicto. Item Ens prima ſui diviſione æquivocè dividit in *ens in anima*, id. rationis, & *ens extra animam*, id. reale, nec ullum admittit me-

[1] *§. ad 13. q. un. D. n. 7.*

Digitized by Google

medium, ſive indifferens ad utrumque, ut vult [1] Errera, ſive de utroque participans, ut volunt alii; alioqui diviſio non eſset prima, & immediata. Et paulò infrà [2] *docet, quòd aliter ineſt negatio entis, ſeu nihileitatis homini in æternitate, & Chimeræ: & tamen non propter hoc unum eſt magis nihilum altero*. Igitur homo in æternitate tàm eſt non ens, & nihil, quàm Chimæra, ergo illud eſse hominis in cognitione Dei non eſt *eſse medium* inter reale, & rationis, ex Scoto.

Prob. 2. ratione. Implicat dari ens, quod formaliter habeat aliquid realis, & aliquid rationis, vel quod ſit indifferens ad utrumque, ſicut *animal*, verbi gratia, eſt de ſe præcisè indifferens ad *rationale*, & *irrationale*, ergo eſse cognitum, quod habent eſsentiæ creaturarum in æternitate, non eſt medium inter reale, & rationis. Prob. ant. 1. Quia, ſi participaret de utroque, eſset ſimul à parte rei, ſeu extra animam, & per intellectum, ſeu intra animam participaret de ente, & de nihilo, ergo implicat ens participans, & medium inter reale, & rationis. Prob. idem ant. quoad indifferentiam. Quia daretur conceptus entis univocus, & realis ad reale, & ad nihil; ſicut animal eſt univocum ad hominem, & brutum: ſed hoc implicat, ergo, &c. Patet maj. Nam illud ens indifferens eſt reale, &c. Scotus ergo vocat hoc eſse *diminutum, & ſecundum quid*, & *objectivum*, ſeu *cognitum*, ſed ſemper *rationis*: quia in tali ſtatu tàm creaturæ ſunt realiter nihil, quàm Chimera: non tamen eodem modo: nam Chimæra eſt nihil per duplicem negationem entis: ſc. entis actualis, & poſſibilis: creaturæ verò per unicam tantùm: ſc. entis actualis, non verò poſſibilis; quia illis non repugnat realis exiſtentia, ſicut Chimæræ. Prop툴 Proptereà non adeò malè, ni fallor, dicebat Poncius, iſtud *eſſe* quaſi mediare, ſeu convenire cum ente reali per *non repugnantiam ad eſse*, & cum ente ficto, ſeu rationis rigoróſo, *per negationem exiſtentię extra intellectum*: ſeu per *nihilitatem actualem*, ut cum Scoto loquar.

Prob. 3. Quia ex Doct. [3] quandò intellectus divinus

[1] 1. *d.36. F. n.9.* [2] *ibid. M. n.* 14.
[3] *Scotus cit, in* 1. *d.* 36, *n.* 6, *& alibi*,

nus in ſe dat eſſe cognitum eſſentiis creatis , non plus ponit in ipſis, quàm intellectus creatus ponat in Chimæra , vel homine , cùm in ſe dat illis eſſe cognitum ; aut cùm oculus dat in ſe parieti eſſe viſum: ſed intellectus creatus , aut oculus non ponunt quidquam reale in rebus , quibus dant eſſe cognitum , aut viſum , ſed ad ſummum purum ens rationis . ergo ita eſt de eſſe cognito creaturarum in æternitate, & ſcientia divina . Min. patet . Quia per hoc eſſe cognitum , quod Chimæra , vel Leo accipit ab intellectu meo, eſt purum eſſe intentionale, & diminutum , & ſecundum quid , & intra animam. Maj. etiam negari non poteſt .

Fateor tamen, & eſt mens Doctoris, quòd ea eſt differentia intellectus divini , & intellectus creati , dùm producunt res in eſſe cognito , quòd creatus non dat illis omninò primum eſſe: nam , priuſquàm illis det eſſe cognitum , habent eſſe cognoſcibile , quo ſupponuntur illius cognitioni : non ita eſt de intellectu divino, quia iſte dat rebus primum omninò eſſe: non ſunt priùs intelligibiles , quàm ipſas intelligat , ſaltem formaliter : ſed ad ſummum virtualiter , & eminenter , prout taliter continentur in eſſentia divina , quæ ſola ſupponitur primariò intellectioni divinæ . Sed de hoc in Theologia . Sufficit nobis , quòd cognitio Dei , qua intelligit eſſentias creatas, nihil reale ponat in ipſis : ſed illud eſſe cognitum eſt reſpectu illarum purum eſſe intentionale , & diminutum , ac rationis , denique purum .

Objic. 1. Illud eſt medium ſaltem per indifferentiam , quod tàm uni , quàm alteri convenire poteſt : ſed eſſe cognitum convenire poteſt tàm enti reali , quàm enti rationis , ergo eſſe cognitum eſt medium inter ens reale , & rationis . Prob. min. Dum ens rationis concipitur , tàm eſt cognitum , quàm ens reale, dùm etiam ipſum concipitur , ergo , &c.

Reſp. n. min. & conſeq. prob. Quia eſſe cognitum formaliter eſt utrobique eſſe rationis , & purè intentionale reſpectu objecti . Intellectus nihil ponit in objecto ſive reali , ſive rationis .

Colligis ergo , eos vel non legiſſe , vel non intel-

les

Digitized by Google

lexiſſe Scotum , qui cum Thomiſtis putant eum tribuere eſſentiis rerum aliquod verum eſſe reale ab æterno , quia docet , Deum illas producere ab æterno in eſſe cognito , quod vocat eſſe ſecundum quid , & diminutum : nec enim id vel ſomniavit ſubtilis Doctor : imo contrarium ubique aſſerit expreſſis verbis, ut cùm dicit, quòd *eſſe intellectum* , ſeu *cognitum neceſſariò reſpectu alicujus objecti non ponit illud eſſe aliquid in entitate reali aliud à primo objecto , quia eſſe cognitum ab intellectu divino non ponit illud eſſe in ſe , ſed in intellectu præſentialiter ...... intellectus poteſt eſſe neceſſariò omnium intelligibilium, quatenùs ſibi præſentia ſunt , nec per hoc ponitur aliquid aliud à Deo formaliter neceſſarium in eſse reali*. [1] quid clarius? iterum: *quod eſt tantùm ens rationis , non cauſatur ab objecto , niſi inquantum cognitum , & , ut ſic , non habet eſſe , niſi in intellectu , quod eſt ens diminutum* . [2] Ecce quòd *ens diminutum* eſt tantùm ens rationis , non autem *ens reale* , & ſic illud eſſe *cognitum* , & *diminutum* , ſeu *ſecundum quid* , quod habent eſſentiæ rerum in intellectu divino , eſt ens rationis , non autem ens reale ex Scoto, quod apertè concludit dicens: [3] *nihil autem , ſecundum quod ens diminutum eſt , eſt propria ratio entis veri* , & rursùs , *ens autem diminutum , quod ſc. eſt ens cognitum , non habet eſſe realis exiſtentiæ* .

Idem ex profeſſo docet diſt. 36. per totam , quam leget , qui mentem ejus perfectiùs intelligere cupiet. [4] Videbit, quòd illud *eſſe* comparat *eſſe* exemplato, & repræſentato hominis non exiſtentis , v.g. Homeri , quod nihil habet reale extra intellectum , *niſi velis quærere aliquod eſse verum hujus objecti, ut ſic, nullum eſt quærere , niſi ſecundum quid : niſi dicatur , quòd iſtud eſſe ſecundum quid reducitur ad aliquod eſſe ſimpliciter , quod eſt eſse ipſius intellectionis : ſed iſtud eſse ſimpliciter non eſt ejus , ſc. objecti, quod dicitur eſse ſecundum quid , ſed eſt ejus terminativè , vel principiativè* , ſc. quatenùs purè terminat talem ſui intellectionem , in quo nec Leo , nec AntiChriſtus magis eſt ens reale , quàm Chimæra, & Hircocervus.

[1] *1. d. 8. q. 5. N. n. 16.* [2] *ibid. d. 13. D. n. 7.* [3] *ibid.* [4] *ibid. n. 8. & 10.*

Denique, ut jam diximus, *aliter ineſt negatio, quæ eſt nihileitas homini in æternitate, & Chimæræ, & tamen non propter hoc eſt unum magis nihil altero,* ſc. homo, & Chimæra æqualiter ſunt nihil, non plus habent entitatis realis: licèt habeant eſſe cognitum in intellectu divino.

QUÆSTIO VI.

Quid ſit illud eſſe diminutum eſſentiarum ab æterno.

JAm vidimus quæſt. præced. quòd illud *eſſe* non eſt aliud, quàm *eſſe* cognitum, & quòd nihil eſt reale actuale in rebus, & extra intellectum divinum, tamen, quia per comparationem ad entia rationis chimærica, dicuntur entia realia; ideò videndum clariùs, in quo illud eſſe conſiſtat. Pro quo,

Suppono, diſtinguendum illud *eſſe* cognitum, quod habent eſſentiæ rerum poſſibilium formaliter in intellectu divino illas cognoſcente ab illo *eſſe*, quod terminat illam cognitionem, velut objectum terminativum, & quod intelligimus non repugnare ipſis rebus, & per quod diſtinguuntur à Chimæris. Primum correſpondet conceptui formali, ſecundum verò conceptui objectivo: ſicut enim, dùm cognoſco Leonem, produco illum in meo intellectu in eſſe cognito, quod conſiſtit in formali ſpecie expreſsa, quam formo de illo, & ſicut illa ſpecies expreſsa terminatur ad eſse Leonis objectivum tale, quale eſt de facto, aut de poſſibili, nec tamen quidquam reale intrinſecum pono in tali objecto, ita eſt de cognitione divina proportionaliter.

Dico, *proportionaliter*. Nam, ut jam monui, ex Doct. intellectus creatus non dat primum eſſe intelligibile, ſupponit enim illud, antequam intelligat, intellectus verò divinus primum eſse intelligibile confert rebus, adeò ut non ſint in ſe intelligibiles, priuſquàm ab eo intelligantur, niſi ad ſummum virtualiter, & eminenter in eſſentia divina, quæ eſt illarum exemplar, non quidem formale, ſed virtuale, & eminentiale, ut dicemus in Theologia,

Ideò,

Digitized by Google

Ideò, quandò intellectus divinus dat rebus eſse formale cognitum in ſuo intellectu, non eſt neceſse, ut habeant ullum aliud eſse actuale reale in ſe ipſis, per quod cauſent illam ſui cognitionem: ſicut accidit intellectui noſtro, cui debent repræſentari per ſpecies proprias, aut alienas.

Aliud eſt igitur *eſſe*, quod accipiunt res in intellectu divino per cognitionem æternam, qua illas intelligit, & aliud eſt *eſſe* illud, quod attingitur per illam cognitionem, & quod illam terminat,

Suppono etiam, quòd, ſicut ens reale aliud eſt *actuale*, quod actu exiſtit extra cauſas, & *potentiale*, quod nondùm exiſtit extra ſuas cauſas, ita duplex eſt ens rationis, ſc. *actuale*, quod habet exiſtentiam intellectu concipiente, & *potentiale*, cui exiſtentia illa non repugnat. Alii primum vocant *formale*, & 2. *materiale*. Alii 1. vocant *fabricatum*, 2. verò *derelictum*, quia derelinquitur intellectui fabricandum: item aliud eſt *abſolutum*, quod concipitur per modum entis ad ſe, ut Chimæra, hircocervus, aliud *relativum*, quod concipitur per modum entis ad aliud, ut ſecundæ intentiones.

CONCLUSIO I.

Eſſe, quod accipiunt res ab æterno in mente divina per cognitionem, ſeu ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, eſt ens rationis potentiale, ſeu naturale, ac derelictum: illud verò, per quod terminant illam ſcientiam, eſt proprium illarum eſſe poſſibile. Eſt Doctoris, & ſuorum communiter.

Prob. 1. ex Scoto quoad 1. p. [1] in omnibus textibus citatis in ſuperiori quæſtione, quos non placet repetere. Ex illis enim omnibus conſtat, quòd per illud eſſe cognitum, ut tale, lapis, & homo, & quodcunque ens reale non differt à Chimæra, & eſt purum *eſſe* in anima, *eſſe* intentionale, uno verbo, *eſſe rationis*.

Prob. 2. ex dictis Nam illud *eſſe nihil* eſt extra mentem divinam, ergo eſt purum eſſe rationis.

Dixi autem, *potentiale*, ſeu *materiale*, ac *derelictum*: non *formale actuale*: quia Deus per ſuam ſcientiam, qua

K 2

[1] *Maximè in 1. d. 36. cit.*

qua intelligit omnia poſſibilia, nihil fingit, ſed attingit verum eſse illarum : ſed ideò dicitur materiale, ac derelictum, quatenùs à nobis cogitari poteſt, & concipi per modum entis veri, ac realis ſimpliciter exiſtentis.

Prob. 2. p. Nam creaturæ à Deo cognoſcuntur ſecundum proprias ſuas rationes, & tales, qualibus non repugnat eſse : ſed tale eſse eſt eſse poſſibile illorum, ergo id, ſecundum quod terminant illam cognitionem, eſt illarum eſse poſſibile, prout præſcindit ab exiſtentia.

Prob. 2. Nam res ab ęterno intelliguntur ſecundum illud eſse, & illud habent in mente divina, per quod diſtinguuntur à chimæris : ſed diſtinguuntur à chimæris per ſolam poſsibilitatem realem, ergo, &c.

CONCLUSIO II.

PRima, & radicalis poſſibilitas non benè explicatur per ordinem ad potentiam divinam, nec puram negationem repugnantiæ, aut relationem ullam : ſed attenditur penes rationem formalem cujuſque rei. Eſt [1] Doctoris, & ſuorum.

Ut concluſionem intelligas, nota ex Scoto, duplicem poſsibilitatem, *Logicam*, *& objectivam*. *Logica*, quam *remotam* alii vocant, dicit *modum compoſitionis factæ ab intellectu*, & conſiſtit in non repugnantia extremorum. Eſt igitur non repugnantia rei, quæ petitur ex ratione illius formali, unde poſſibilitas hominis Logica attenditur penes non repugnantiam animalitatis cum rationalitate. *Objectiva* autem, ſeu proxima dicitur de rebus per ordinem ad agens; in cujus virtute continentur, ſicut Roſa in roſeto, & hoc ſenſu hominem eſse poſsibilem objectivè eſt illum contineri in potentia creativa. Hoc ſuppoſito,

Prob. 1. p. ex Doct. dicente, quòd non eſse aliquid reale actuale in ęternitate tàm verum eſt de homine, quàm de Chimæra : ſed ea eſt differentia, quòd homini non repugnet eſse : benè verò Chimæræ, cur autem non repugnet homini, & repugnet Chimæræ, aſsignat quidem rationem proximam ex potentia, quæ illum poteſt cauſare, & ex defectu poten-

[1] *in 1. d. 26. q. un. K. n. 7.*

Digitized by Google

tiæ, quæ iſtam poſsit cauſare, ſed ultimò reducit hoc ad poſsibilitatem Logicam, ſeu ad rationem formalem. Do textum longiorem.

Homini in æternitate ineſt non eſſe aliquid (ſc. non eſse quid reale) *& chimæræ non eſſe aliquid: ſed homini non repugnat affirmatio, quæ eſt ad eſse aliquid, ſed tantùm eſt negatio propter negationem actus, vel conſequentis in eſſe: Chimæræ autem repugnat, quia nulla cauſa poteſt in ea cauſare eſse aliquid*, pondera ſequentia: *ſed quare homini non repugnat, & Chimæræ repugnat?* attende reſponſum. *Ratio eſt, quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud, & hoc in quocunque intellectu concipiente. Quia, ſicut dictum eſt, quidquid repugnat alicui formaliter, ex ſe repugnat ei* (v. g. Chimæræ repugnat formaliter eſse extra animam) *& quod non repugnat ex ſe, formaliter non repugnat: nec hoc eſt fingendum, quod homini non repugnat, quia eſt ens in potentia, & Chimæræ repugnat, quia non eſt ens in potentia. Imò magis è converſo, quia homini non repugnat, ideò poſſibile eſt potentia Logica, &, quia Chimæræ repugnat, ideò eſt impoſſibile impotentia oppoſita*, ſc. Logica, *& iſtam poſſibilitatem conſequitur objectiva, & hoc, ſuppoſita omnipotentia Dei, quæ recipit omne poſſibile: dummodò ſit aliud à ſe. Tamen illa poſſibilitas Logica abſolutè ratione ſui poſset ſtare, licèt per impoſſibile nulla potentia eam reſpiceret.*

Ergo, ex Scoto, prima, & radicalis poſsibilitas non benè explicatur per ordinem ad omnipotentiam Dei: ſed attenditur penes rationem formalem, & quidditativam cujuſq; rei, quod evidenter concludit idem ſubt. Doct. per hæc verba. *Prima omninò ratio, & non reducibilis ad aliam, quare homini non repugnat eſse, eſt, quia homo eſt formaliter homo, & hæc ſive in re realiter, ſive in intellectu conceptibiliter, & prima ratio, quare Chimæræ repugnat eſse, eſt Chimæra, inquantum Chimæra*. Quid clarius?

Prob. 2. ratione. Prius eſt enim res eſse aliquid, quàm referri, ſeu reſpicere omnipotentiam, & ab ea denominari poſsibiles, ergo primò, & radicaliter non ſunt poſsibiles per denominationem, vel ordinem ad omnipotentiam. Prob. anteced. Non enim poteſt eſse relatio, nec denominatio, niſi

Digitized by Google

adſit relatum, & denominatum, ergo, &c.

Prob. 3. Res ab æterno habent eſſe diverſæ rationis: v. g. homo, prout objicitur intellectui divino, & illius omnipotentiæ, eſt diverſæ rationis ab equo, ergo illa diverſitas non eſt petenda ex reſpectu, vel denominatione extrinſeca ad omnipotentiam, ergo ſumenda eſt ex ratione formali hominis, & equi.

Prob. denique. Nam Deus ab æterno cognoſcit aliquid in homine, ratione cujus poſſit produci ab omnipotentia, & in Chimæra, cur non poſſit, ergo illud non petitur primariò, & radicaliter ab omnipotentia; ſed à ratione quidditativa hominis, & Chimæræ.

Prob. 2. p. de negatione, ac relatione. Omnis negatio, & relatio fundatur in aliquo poſitivo, ergo poſſibilitas rerum prima, & radicalis non benè explicatur, nec conſiſtit in pura negatione repugnantiæ, vel pura relatione ſive reali, ſive rationis. Ant. patet ex ſe. Nam, ut homo, verbi gratia, non repugnet, vel ut referatur ab æterno, debet eſſe aliquid in ſe ab æterno.

Confirm. Nam ideò homo non repugnat, & Chimæra repugnat, quia eſt diverſæ rationis ab ea, ergo tota ratio primaria poſſibilitatis, & impoſſibilitatis refertur ultimatè ad rationem formalem cujuſque rei, non autem ad negationem, vel relationem.

Prob. denique ultima pars. 1. Quia, ut dictum eſt ex Scoto, tota ratio non repugnantiæ hominis ab æterno eſt humanitas, & ſic de cæteris, ergo, &c.

Prob. 2. eadem pars. Id, ſecundum quod poſſibiles ſunt res, ſunt conceptus objectivi in mente divina: ſed illi ſunt poſitivi, ergo eſſe poſſibile rerum eſt quid poſitivum.

Prob. 3. Eſſe poſſibile ab æterno ſignificat illud eſſe, quod res accipiunt in tempore: ſed iſtud eſt quid poſitivum, ergo & illud.

Objic. 1. Res non poſſunt cognoſci poſſibiles, priuſquàm Deus concipiatur eas poſſe producere, ergo illa poſſibilitas primò petitur ab omnipotentia. Prob. ant. Poſſibilitas rei ad exiſtendum importat dependentiam ab alio, à quo accipiat exiſtentiam, alio-

lioqui non conciperetur ut creatura, ſed ut ens à ſe, & independens, ergo, &c.

Reſpon. d. ant. utrumque. Non poſſunt cognoſci poſſibiles poſſibilitate objectiva, & proxima, conc. ant. radicali, & remota, intrinſeca, & Logica, n. ant. utrumque. Nam poſſibilitas ipſa objectiva, & proxima ultimò reducitur ad Logicam, adeò ut ſi per impoſſibile non eſſet potentia Dei, quæ res illas poſſet producere, adhuc non repugnarent ex ſe.

Inſt. 1. Res poſſibiles, ut tales, dicunt dependentiam eſſentialem ad Deum; ergo non poſſunt concipi, ut poſſibiles, niſi ab omnipotentia.

Reſpondeo ſimiliter cum diſt. de poſſibilitate intrinſeca, ſeu Logica, & extrinſeca, ſeu objectiva.

Inſt. 2. Si poſſibilitas intrinſeca creaturæ præſupponeretur potentiæ Dei, hæc dependeret à creatura: ſed conſequens eſt abſurdum, ergo, &c. Prob. ſeq. Nam dici poſſet, quòd ideò Deus poteſt creare hominem, quia homo de ſe poteſt creari: ſed hoc eſt potentiam Dei ſubmittere creaturæ, ergo, &c.

Reſpondeo n. utramque maj. Si intelligatur, ut propriè cauſalis: nam ly, *ideo*, & *quia* non deſignant propriam cauſalitatem in homine reſpectu omnipotentiæ, ſed connexionem, & concomitantiam; & ſenſus eſt: homo de ſe non repugnat, & Deus eum poteſt producere: non autem, quòd non repugnantia hominis tribuat Deo facultatem, ſeu virtutem illum producendi.

Præterea argumentum ſupponit, Dei potentiam fundare aliquam relationem tranſcendentalem à parte rei ad creaturas poſſibiles, quod falſum eſt: eſt enim in ſe virtus abſolutiſſima, & tota relatio, quam dicit ad creaturas, non poteſt eſſe, niſi rationis: adeò ut, ſi omnes creaturæ eſſent impoſſibiles, adhuc Deus eſſet omnipotens, ut ſuppono ex bona Theologia.

Objic. 2. Omnipotentiæ paſſivæ correſpondet activa, ergo res non poſſunt intelligi poſſibiles paſſivè, niſi per ordinem ad potentiam activam Dei.

Reſpondeo, ut ſuprà, d ant. Potentiæ paſſivæ objectivæ, & proximæ, conc. ant. Logicæ, ac remotæ, n. ant. & præter rationes allatas, addo, Deum ipſum dici poſſe poſſibilem Logicè, & tamen

ei nulla correſpondet potentia activa.

Inſt. 8. Ergo ſublata Dei potentia, adhuc res intelligerentur poſſibiles, quo nihil abſurdius.

Reſpondeo d. conſeq. Poſſibilitate Logica conc. conſeq. objectiva, & proxima, n. conſeq. ut jam dictum eſt.

Objic. 3. *contra ultimam partem*. Si eſſe poſſibile rerum ab æterno eſſet quid poſitivum, eſſet increatum, & independens à Deo: ſed repugnat, ullum eſſe poſitivum increatum, & independens præter Deum ipſum, ergo, &c.

Reſpondeo n. maj. Nec enim eſſet creatum, & increatum, ſed creabile: ſicut non haberet ullum eſſe verum, & actuale, ita nec actualem dependentiam, vel independentiam, ſed poſſibilem.

CONCLUSIO III.

Creaturæ habent eſse poſſibile intrinſecum, ſeu Logicum ex ſe ipſis, & ex ratione ſua formali: extrinſecum verò, & objectivum ab intellectu, & potentia divina. Eſt Doctoris, & aliorum, & ſequitur ex præced.

Prob. 1. Ex iiſdem auctoritatibus Scoti, quibus præcedens. Nam eſse poſſibile Logicum, ſeu intrinſecum creaturarum nihil aliud importat, quàm rationem illarum propriam, quatenùs ex ſe non importat ullam repugnantiam ad eſſe. Unde ratio, cur homo ſit poſſibilis, eſt, quia eſt *homo*, ſeu *animal rationale*, & ratio, cur Chimæra ſit impoſsibilis, eſt, quia Chimæra eſt: ſed homo ex ſe habet, quòd ſit animal rationale, ergo habet ex ſe, quòd non repugnet illi exiſtere; quod maxime patet ex eo loco adducto in præceden. concl. poſsibilitas rerum partim attenditur penes cauſam potentem eas ponere, & partim ex ratione illarum formali, *homini*, inquit, *ineſt in æternitate non eſse aliquid*.

Prob. 2. 1. *p.* Quia, ſi tale eſſe poſſibile haberent creaturæ ab intellectu, aut voluntate divina, tàm Deus poſſet producere Chimæram, quàm homi-

Digitized by Google

minem : ſed falſum conſeq. ergo & ant. Prob. ſeq. Tàm Deus cognoſcit Chimæram , & alia impoſſibilia, quàm poſſibilia , ergo ſi poſſibilitas totaliter penderet à Dei cognitione, & voluntate, tàm chimæram poſſet Deus producere , quàm hominem.

Prob. 3. eadem pars. Nam homo non habet eſſe talis naturæ, verbi gratia *animal rationale* , quia cognoſcitur à Deo : ſed potius è contra , aut ſaltem concomitanter: ſed poſſibilitas Logica venit ex natura intrinſeca rerum, ergo venit præcisè ex ratione formali rerum.

Prob. 2. p. 1. Ex eodem Scoto dicente , hanc poſſibilitatem attendi penes cauſam extrinſecam , à qua res poſſunt produci.

2. Prob. Quia ab eo habent res poſſibilitatem objectivam , ſeu proximam, à quo poſſunt habere eſse actuale: ſed non poſsunt habere eſse actuale niſi à potentia divina, ergo nec eſse potentiale, objectivum, ſeu extrinſecum, & proximum.

Objic. 1. contra 1. part. Si res ex ſe haberent poſſibilitatem , haberent aliquam independentiam: ſed conſeq. eſt falſum , ergo , &c.

Reſp. n. ſeq. Nam dependentia attenditur penes eſse actuale , & poſſibilitatem objectivam , non verò penes poſſibilitatem , vel impoſſibilitatem Logicam , ut diximus.

Objic. 2. contra 2. part. Objectum ſcientiæ ſpeculativæ non accipit eſse ab illa : ſed poſſibile , ut poſſibile , eſt objectum ſcientiæ ſpeculativæ Dei , ergo poſſibile , ut tale , non accipit illud eſse à ſcientia. Maj. patet ex dictis in Logica de ſcientia practica, & ſpeculativa. Prob. min. ex dicendis in Theologia. Nam poſſibile eſt objectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, ſed hæc eſt ſpeculativa , ergo, &c.

Reſp. d. maj. Objectum primarium , atque determinativum , conc. maj. ſecundarium , & purè terminativum , n. maj. Poſſibile creaturæ eſt objectum ſecundarium ; & purè terminativum : primarium verò , & determinativum eſt eſsentia ejus.

Inſt. In illo priori , quo ſcientia Dei reſpicit eſsentiã, creaturæ habent eſse poſſibile, ergo habent poſſibilitatẽ antecedenter ad cognitionem Dei. Prob. ant.

Digitized by Google

In illo priori creaturæ non repugnant, & non accipiunt non repugnantiam à cognitione ſui in 2. inſtanti naturæ, aut rationis, quod ſequitur cognitionem eſſentiæ, ergo, &c.

Reſp. d. ant. Eſſe poſſibile, & non repugnantiam Logicam, remotam, & radicalem, conc. ant. proximam, & objectivam, n. antec. In illo priori continentur virtualiter, & radicaliter, ac eminenter in eſſentia divina tàm quoad intelligibilitatem, quàm quoad entitatem, & per conſequens quoad poſſibilitatem.

Quæres: *an eſſentia ſecundum illud eſſe poſsibile, & præciſa exiſtentia, dici poſſit ens reale verum, ac poſitivum.*

Reſpondeo ex Scoto affirmativè, quod ſic declarat. *Ens ratum, inquit, ſeu ens reale, aut appellatur illud, quod habet eſſe firmum, & verum eſſe, ſive eſſentiæ, ſive exiſtentiæ, quia unum non eſt ſine altero, qualitercumq; diſtinguantur; aut ens ratum dicitur illud, quod primò à figmentis diſtinguitur: cui ſc. non repugnat verum eſſe eſſentiæ, vel exiſtentiæ. Si 1. modo accipiatur ens ratum, dico, quòd homo ex ſe non eſt ens ratum, ſed ab efficiente, à quo habet eſſe verum, & eſſentiæ, & exiſtentiæ... & hoc modo numquam eſt ratum, niſi effectum, ſeu exiſtens extra cauſas ſuas, ſi 2. modo intelligatur ens ratum: dico, quòd homo eſt ex ſe ens ratum, quia formaliter ex ſe non repugnat ei exiſtere.... & ſi tunc ex hoc inferas, homo eſt ex ſe ens ratum: hoc modo, ergo eſt Deus; conſequens non valet, quia Deus non eſt tantùm, cui non repugnat eſſe, ſed eſt ex ſe ipſum eſſe: ſc. actuale.*

Igitur eſſentia entis poſſibilis præciſi exiſtentia, & aliquo modo ex ſe eſt ens reale poſitivum, quia participat veram definitionem entis realis, prout reale opponitur enti ficto, & chimærico: definitur enim id, *cui non repugnat realis exiſtentia*, in quo non video difficultatem, niſi de nomine, & in hoc conveniunt Philoſophi communiter.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO V.

De inæqualitate eſſentiarum, An poſſibiles ſint duæ ſpecies ſub eodem genere æquales perfectione.

NEmo dubitat, quin ſub eodem genere dentur de facto plures ſpecies inæquales nobilitate, & perfectione. Certum enim eſt, quòd, ſub genere ſubſtantiæ, *Spiritualis* eſt longè perfectior *corporali*, vivens nobilius eſt non vivente; ſub vivente *ſenſitivum*, ſeu *animal* præſtat *vegetativo*, ſeu *plantæ*, & ſub animali *homo* ſuperat *brutum*, & ſic de cæteris: nec de hoc controvertitur: ſed quæſtio eſt, an illa inæqualitas adeò ſit neceſſaria, & eſſentialis ſpeciebus, ut non ſolùm de facto, ſed ne de poſſibili quidem, & ne divinitùs quidem poſſint dari duæ ſpecies ſub eodem genere æquales, & hoc tàm de facto, quàm de poſſibili examinamus.

CONCLUSIO

NOn ſolùm non dantur duæ eſſentiæ ſpecie differentes ſub eodem genere, quæ ſint æquales, ſed nec dari poſſe vel divinitùs, eſt probabile. Videtur conformior Scoto, & communiter aliis.

Pro. 1. ex Scoto. [1] *Non negaret Philoſophus, æqualitatem eſſe individuorum ejuſdem ſpeciei in quolibet genere, & inæqualitatem ſpecierum.* Unde ſupponit æqualitatem inter individua unius ſpeciei, & inæqualitatem inter ſpecies. Videtur tamen paulò inferiùs id aſſerere indifferenter. *Eſt enim*, inquit, *una ſpecies entium, quantumcumque immaterialis, alteri ſpeciei immateriali æqualis, vel inæqualis ſecundum perfectionem*, &c. quæſtionem verò non proponit ex profeſſo, nec decidit in terminis.

Noſtra opinio poſſet etiam colligi ex eo, quòd docet, cauſam æquivocam, quæ eſt diverſæ ſpeciei ab effectu, eſſe nobiliorem effectu, univocam verò, quæ eſt ejuſdem ſpeciei. eſſe æqualem perfectione... *totale cauſans non poteſt eſſe imperfectius*

K 6 cau-

[1] *Quodlib. 6. n. 1. D. ibid.*

Digitized by Google

cauſato ſuo, loquendo de cauſa effectiva, & quòd totale cauſans æquivocum eſt perfectius: inde enim ſequitur, eum ſupponere, quòd, quæ ſunt ejuſdem ſpeciei, ſunt æqualis perfectionis, quæ verò differunt ſpecie, ſunt inæqualia.

Prob. 2. ratione, & quidem quoad 2. p. Nam 1. patebit à fortiori ex probationibus p. 2. Si enim impoſſibile eſt dari æquales, multò magis verum eſt de facto non dari.

Prob. Ergo 2. p. Quæ conveniunt in gradu perfectionis ſpecificæ, ſunt neceſſariò ejuſdem ſpeciei: ſed duæ eſſentiæ ſic convenirent, ergo eſſent ejuſdem ſpeciei neceſſariò. Prob. maj. Gradus perfectionis ſpecificæ, ac eſſentialis, & ipſa eſſentia ſpecifica identificantur realiter, ergo, quæ conveniunt in gradu perfectionis eſſentialis, & ſpecificæ, ſunt neceſſariò ejuſdem ſpeciei. Conſeq. eſt evidens. Prob. ant. Perfectio eſſentialis, & ſpecifica rei eſt vel ipſa eſſentia, vel proprietas ejus, vel gradus intrinſecus, verbi gratia, *bonitas*: ſed eſſentia, & proprietas identificantur cum re ipſa, ergo, &c. Et certè implicans videtur contradictionem, duas res convenire in perfectione eſſentiali, & non convenire in eſſentia.

Prob. 2. Tota ratio, cur duo individua unius ſpeciei, v. g. Petrus, & Paulus ſint æqualis perfectionis eſſentialis, eſt, quia ſunt ejuſdem ſpeciei; nam ratio ſpecifica dicit totam eſſentiam rei, ergo, quę ſunt diverſæ ſpeciei, ſunt neceſſario inæqualis perfectionis eſſentialis. Prob. conſeq. ex illo axiomate in cauſis præciſis: ſicut affirmatio eſt cauſa affirmationis, ita negatio negationis, ergo, ſicut identitas ſpecifica eſt cauſa æqualitatis, ita diverſitas ſpecifica eſt cauſa inæqualitatis, ergo, quæ ſunt diverſæ ſpeciei, ſunt neceſſariò inæqualis perfectionis eſſentialis.

Objicies 1. ex Theologia. Paternitas, & Filiatio in divinis ſunt diverſæ ſpeciei, & tamen ſunt æquales in perfectione, ergo non implicat dari, imò de facto dantur eſſentiæ differentes ſpecie, & æquales in perfectione eſſentiali. Prob. ant. ex Symbolo S. Athanaſii. In perſonis divinis *nihil eſt majus, aut minus ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.*

Reſpondeo n. ant. loquendo de relationibus illis formaliter, & prout diſtinguuntur ab eſſentia di-

Digitized by Google

divina, cùm apud Scotiſtas non dicant perfectionem nec imperfectionem, uno verbo, non ſunt quantæ. Apud Thomiſtas verò ſunt infinitæ perfectionis: inter infinita autem non datur vera æqualitas, nec inæqualitas, quia iſtæ ſunt paſſiones quantitatis, & eſſentiæ, ac virtutis finitæ, ex Scoto. *Quantum prius dividitur per finitum, & infinitum, quàm ſibi conveniat æquale, vel inæquale. De ratione enim quantitatis majoris eſt excedere, & minoris excedi, & æqualis commenſurari, quæ omnia videntur concludere finitatem, & ideò negaretur infinitum eſſe æquale infinito, &c.*

Reſp. 2. n.conſeq. Nam relationes originis, & perſonales in divinis non ſunt propriè res, & eſſentiæ diſtinctæ ab eſſentia divina ratione identitatis realis cum eſſentia, non ſunt propriè ſpecies, nec propriè dicuntur æquales. Loquimur autem de eſſentiis reàliter ſpecificis.

Inſt. 1. Saltem ſequitur, quòd non ſunt inæquales in perfectione eſſentiali, ac ſpecifica, ergo diverſitas ſpecifica non ſemper arguit inæqualitatem perfectionum eſſentialium.

Reſp. n.conſeq. propter rationes allatas. Nam loquimur de entibus quantis, quales non ſunt relationes illæ, ſecundum Scotiſtas, & de creatis, ac finitis, quales non ſunt eædem juxta Thomiſtas, & denique de rebus diſtinctis eſſentialiter, quales non ſunt illæmet relationes, quæ eidem eſſentiæ divinæ identificantur.

Inſt. 2. Præſentia localis conſtitutiva Petri in ſchola eſt ſpeciei diverſæ à præſentia item locali conſtitutiva Pauli in templo, & tamen ſunt æquales, ergo dantur de facto etiam in creatis duæ ſpecies æquales in perfectione eſſentiali.

Reſp. 1. neg. ant. quoad 1. p. Nam omnia ubi ſunt ejuſdem rationis, & ſpeciei eſſentialis, ideò Scotus docet, quòd ubi fluens ſecundum circulum, & ſecundum lineam rectam ſunt ejuſdem rationis, differunt autem ſolùm accidentaliter ob diverſam poſitionem.

Reſp. 2. conc. ant. quoad 1. p. neg. quoad 2. Nam quid impedit aſſerere, illa duo *ubi* eſſe inæqualis perfectionis, tàm facilè, quàm dicuntur diverſæ ſpeciei?

Reſpondent alii juxta ſua principia, neg. conſeq. Quia

Quia non putant, quòd *ubi* ſit quid ſuperadditum locato, ſaltem realiter.

Objic. 2. Diverſitas ſpecifica non eſt præciſa, formalis, & neceſsaria ratio inæqualitatis eſsentialis, ergo poſſibiles ſunt duæ ſpecies æqualis perfectionis eſsentialis. Prob. ant. Poſsum concipere albedinem, & dulcedinem, ut diverſas ſpecie qualitates, non concipiendo in eis ullam inæqualitatem; & non dicitur præciſè de equo, & homine, quòd ſint inæquales, quia ſunt diverſæ ſpeciei, ergo diverſitas ſpeciei non eſt præciſa ratio inæqualitatis. Prob. antec. Quia ſi diverſitas ſpeciei præciſè argueret inæqualitatem majoris perfectionis tam ſe teneret ex parte equi, quàm hominis, quia diverſitas æqualiter pendet ab utroque, ergo, &c.

Reſpondeo neg. ant. & conſeq. probat. Nam, licèt non cogitetur de inæqualitate, quia confuſè cognoſcitur, non ſequitur, quin eadem ratio diverſitatis ſpecificæ, & eſsentialis ſit etiam ratio inæqualitatis; & quin etiam agnoſceretur ſimul cum diverſitate, ſi eſsentiæ illæ agnoſcerentur diſtinctè; nam eſsentiæ non cognoſcuntur ſine modis ſuis intrinſecis, quandò cognoſcuntur diſtinctè, & ad 3. de diverſitate eſt æquivocatio; non enim dicimus, quòd inæqualitas oriatur præciſè ex diverſitate, ſed ex rationibus formalibus, quæ ſunt fundamenta diverſitatis; quales ſunt rationalitas, & irrationalitas in homine, & equo.

Objic. 3. Dari poſsunt duo animalia, quorum operationes tam notabiliter differant, quàm operationes leonis, & equi, & tamen ſint æqualia in perfectione eſsentiali; ſed illa duo animalia eſsent diverſæ ſpeciei; quia differrent notabiliter, ergo dari poſsunt duæ ſpecies æqualis perfectionis eſsentialis.

Reſpondeo, neg. maj. quoad 2. p. Quia, ſi illa differentia operationum veniat à differentia ſpecierum talium animalium, tam erunt inæqualia, quàm equus, & leo: quia, ut diximus, natura eſsentialis eſt realiter idem cum perfectione eſsentiali, ergo, ſi naturæ ſint diverſæ, & per conſequens operationes ex illis manantes, iſtæ tam arguent inæqualitatem perfectionum, quàm diverſitatem ſpecificam naturarum.

Ob-

Digitized by Google

Objic. 4. Duæ cognitiones æquè intenſæ, quibus cognoſco Petrum, & Paulum, ſunt diſſimiles ſpecie, & tamen æquè perfectæ, ergo diſſimilitudo ſpecifica non importat neceſſariò inęqualitatem. Prob. ant. quoad 2. p. Quia una tam perfectè repræſentat Petrum, quàm alia Paulum, ergo, &c.

Reſp. neg. abſolutè ant. Aut enim non ſunt diſſimiles ſpecie, aut ſunt inæquales eſſentialiter propter rationem allatam, quia perfectio eſſentialis, & eſſentia ſunt indiſtinctæ.

Inſt. In duabus viſionibus, v. g. viridis,& albi,cognoſcimus diverſitatem, & non inæqualitatem, ergo inæqualitas eſt diviſibilis à diverſitate, ergo duæ viſiones poſſunt eſſe diverſæ abſque inæqualitate.

Reſp. neg. conſeq. Cùm inæqualitas, & diverſitas ſint relationes diſtinctiſſimæ, non mirum, quòd una poſſit cognoſci abſque alia, quamvis una ſequatur ad aliam neceſſariò, ſicut rationalitas in homine poteſt agnoſci abſque riſibilitate, tamen iſta ſequitur neceſſariò ex illa.

Objic. 5. Poteſt eſſe in una eſſentia cum proportione tanta perfectio, quanta eſt in alia: ſed tunc duæ eſſentiæ diverſæ ſpeciei erunt æquales, ergo non implicant duę ſpecies æquales perfectione. Prob. min. Proportio non eſt ſecundum eandem rationem eſſentialem, ergo ex illa æqualitate non ſequitur identitas ſpecifica.

Reſp. d. maj. Cum proportione geometrica, conc. maj. & neg. min. proportione arithmetica neg. maj. & conſeq. Duplex eſt æqualitas, *proportionis*, ſeu *geometrica*, quandò una res in ſuo genere, aut ſpecie eſt tam perfecta, quàm alia in ſuo, v. g. Aſinus in ſua ſpecie, quàm homo in ſua; & talem admitto in ſpeciebus diverſis ſervata proportione; alia *Arithmetica*, quæ dicitur *æqualitas ad pondus*, quia nulla habita ratione perfectionis rei in ſuo ordine, duæ res ſunt ſimpliciter in eſſentia æquales, ut *Pegaſus*, & *Bucephalus*; Petrus, & Paulus, & hanc æqualitatem negamus poſſibilem inter diverſas ſpecies.

Inſt. 1. Duæ quantitates diverſæ ſpeciei, ſeu figuræ poſſunt eſſe æquales æqualitate molis proportionaliter, & ad pondus, ergo & duæ eſſentiæ in perfectio-

Digitized by Google

fectione eſsentiali. Prob. ant. Quantitas orbicularis, & quadrata differunt ſpecie, ſicut & figura: ſed illæ proportionaliter, & ad pondus poſſunt eſſe æquales in mole, ergo, &c.

Reſp. n. ant. & maj. prob. Sicut enim duæ illæ quantitates non ſunt commenſurabiles, ita nec æqualis perfectionis arithmeticæ, aut non differunt, niſi accidentaliter.

Inſt. 2. Non implicat Dei eſſentiam, quæ eſt in infinitum communicabilis, tam communicari alicui uni creaturæ, quàm alteri: ſed tunc erunt æqualis perfectionis eſſentialis, ergo non implicant duæ ſpecies æqualis perfectionis eſſentialis.

Reſp. diſt. maj. Tam uni, quàm alteri ejuſdem ſpeciei, ſeu eſſentiæ, conc. maj. diverſæ naturæ, neg. maj. Nam ſufficit ad infinitam communicabilitatem eſſentiæ divinæ, quòd poſſit producere, & communicari creaturis perfectis, & perfectioribus in infinitum; non autem requiritur, ut poſſit communicari naturis diverſis eſſentialiter, & æqualiter perfectis; quia hoc rationi earum formali, & in terminis repugnat; eſſent enim, & non eſſent eſsentialiter diverſæ, ut patet ex fundamento concluſionis.

Objicies denique. Sicut ſpecies contrahitur ad individua, ita & genus ad ſpecies: ſed ſpecies contrahitur ad individua æqualis perfectionis, ergo & genus.

Reſp. neg. maj. & parit. Nam genus contrahitur per differentias contrarias, quæ ſunt de eſſentia, & quidditate conſtituti, adduntque perfectionem generi contracto; non ita eſt de ſpecie atoma, quæ contrahitur per differentias individuales, quæ nec ſunt de ratione eſſentiali conſtituti, nec addunt perfectionem contracto, nec ingrediuntur rationem eſſentialem, & quidditativam contracti, ut patebit ex dicendis infrà de principio individuationis.

Conſtat igitur, quòd cùm illa dicantur diſtincta ſpecie, quæ differunt notabiliter; nec ſit notabilior ulla differentia, quàm perfectionis eſſentialis, ſequitur non poſſe dari differentiam ſpecificam ſine differentia, ſeu inæqualitate perfectionis eſſentialis. Sicut tamen non affertur ulla ratio poſitiva convincens

de

Digitized by Google

de poſſibilitate; fortè etiam iſta de repugnantia non eſt evidens. Ideò hanc ſententiam propoſui, velut probabiliorem.

QUÆSTIO VI.

De ſingularitate eſſentiæ, ſeu de Principio individuationis: & primò num omnis eſſentia ſit ſeipſa ſingularis, an verò per quid realiter diſtinctum.

ESſentia præſcindit ab univerſalitate, & ſingularitate, & alia eſt communis, quæ in pluribus reperitur, alia ſingularis, quæ implurificabilis eſt. Utrobique una eſt, ſed in 1. ſtatu unitatem habet, quam vocamus formalem, & de hac egimus in Logica, [1] in 2. per illam unitatem contrahitur, quam individuam, & ſingularem, atque numericam dicimus; & de hac etiam pauca jam prelibavimus in eadem Logica; [2] ſed de principio individuationis reſervavimus hìc dicendum.

Principium Individuationis eſt illa formalitas, per quam natura conſtituitur *hæc*, & *ſingularis*, ſeu *incommunicabilis* pluribus cum ſui multiplicatione, ita ut quodlibet illorum ſit ipſum, & quærimus 1. an ſit aliquid eſſentiæ ſuperadditum; an verò quælibet eſſentia ſit per ſe ipſam formaliter ſingularis.

CONCLUSIO.

O*Mne, quod realiter, & à parte rei exiſtit, eſt ſingulare, vel in ſingularibus*. Eſt communis quoad materialia; quoad ſpiritualia verò videtur contra Thomiſtas aliquos.

Prob. 1. ex Philoſopho, & Scoto. [3] Nam cùm Boetius dixerit, quòd omne, *quod eſt, ideò eſt, quia unum numero eſt*, & Ariſt. *omne, quod eſt aliud à prima ſubſtantia, aut dicitur de prima ſubſtantia, aut eſt in illa*, primam ſubſtantiam intelligit ſubſtantiam ſingularem, Scotus (inquam) fatetur, id eſſe verum *de illo, quod eſt præter operationem intellectus, cujuſmodi* non

[1] *Diſp.* 3. q. 3. [2] *Diſp.* 4. q. 5.
[3] L. q. 4. *univ. n.* 2. *Boet. de unit. in præd.* 1. *de ſubſt.*

non eſt univerſale. Et Ariſtoteles ſic intellexit, ergo ex Philoſopho, & Scoto, & Boetio, omne, quod à parte rei exiſtit, eſt ſingulare, aut in ſingularibus exiſtens, & ita cenſent communiter omnes contra Platonem, qui putatur aſseruiſse naturas univerſales realiter exiſtentes, & à ſingularibus ſeparatas, de quo egimus in Logica.

Prob. 2 inductione. Nam Deus eſt ſingulariſſimus; quilibet Angelus exiſtens eſt etiam individuus; ſic quilibet homo, planta, lapis, &c.

Prob. 3. Omne, quod exiſtit realiter, vel eſt increatum, ſeu à ſe, vel creatum, ſeu ab alio: ſi increatum, eſt Deus, qui eſt ſingulariſſimus; ſi creatum, ergo per productionem ſingularem, ergo & ipſum eſt ſingulare; nam omnis actio ſingularis terminatur ad rem ſingularem.

Dixi: *vel in ſingularibus exiſtens*, propter naturas communes, quę, licèt de pluribus prædicentur, & pluribus inexiſtant per unitatem quandam formalem, tamen realiter inexiſtunt in ſingularibus, & ſingularitatibus realiter identificantur.

Sequitur etiam ex identitate reali ſingularitatis cum natura. Nam ſi natura, & ſingularitas realiter idem ſunt, per nullam potentiam poſsunt ſeparari.

Objic. 1. Unitas individualis addit aliquid ſupra eſsentiam, ratione cujus ipſa eſsentia dividi poteſt in plura ſingularia: ſed talis additio non reperitur in natura, ſeu eſsentia Angeli, ergo eſsentia Angeli exiſtit ſine ſingularitate. Prob. min. Tota eſsentia realis Angeli eſt velut abſtracta, & præciſa, ita ut nequeat multiplicari, ergo exiſtit ſine ſingularitate ſuperaddita. Prob. conſeq. Si humanitas abſtracta exiſteret realiter, ut talis, non poſset multiplicari in ſingularibus, ergo ita eſt de eſsentia Angeli, quę exiſtit ſic abſtracta.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Natura enim Angeli de ſe indifferens eſt ad hanc, vel illam ſingularitatem, æquè ac humana, & multiplicatur de facto in qualibet ſpecie, ut ſuppono ex tract. de Ang. ex mente Scoti.

Reſp. 2. quòd etiam dato, quòd ſingularitas non ſit quid ſuperadditum, ſeu modus intrinſecus diſtinctus

Digitized by Google

ſtinctus formaliter ex natura rei ab eſſentia Angeli, ita ut ille per ſe, & de ſe ſit ſingularis, ſicut eſſentia divina, adhuc non ſequitur, quin ſit realiter ſingularis, & per conſeq. ex hoc capite ſemper vera eſt concluſio noſtra in terminis.

Inſt. Homo realiter exiſtit in Petro, & Paulo; ſed homo, ut exiſtens in Petro, & Paulo, non eſt ſingularis, ſed communis, ergo non omne exiſtens eſt ſingulare.

Reſpondeo diſt. maj. Ita ut Petrus, & Paulus ſint duo realiter homines ſingulares, conc. maj. ita ut Petrus, & Paulus ſint unus realiter homo communis utrique, neg. maj. & diſt. min. Non eſt ſingularis præciſè, & ſecundum illam communitatem, ſive unitatem formalem, quam habet in illis, conc. min. non eſt ſingularis, nec identificatur realiter Petreitati, & Pauleitati, ſeu ſingularitatibus, in quibus realiter plurificatur, neg. min.

CONCLUSIO II.

Natura creata non eſt de ſe ſingularis, ſed per aliquid poſitivum ſuperadditum. Eſt Doctoris, & ſuorum.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quod ſubſtantia materialis ex natura ſua de ſe non eſt hæc, quia tunc ſicut deducit prima ratio, non poſſet intellectus intelligere ipſam ſub oppoſito* (ſc. ut communem) *niſi intelligeret objectum ſuum ſub ratione intelligendi repugnanti rationi talis objecti*, &c.

Prob. 2. Quia humanitas, quæ eſt in Petro ex ſuis prædicatis eſſentialibus, non eſt magis determinata ad Petreitatem, quàm ad Pauleitatem, ergo, quòd ſit determinata ad Petrum, eſt aliquid illius quidditati ſuperadditum. Ant. patet. Nam ex ſuis prædicatis eſſentialibus nihil dicit præter animalitatem, & rationalitatem, nec eſt magis Petri, quàm Pauli, aut Joannis. Prob. autem conſeq. Nam ideò dicimus, rationalitatem eſſe formalitatem diſtinctam, & ſuperadditam animalitati, quia animalitas de ſe eſt indifferens ad humanitatem, vel brutalitatem, & ideò debet determinari ad alterutram, vel utramque per diffe-

[1] *In 2. d. 3. q. 1. E. n. 7.*

Digitized by Google

differentias ſpecificas , ergo ita eſt de natura ſpecifica reſpectu ſingularitatum , nec magis includit illas in ſuo conceptu formali , quàm natura generica ; ut animalitas includit differentias ſpecificas , v.g. rationalitatem, & brutalitatem .

Alias rationes adduximus in Logica , ubi de unitate formali naturæ, & minori,ac diſtincta ab unitate numerica , quæ eſt ſingularitas , & illas videbis apud Scotum cit.

Objic. 1. Ab eo natura habet eſſe hanc , & ſingularem , à quo habet eſſe ſimpliciter realem , ſeu extra animam : ſed habet eſſe extra animam , ſeu realem ex ſe , ſicut habet eſſe ſecundum quid ab intellectu . ergo habet ex ſe, quòd ſit ſingularis .

Reſp. diſt. maj. A quo habet eſſe ſimpliciter in genere cauſę efficientis, conc. maj. in genere cauſæ formalis, n. maj. Nam formaliter habet eſſe ſingularem ab hæcceitate,quæ eſt formalitas entitati eſſentiæ ſuperaddita : ideò diſt. min. Ex ſe habet eſſe reale formale, ſeu eſſentiale, conc min. reale ſingulare , neg. min. & conſeq. Nam unitas formalis , ſeu eſſe eſſentiæ Petri eſt tam reale, quàm eſſe ſingulare, ſed illud habet ex ſe, & iſtud à Petreitate .

Inſt. Secundum illud eſſe eſſentiale reale natura Petri non eſt univerſalis , ergo eſt ſingularis ex ſe . Prob. conſeq. Inter univerſale , & ſingulare non eſt medium ,ergo , &c.

Reſp. conc.ant. neg. conſeq. & ant. prob. Nam unitas formalis,ſeu eſſe eſſentiæ eſt unitas, & eſſe communitatis , ac indifferentiæ , ut diximus in Logica , non autem univerſalitatis, niſi fundamentaliter humanitas in eſſe eſſentiæ eſt tantùm humanitas , equinitas eſt tantùm equinitas , inquit Doctor , [1] nec ex ſe una , nec plures , nec univerſalis , nec particularis .

Objicies 2. Illud ſuperadditum , per quod natura ſpecifica individuatur , vel eſt eſſentiale , vel accidentale; ſed neutrum dici poteſt , ergo non eſt quid ſuperadditum . Prob. min. 1. Si eſſet quid eſſentiale, ſpecies dividerentur per differentias eſſentiales , quod eſt contra Porphyrium , & individua , v.g. Petrus , & Paulus differrent eſſentialiter ; &

[1]. *ibid. l.5. metaph.*

Digitized by Google

& ſpecies non diceret totam eſsentiam , quod eſt contra omnes . 2. Si eſſet accidens, individuum eſſet ens per accidens , & ſic ſpecies non poſſet de illo prædicari in quid .

Reſp. ſingularitatem non eſſe nec quid eſſentiale propriè , prout ſignificat id, quod ingreditur rationem formalem, & quidditatem, ut pars eſſentiæ conſtitutiva , aut tota eſsentia , nec quid accidentale , prout tale dicitur omne id , quod eſt extrinſecum ſubſtantiæ rei , ſed eſt modus intrinſecus determinans eſſentiam ad eſſe hanc numero , & non aliam : unde neg. maj. abſolutè .

Inſt. Species dicitur tota eſsentia, & atoma , quia non eſt ulterius diviſibilis ; ſed hoc non eſſet verum , ſi divideretur à parte rei per hæcceitates ſuperadditas , ergo non ſic dividitur . Prob. min. Quia hæcceitates eſsent differentiæ diviſivæ ſpeciei , & conſtitutivæ individuorum , ergo eſsent partes illorum , ergo natura ſpecifica non eſſet tota eſsentia illorum .

Reſp. diſt. maj. Quia non eſt ulterius diviſibilis per differentias eſsentiales, conc. maj. per gradus aliquos, ſeu differentias numericas , neg. maj. conceſsa min. Nam gradus individuales , ſeu ſingularitates ſunt quidem differentiæ, ſed numericæ , per quas reſpondetur ad quæſtionem *quis eſt ?* non verò *quid eſt?* nam ſi quęris , quid eſt Petrus ? reſpondebitur : *eſt homo* : ſed ſi quæras, quis eſt ? reſpondebitur, *eſt Petrus* , ergo Petreitas non conſtituit quidditatem , ſeu eſsentiam . Quid autem ſpecies dicitur atoma , ideò eſt, quia eſt indiviſibilis in plures ſpecies , non autem in plura numero ſolo diſtincta .

CONCLUSIO III.

Principium individuationis non diſtinguitur realiter à natura ſpecifica , quam individuat , ſed formaliter ex natura rei . Eſt communis quoad 1. p. eſt Doctoris , & ſuorum quoad 2.

Prob. 1. p. ex Scoto . *Subſtantia actu exiſtens , non mutata aliqua tranſmutatione ſubſtantiali , non poteſt fieri de hac non hæc , quia ſingularitas non poteſt ineſſe alia , & alia eidem ſubſtantiæ manenti eidem*

Digitized by Google

eidem non ſubſtantialiter mutatę, ſc. eſt inſeparabilis omninò à natura ſpecifica, quam afficit, ergo ſingularitas non diſtinguitur realiter à natura, quam ſingularizat; alioqui enim poſſet aliqualiter ab ea ſeparari.

Prob. 2. ex eodem, & ex dicendis infrà, ubi oſtendemus, individuationem non venire à quantitate, nec ab ullo accidente, vel alia entitate realiter diſtincta.

Prob. 3. ex dictis ſuprà de ſingularitate omnis rei exiſtentis. Nam, ſi ſingularitas eſſet realiter diſtincta à natura reali, quam ſingularizat, hæc natura poſſet exiſtere ſine illa, ſaltem divinitus; ſed hoc implicat, ut probatum eſt, ergo eſſentia, & ſingularitas non diſtinguuntur realiter. Prob. ſeq. Nam, quæ diſtinguuntur realiter, poſſunt aliqualiter ſeparari, vel ut res à re, vel ut res à modo ſuo extrinſeco, ut patet ex dictis: ſed natura realis, & ſingularitas non poſſunt ullo ex his modis ſeparari, ergo non diſtinguuntur.

Prob. 2. pars *ex principiis Scoti, & ſæpiùs dictis*. Nam eſſentia, ſeu natura ſpecifica eſt adæquatè conceptibilis ſine ſingularitate, ergo non eam includit in ſuo conceptu formali, & per conſequens diſtinguitur ab ea formaliter ex natura rei.

Prob. etiam 2. ex dictis ſupra, quòd natura ex ſe non ſit ſingularis, ſed communis, & indifferens; ex his enim patet, quòd formaliter, & objectivè præſcindat à ſingularitate. Item ex dictis in Logica de unitate formali minori unitate numerica, & individuali. Denique rationibus, quibus probata eſt diſtinctio formalis ex natura rei: nam verè de natura ſpecifica in ſe, & de ſingularitate verificantur à parte rei prædicata contradictoria: nam eſſentia eſt de ſe communicabilis, determinabilis, aſſimilabilis, & hæcceitas eſt incommunicabilis, determinativa, & diſcernens, &c.

Objic. 1. ex Philoſopho, qui dicit homo non plus, nec minus dicit, quàm qui dicit, *ens homo*, vel *unus homo*, ergo homo ſingularis nihil dicit ſuperadditum naturæ ſpecificæ hominis, ne per rationem quidem.

Reſp. neg. conſeq. Nam Ariſtoteles ibi loquitur de

de unitate tranſcendentali , quæ convertitur cum ente, (& ut Scotus interpretatur) ibi loquitur de unitate ,ſeu identitate reali,& inſeparabilitatis; quod patet ex his verbis Philoſophi , *palam autem eſt, quòd homo, & unus homo, & ens homo non ſeparantur nec in generatione , nec in corruptione*. Hoc autem non accidit in formali diſtinctione.

Objic. 2. Si natura perfectè præſcinderet per diſtinctionem formalem ex natura rei à ſingularitate, ſingularitas etiam præſcinderet ab hac , & illa , & ſic daretur proceſſus in infinitum : ſed conſequens eſt falſum , & abſurdum , ergo , &c. Prob. ſeq. Nam duæ hecceitates tam conveniunt in ratione ſingularizandi, quàm duo homines in humanitate , ergo tam poſſet abſtrahi ab illis una ratio communis, quàm humanitas abſtrahitur , & præſcindit ab iiſdem .

Reſpondeo neg. ſeq. maj. quoad 2.p. de proceſſu in infinitum, & de hoc dicemus infrà ; an , & quomodò poſſit abſtrahi una ratio communis ab individuis , ut individua ſunt: pro nunc ſufficiat dicere , quòd poſſit ab illis abſtrahi conceptus communis , ſed inadæquatus .

Inſt. Si daretur illa ratio communis præciſa à ſingularitatibus, daretur diſtincta coordinatio illarum in linea prædicamentali, ſicut datur coordinatio graduum eſſentiæ : ſed conſequens eſt falsum , & inconveniens, ergo , &c. Prob. ſeq. Nam individuationes hominum v.g. non ſolùm conveniunt in officio individuandi cum individuationibus brutorum , ſed etiam ab eis differunt aliunde ; ſc. quatenus individuant naturas ſpecie diſtinctas, & ſic de individuationibus naturarum , quæ in aliquo genere conveniunt,ut homo , & planta ; item de individuationibus accidentium . Et ſicut differentiæ eſſentiales conſtituunt propriam lineam lateralem , ita & differentiæ individuales , & iſtæ irent in infinitum , ergo, &c.

Reſp. neg.ſeq.& diſt. ant. prob. Individuationes rerum ſpecie, aut genere diverſarum differunt etiam genere , aut ſpecie , realiter , & identicè , ſc. ratione naturarum , quas ſingularizant , conc. ant. ſecundum ſe formaliter, & præciſè , neg. ant. & conſeq. Nam hæcceitas Bucephali non magis differt ſecundum ſe for-

Digitized by Google

formaliter, & præciſè ab hæcceitate Petri, quàm hæcceitas Petri ab hæcceitate Pauli. Hæcceitates enim omnes ſunt primò diverſę, & ſic æqualiter inter ſe differunt.

Objic. 3. Si hæcceitas eſt quid formaliter ſuperadditum naturæ communi, vel invenit conſtitutam in ſuo eſse, vel illam ſic conſtituit: ſed neutrum dici poteſt, ergo non eſt quid ſuperadditum naturæ. Prob. min. 1. Si invenit conſtitutam, ergo & ſingularem; quod enim in ſuo eſse eſt conſtitutum, & perfectum, nihil ei deeſt ad perfectionem. 2. Si conſtituit, ergo eſt de illius eſſentia.

Reſp. hæcceitatem advenire naturæ in ſuo eſſe eſſentiali conſtitutæ, & eam conſtituere in ſuo eſse ſingulari, & ſic neg. min.

Inſtabis 1. Advenit naturæ eſsentialiter conſtitutæ, ergo & ſingulari. Antec. patet ex reſponſione. Probatur conſeq. Quod habet rationem potentiæ ad aliud, ut ad actum, eſt ſingulare, ſicut & actus: ſed natura haberet rationem potentiæ ad hæcceitatem, ut ad actum, ergo eſset ſingularis.

Reſp. neg. conſeq. & diſt. maj. prob. Quod habet rationem potentiæ phyſicæ ad actum phyſicum, conc. maj. potentiæ metaphyſicæ ad actum metaphyſicum, neg. maj. Natura ergo ſpecifica habet rationem potentiæ aliquo modo ad individuationem, ſed illa eſt potentia metaphyſica, & iſta eſt actus metaphyſicus. Aliud eſt de materia, & forma phyſica, utraque habet ſuam ſingularitatem; actus phyſicus ſupponit materiam præexiſtentem; non ita eſt de actu metaphyſico, ut eſt ſingularitas.

Inſt. 2. Actus ſingularis ſupponit potentiam ſingularem: ſed hæcceitas eſt actus ſingularis, ergo & natura.

Reſp. diſt. maj. Actus ſingularis, *ut quod*, conc. maj. actus ſingularis, *ut quo*, neg. maj. Hæcceitas eſt actus ſingularis, *ut quo*, ſeu potiùs ipſa ſingularitas, qua natura individuatur.

Objic. 4. Natura exiſtens, præciſa omni ſingularitate diſtincta, includit omnem perfectionem, quam diceret ſingularitas diſtincta, ergo hæc fruſtrà aſseritur. Patet conſeq. Nec enim ſunt multiplicanda entia,

Digitized by Google

entia, nec formalitates ſine neceſsitate. Prob. ant. Exiſtentia ſupponit ſingularitatem, ergo natura exiſtens dicit omnem perfectionem, quam diceret ſingularitas diſtincta.

Reſp. in noſtra ſententia, qui unicam tribuimus exiſtentiam naturæ individuæ, conc. ant. & neg. conſeq. Nam hoc ipſo, quòd dicitur in anteced. *natura exiſtens*, intelligitur, aut ſupponitur ſingularitas, quæ eſt formalitas ſuperaddita, & modus intrinſecus naturæ: nam exiſtentia eſt modus entis, ſeu naturæ individualiter determinatæ, & per conſequens ſingularis, quod meliùs explicabitur quæſtione ſequenti.

QUÆSTIO VII.

An Principium Individuationis ſit quid diſtinctum ab exiſtentia naturæ; an quid negativum purè, an quid poſitivum.

VIdimus ſupra, nullam rem exiſtere poſſe, niſi ſit ſingularis, & ex definitione individui conſtat, quòd importat negationem diviſionis in plura, in quibus multiplicetur, & quorum quodlibet ſit ipſum; eſt enim quædam unitas, quæ dicitur numerica, quæ per conſequens importat perfectiſſimam indiviſionem rei in ſe, & diviſionem maximam ab omni alio. Hic videndum 1. an exiſtentia ſit ipſa individuatio rei; an vero individuatio ſit aliquid prius, & diſtinctum formaliter ex natura rei ab exiſtentia; 2. an individuatio, ſeu principium ejus ſit pura negatio; an verò primariò conſiſtat in aliqua entitate poſitiva, ex qua ſequatur talis negatio diviſibilitatis.

CONCLUSIO I.

P*Rincipium individuationis eſt quid diſtinctum ab exiſtentia; ſeu quod idem eſt, natura non conſtituitur ſingularis, & individua præcisè, & formaliter, aut etiam radicaliter per exiſtentiam.* Eſt Doctoris ex profeſſo cum ſuis, & aliis.

Prob. 1. ex Scoto. *Quod non eſt ex ſe diſtinctum, & determinatum, non poteſt eſſe primum diſtinguens,*

Digitized by Google

vel determinans aliud: ſed eſſe exiſtentiæ eo modo, quo diſtinguitur ab eſſe eſſentiæ, non eſt ex ſe diſtinctum, nec determinatum: eſſe enim exiſtentiæ non habet proprias differentias alias à differentiis eſſe eſſentiæ, quia tunc oporteret ponere coordinationem (prædicamentalem, ſeu in aliqua linea prædicamentali) *exiſtentiarum aliam à coordinatione eſſentiarum; ſed* (exiſtentia) *præciſè determinatur ex determinatione alterius* (ſc. differentiæ eſſentialis, & individualis) *igitur non determinat aliquid aliud*, ergo, ex Scoto, principium individuationis non petitur ab exiſtentia, quia ſingularitas eſt determinativa, & diſtinctiva rerum; non autem exiſtentia; & potiùs ſupponit diſtinctionem, ac determinationem, etiam individualem eſſentiarum in tota ſua coordinatione, quàm faciat.

Et confirmatur hoc ex eodem. Nam, ut patet ex dictis in Logica, & ex arbore prædicamentali habetur tota coordinatio eſsentialis, & directa generum, & ſpecierum à ſupremo uſque ad individua, & lateralis omnium differentiarum diviſivarum, & conſtitutivarum abſque ulla mentione exiſtentiæ, ergo exiſtentia ſupponit individuationem potiùs, quàm faciat illam, nec formaliter, nec radicaliter, quod enim eſt poſterius alio, non facit illud nec formaliter, nec radicaliter.

Prob. 2. ex eodem. Nam idem quęritur de exiſtentia, ac de natura quoad individuationem, ſc. per quid fiat hæc, ergo non eſt principium individuationis. Prob. ant. Exiſtentia, quantùm eſt de ſe, eſt communis, & indifferens ad plura; reperitur in ſingulis individuis ſecundum eandem penitus rationem, & conceptum formalem, ergo non eſt ratio diſtinctiva illorum.

Obijc. 1. Ultima diſtinctio eſt per ultimum actum: ſed individuatio eſt ultima diſtinctio rerum, & exiſtentia rei eſt ultimus actus, ergo exiſtentia eſt principium individuationis.

Reſp. cum Scoto, [1] d. maj. Ultima diſtinctio in linea, & coordinatione prædicamentali eſt per ultimum actum in eadem coordinatione, conc. maj. per ultimum actum extra illam coordinationem, neg. maj. Exi-

[1] *ibid. n. 3.*

Exiſtentia autem eſt ultimus actus rerum, ſed poſterior, & extra totam coordinationem prædicamentalem, & maximè, quia eſt contingens. Loquor de exiſtentia actuali, ſingularitas verò eſt modus intrinſecus naturæ, & conſtitutivus individui.

Reſp.2.d. min. Individuatio eſt ultimum diſtinctivum, & ultimus actus, per quem res per ſe primò ultimatè diſtinguuntur abſolutè, tàm quoad eſſe poſſibile, quàm quoad actuale, & exiſtentia eſt ultimus actus rei ſingularis quoad eſſe actuale tantum, conc. min. exiſtentia eſt ultimus actus disjunctivus rei quoad eſſe poſſibile, neg. min. & conſeq. Nam ultimus actus quoad eſſe actuale ſupponit ſingularitatem, ſicut & alias omnes perfectiones intrinſecas, & diſtinctivas rerum.

Objic.2. Illud eſt principium individuationis, ad quod generatio terminatur: ſed generatio terminatur ad individua, ut exiſtentia, ergo exiſtentia eſt principium individuationis. Prob.min. Generationis terminus eſt res actualis, ſive ut in actu, ergo, &c.

Reſp.neg. maj. ſaltem præciſè formaliter, & reduplicativè. Nam ſufficit, quòd illud ſit principium individuationis, ad quod generatio terminatur ſaltem concomitanter; & hoc ſenſu terminatur tam ad eſſe ſingulare, quàm ad eſſe exiſtentiæ: totum enim individuum ponitur in eſſe per generationem.

CONCLUSIO II.

Principium individuationis non conſiſtit in pura negatione, ſed in entitate poſitiva, ſaltem primariò. Eſt etiam Doctoris, & ſuorum.

Prob. 1. ex Scoto, qui ſic proponit, & reſolvit hanc „ quæſtionem, [1] *quid ſit in hoc lapide*, per quod, ſic- „ ut per fundamentum proximum, ſimpliciter repu- „ gnat ſibi dividi in plura, quorum quodlibet ſit „ ipſum, qualis diviſio eſt propria toti univerſali in „ ſuas partes ſubjectivas. Hoc modo intelligendo, „ probo, quod non ſit aliquod individuum forma- „ liter per negationem, vel privationem. Primò, quia „ nihil ſimpliciter repugnat alicui enti per ſolam pri- „ vationem in eo, ſed per aliquid poſitivum in eo. L 2 Igi-

[1] *ibid. q.2. D.n.2.A.*

Digitized by Google

„ Igitur dividi in partes ſubjectivas non repu-
„ gnat huic lapidi in eo, quod eſt quoddam ens per
„ aliquas negationes. Prob. ant. Quia, quantumcum-
„ que negatio tollat potentiam proximam ad agere,
„ & pati, ut per hoc idem ens, in quo eſt negatio, ca-
„ reat potentia proxima ad aliquid, non tamen ponit
„ formalem repugnantiam illius entis ad aliquid
„ ... exemplum ... ſi non habere viſum tollat po-
„ tentiam proximam ad videndum, non tamen fa-
„ cit repugnantiam ſimpliciter ad videre, quia poteſt
„ ſtare eadem natura poſitiva, in qua fuit hęc negatio
„ & poteſt ſibi ineſse oppoſitū illius negationis (*ſc. habere viſum*) ſine repugnantia ex parte naturæ.
„ Ita eſt in propoſito, cùm iſte ponat naturam ex ſe
„ non eſse unam, & individuam, nunquam tamen
„ per aliquam negationem poſitam in natura repu-
„ gnabit ſibi formaliter dividi, & ita nunquam erit
„ aliquod ens poſitivum in rebus, quod ſit completè
„ individuum.
„ Confirmatur hoc argumento. Nulla imperfe-
„ ctio repugnat alicui, niſi propter aliquid poſitivum
„ in eo; ita quòd nulla imperfectio repugnat alicui, niſi
„ propter aliquam perfectionem, quæ eſt aliquid po-
„ ſitivum, & entitas poſitiva: ſed dividi eſt quæ-
„ dam imperfectio, & ideò non poteſt competere na-
„ turæ divinæ, ergo indiviſibilitas, quam importat
ſingularitas, eſt quid poſitivum, in quo fundatur illa negatio, & repugnantia diviſibilitatis.

Sic poſſet firmari totus ille Doctoris diſcurſus. Omnis negatio, quæ eſt repugnantiæ, ſeu, quæ eſt ſeparabilis à ſubjecto, præſupponit in eo aliquid poſitivum, in quo illa fundetur: ſed indiviſibilitas, quam importat individuatio, eſt negatio repugnantię, & inſeparabilitatis à natura ſingulari, ergo ſupponit in illa aliquod poſitivum, in quo talis negatio fundetur.

Prob. 2. & ſimul confirmatur præcedens argumentum. Quia nihil fit perfectius per puram negationem: ſed natura fit perfectior per individuationē, ergo individuatio non eſt pura negatio, ſed quid poſitivum. Prob. min. Prima ſubſtantia eſt perfectior ſecunda (quæ eſt natura communis) ſed ſubſtantia fit prima per individuationem, ergo fit perfectior.

Prob,

Digitized by Google

Prob.3. Certum eſt, in Petro eſſe aliquid poſitiyum, quod non eſt in Paulo, & per quod diſtinguitur ab ipſo: ſed illud poſitivum non eſt natura, ſeu humanitas; quia per hanc potiùs ſunt unum, ergo eſt individuatio, ergo individuatio eſt quid poſitivum.

Objic.1.Negatio diviſibilitatis ſufficienter fundatur immediatè in natura, ergo fruſtra aſſeritur aliud fundamentum poſitivum ſuperadditum. Conſeq. patet. Quia non ſunt multiplicandæ entitates ſine neceſſitate. Prob. ant. Illa negatio eſt indiviſibilitas naturæ in plura: de quibus prędicatur cum ſui multiplicatione: ſed humanitas, quæ eſt in Petro, ex ſe talis eſt, ergo, &c. Prob.min. Ex ſe ſic eſt Petri, ut nequeat eſſe Pauli, nec Joannis, ergo, &c.

Reſp.neg.ant.& min.probationis cum antecedente ſic diſtinguo. Eſt ſic indiviſibilis realiter, ſc. ratione Petreitatis, cui realiter identificatur, conc. min.& ant. ratione ſui præcisè, & formaliter, neg. min. & ant. imò ex ſe formaliter, & præcisè eſt ad minus indifferens ad eſse in Petro, aut Paulo; ſaltem nullum horum includit. Humanitas de ſe eſt tantùm humanitas, ſicut equinitas de ſe eſt tantùm equinitas, & non determinatur, niſi per Petreitatem.

Obiic.2. Non poteſt aſſignari, quid ſit illud poſitivum ſuperadditum, ergo non debet aſſeri. Prob. ant. Non enim eſt nec exiſtentia, nec quantitas, nec materia, nec forma, nec ullum accidens, ergo &c.

Reſp. neg.ant.& ad prob. reſpondebitur ſequentibus quæſtionibus, in quibus examinabimus, quid non ſit, & quid ſit.

Objic.3.Natura fit individua formaliter per indiviſionem: ſed indiviſio formaliter non eſt niſi negatio diviſionis, ergo individualiter conſiſtit in negatione.

Reſp.diſt.maj. Fit, ideſt explicatur individualitas per negationem diviſibilitatis, conc.maj. fit, ideſt, conſiſtit primariò in illa negatione, neg. maj. & ſimiliter diſt.min. Natura fit individua per entitatē, per quam conſtituitur, & determinatur ad ultimum gradum prædicamentalem, & id non poteſt eſſe pura negatio, quia negationes non ingrediuntur per ſe talem lineam, tamen ſolet explicari per negationem, ut nobis magis cognitam, ſed id non impedit, quin fundetur in poſitivo.

Digitized by Google

QUÆSTIO VII.

An quantitas, vel aliquod aliud accidens ſit principium Individuationis.

Quia ſolent deſignari individua, & diſtingui ex accidentibus externis, ut notavimus in Logica, nempe *forma, figura, locus, ſtirps, nomen, patria, tempus*, quatenus nunquam omnia reperiuntur ſimul, & eadem in duobus entibus realibus; ideò quæri ſolet, an illa omnia collectivè, an ſaltem diviſivè ſint principium verum, & intrinſecum individuationis.

Porro Principium Individuationis aliud eſt *formale*, & *proximum*, per quod proximè, & formaliter natura fit incommunicabilis pluribus, in quibus multiplicetur, & quorum quodlibet ſit ipſum: aliud *remotum*, & *radicale*, ratione cujus competit naturæ illud formale, & proximum, & aliud *extrinſecum*, per quod diſcernitur unum individuum ab alio, ut ſunt accidentia quædam externa, & circumſtantiæ loci, & temporis, de quibus mox dicebamus. Non eſt autem quæſtio de hoc tertio: certum eſt enim, ſingularia diſcerni per hujuſmodi accidentia: ſed controverſia maximè eſt de *radicali*, & *formali*, de quo ſunt tot ſenſus ferè, quot capita.

CONCLUSIO I.

Accidentia illa neque collectivè, neque ullum ex illis ſeorſim eſt principium formale, aut radicale individuationis. Eſt Doctoris, & ſuorum.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Quia idem individuum ſubſtantiæ manet, non obſtante quacunque mutatione accidentium; *ſubſtantia actu exiſtens*, inquit, *non mutata per aliquam transmutationem ſubſtantialem non poteſt fieri de hac non hæc; quia iſta ſingularitas non poteſt ineſſe alia, & alia eidem, non ſubſtantiæ manenti eadem, non ſubſtantialiter mutatæ, ſed ſubſtantia actu exiſtens, nulla ſubſtantiali mutatione facta in ipſa, poteſt ſine contradictione eſſe ſub alia*,

[1] *Ibid. q.4. A. n. 3.*

lia, & alia quantitate, & quocumque accidente abſoluto, ergo nullo tali modo ſit formaliter hæc ſubſtantia hac ſingularitate ſignata. Min. patet, quia non eſt contradictio, quòd Deus ſubſtantiam quantam iſta quantitate eandem conſervet, & informet eam alia quantitate, nec propter hoc ſubſtantia illa actu exiſtens mutabitur mutatione ſubſtantiali, quia non erit mutatio, niſi à quantitate ad quantitatem. Similiter ſi mutetur à quocumque accidente ſine mutatione ſubſtantiali, &c.

Prob. 2. ex eodem. Quia ſubſtantia ſecundum totam coordinationem prædicamentalem eſt prior omni accidente, ergo antecedenter ad omne accidens eſt individua. Prob. conſeq. Nam individuum eſt in recta linea, & ultimo gradu prædicamentalis coordinationis abſque ullo ente alterius prædicamenti, qualia ſunt omnia accidentia, quæ conſtituunt diverſum prædicamentum.

Confirmatur. Quia nihil poteſt poni in linea unius prædicamenti per rem alterius, ſed individuum humanum, v.g. Petrus, eſt in Linea prædicamenti ſubſtantiæ, ergo non poteſt conſtitui per quantitatem, aut ullum aliud accidens in illo prædicamento, quia illa omnia ſunt res aliorum prædicamentorum,

Prob. 3. Quia omne accidens reale, & exiſtens ſubjectatur in ſubſtantia reali, exiſtenti, ac ſingulari. ergo ſubſtantia eſt priùs ſingularis, quàm ullum accidens in ea recipiatur.

Confirm. Quia & ipſa quantitas, & quodcumque aliud accidens, ut individuet ſubſtantiam, debet priùs eſſe in ſe individuatum. Per quid? non enim per ſuam eſſentiam præcisè, ergo per aliquid ſuperadditum. Per quid igitur?

Objic. ex Sanctis Patribus, & Philoſopho, qui aſſerunt, individuationem peti ab accidentibus externis, ut Boetius: *in numero differentiam variabilitas accidentium facit;* & Damaſcenus: *omnis res, in qua differt hypoſtaſis ab ejuſdem ſpeciei hypoſtaſi, dicitur adventitia differentia*, id eſt, accidentalis, ut homo longus differt à brevi: & Ariſtoteles: *naturæ, quæ eget materia ad ejus eſſe, adveniunt accidentia, & diſpoſitiones extrinſecæ, per*

quas individuatur , ergo individuatio petitur ab accidentibus extrinſecis.

Reſp.d.conſeq.Individuatio ſecundaria,& externa conc. conſeq. primaria, & intrinſeca,n.conſeq.Illæ autem auctoritates loquuntur de ſecundaria, & externa ; fuſiorem explicationem illorum habes in Scoto. [1]

Objic. 2. Individua ejuſdem ſpeciei non differunt ſubſtantialiter , ergo differunt per accidentia, non per differentias ſubſtantiales. Prob.conſeq. Quæ differunt per differentias ſubſtantiales, differunt eſſentialiter, ergo individua ejuſdē ſpeciei differunt per accidentia .

Reſp. diſt.ant.Non differunt ſubſtantialiter, id eſt, per differentias eſsentiales formaliter , & abſolutè , conc. ant. ideſt, per differentias eſsentiæ, ſeu ſubſtantiæ rerum identificatas , neg. ant. & diſt. conſeq. Si per accidentia intelligas identitates, ſeu formalitates extra eſsentiam rei ,conc. conſeq. ſi intelligas entitates contingenter advenientes , & ſeparabiles , ſeu realiter diſtinctas, neg. conſeq. Igitur ſingularitas eſt extra eſsentiam rerum , & hoc ſenſu dici poteſt accidentalis, ſed eſt identificata ſubſtantiæ , ſeu eſſentiæ , & hoc ſenſu dici poteſt ſubſtantialis,prout ſubſtantiale dicitur, quicquid neceſsariò, & inſeparabiliter identificatur ſubſtantiæ rei .

Objic. 3. Quantitatem dividi numericè , ſeu in partes ejuſdem rationis , eſt proprietas quantitatis : ſed in illa diviſione numerica conſiſtit tota ratio individuationis ,ergo individuatio petitur à quantitate. Patet min.Nam hæcceitates, ſeu ſingularitates nihil ſunt aliud , quàm differentiæ numericæ : & quæ individualiter differunt, ſolo numero differunt. Maj.etiam patet ex dictis de Quantitate in Logica.

Reſp. diſt. maj. Dividi in partes integrantes ejuſdem rationis venit à quantitate, tranſeat maj. & neg.min.Nam ex dictis in Logica conſtat, etiam ſubſtantiam materialem eſſe diviſibilem in ſe , & habere partes entitativas : ſed id non facit ad propoſitum; dividi in partes ſubjectivas,neg.maj.& conſeq.conceſsa min. Diximus , duplex eſſe totum , unum *potentiale* , ut genus reſpectu ſpecierum , quas continet ſub ſe, & ſpecies reſpectu ſuorum individuorum , quæ ſimiliter continet potentialiter , & ſub ſe , & in illa eſt,

[1] *ibid. n.*18. 19. & 20.

Digitized by Google

eſt diviſibile, ut totum potentiale; & individua ſunt partes ejus ſubjectivæ: alterum eſt *quantitativum*, conſtans, & diviſibile in partes integrantes, ut numerus ternarius in tres unitates, baculus bipedalis in duas partes pedales, &c. Prior diviſio venit ab individualitate, poſterior eſt propria quantitati in ſenſu, quem diximus in Logica.

Inſt. Duæ illę partes baculi differunt etiam individualiter, ſed non differunt individualiter, niſi per diviſionem quantitativam, ergo differentia individualis venit à quantitate.

Reſpondeo diſt. maj. Differunt individualiter per differentias individuales, ſibi proprias, & numero, & ſeparatione, conc. maj. & neg. min. per ſolam diviſionem totius baculi integralis, neg. maj. Duplex ibi eſt diviſio baculi una totius ſpecifici in partes ſubjectivas, & hęc fit per differentias individuales, quæ præcedit actualem, & quantitativam, & eſt multitudo entitativa: alia totius quantitativi, & integralis in ſuas partes integrales, & venit à quantitate. Exemplum clarius eſt in aqua: nam ante diviſionem unius aquæ in 10. aut 20. guttas, illæ guttæ diſtinguuntur numericè, & entitativè tantum, quandiu aqua eſt indiviſa; ſed poſt diviſionem diſtinguuntur etiam extrinſecè, & ſenſibiliter.

Inſt. 2. Diſtinctio individualis eſt ipſa diſtinctio numerica; ſed numerica eſt à quantitate, ergo & individualis.

Reſp. d. maj. ut ſuprà. Eſt ipſa diſtinctio numerica, entitativa, conc. maj. quantitativa, neg. maj. & conſeq. Ratio patet ex præcedentibus.

Inſt. 3. ex Ariſt. [1] *Unum eſt, quod indiviſibile eſt; omne verò indiviſibile, aut ſecundũ quantũ, aut ſecundũ ſpeciẽ*, ergo diviſibilitas ſpeciei venit à quantitate.

Reſp. n. conſeq. imò magis confirmat noſtram ſententiam de duplici diviſibilitate rerum, quia, ut notat Scotus, *indiviſibile dicitur dupliciter*, *vel ſecundum quantitatem*, *ut punctum*, *vel ſecundum ſpeciem*, *puta quod non dividitur in plures ſpecies*, ergo è contra diviſibilitas ſpeciei in plura individua differt à diviſibilitate quanti in plures pares partes quantitativas, & integrales.

L 5 QUÆ-

[1] 3. *Metaph. text.* 11. [2] *ibid. n.* 40.

Digitized by Google

QUÆSTIO IX.

An principium individuationis ſumatur à Materia.

PEr materiam intellige partem illam compoſiti phyſici, quæ eſt ſubjectum, ac velut ſuſtentaculum tam formæ principalis, quàm accidentium omnium, quæ in toto compoſito reperiuntur. Thomiſtæ, qui eam faciunt principium individuationis, conſiderant illam, 1. ut *nudam*, & abſolutè ſecundum ſe abſque ullo reſpectu, vel informatione quantitatis, vel alterius accidentis realis. 2. ut *ſignatam*, & *materiam ſignatam* vocant illam, quæ eſt informata quantitate, ſtatque ſub dimenſionibus terminatis, v.g. longitudinis, latitudinis, & profunditatis, & hoc vel actu, vel aptitudine, aut radicaliter, ſeu fundamentaliter: vel prout quantitas eſt dividens, & ſeparans, ut loquitur Jo. à S.Th. Hoc ſuppoſito quærimus, an individuatio ſit à materia nuda, vel ſignata.

CONCLUSIO I.

MAteria nuda non eſt principium Individuationis. Ita Doctor [1] cum ſuis, & aliis etiam Thomiſtis contra alios Thomiſtas.

Prob. 1. ex Ariſt [1] & Scoto. Nam ille cognovit, animam habere ſuam ſingularitatem, & corpus, quod eſt materia, habere ſuam. *Palam autem, quòd anima eſt quędam ſubſtantia prima: corpus autem materia: homo verò, aut animal, quod ex utriſque eſt, univerſale, ſed Socrates, & Coriſcus, ut ſingulariter... Anima hæc, & corpus hoc*, ergo ex Philoſopho, tàm forma, quàm materia habet ſuam individuationem, ſed non de ſe, quia utraque ſimul componit totum hominem, quia homo, qui ex utraque coaleſcit, non eſt ſingularis, ſed univerſalis, ergo individuatio non venit ex ſola materia.

Prob. 2. ex Trombeta [3] authoritate univerſitatis Pariſienſis, quæ duobus articulis hanc opinionem da-

[1] 2.d.5.q.5. [1] *Metaph. t.* 39. *n.* 96.
[3] *Trombeta* 5. *Metaph. q.* 5. *a.* 2.

damnavit, quorum primus ſic habet, *ſi quis dixerit, Deum non poſſe multiplicare formas ſine materia, error.* 2. verò : *qui dixerit, formam non accipere diviſionem ſine materia*, *error*, ergo forma habet ſuam individuationem ab alio, quàm à materia.

Prob. 3. ratione deducta ex citata authoritate Philoſophi. Nam materia eſt pars eſſentialis naturæ ſpecificæ, etiam ex D. Thoma; ſed pars eſſentialis naturæ ſpecificæ non eſt principium individuationis, ergo nec materia. Probatur minor. Nam, etiam ex Thomiſtis, ſingularitas eſt extra eſſentiam naturæ ſpecificæ, & tota ipſa eſſentia, & partes ejus, ut tales, ſunt communicabiles; ſunt rationes convenientiæ; ergo non poteſt venire ex parte eſſentiali.

Prob. 4. Quia ex Thomiſtis materia non eſt quid diſtinctum, ſed confuſum cum forma, & exiſtens per formam; ergo non poteſt eſse principium individuationis, quo res una diſtinguatur ab alia realiter.

Prob. denique ex Doct. Eadem numero materia poteſt eſſe ſucceſſivè in duobus individuis, ergo materia non eſt principium ſingularitatis. Patet conſeq. Nam ſingularitatis principium ſic debet eſſe proprium rei, quam individuat, ut non communicetur alteri individuo. Prob. ergo ant. Nam eadem materia eſt in compoſito generato, & in compoſito corrupto, v.g. eadem in homine vivente, & corpore animato, & in cadavere mortuo, ergo, &c.

Objic. 1. ex Ariſt. Unum numero ſunt, *quorum materia eſt una*. Item, *cælum*, *ut ſic*, *eſt forma*, *hoc verò cælum eſt materia*, &c. ergo ex Ariſt. ſingularitas petitur ex materia. [1]

Reſp. neg. conſeq. Nomine enim materiæ Philoſophus aliquando intelligit genus, quod eſt materia Metaphyſica reſpectu differentiæ; ut cùm dicit, quòd *homo*, *equus*, *& canis ſunt unum*, *ſicut ea ſunt unum*, *quorum materia eſt una*; aliquando per formam intelligit eſsentiam, quæ eſt forma totius, & per materiam, individuum, quod, velut materia, in ſe recipit formam illam, & eam determinat, & omnibus prædicatis quidditativis ſubjacet, ut cùm loquitur de cœlo: nec enim ibi materiam, & formam uſur-

[1] *5. Metaph. c. de una text. 12.*

pat in rigore phyſico, quia ipſe cenſet cœlos eſse corpora ſimplicia, aliquando pro parte ſubjicibili compoſiti, & receptiva formæ, quæ acceptio eſt maximè propria: unde, cùm individuum vocat materiam, non loquitur de materia, quæ eſt pars eſsentialis compoſiti, ſed de individuo, quod eſt veluti receptivum eſsentiæ, ſeu quidditatis, & formæ totius.

Objic. 2. Illud eſt principium individuationis, quod eſt principium multiplicationis, & diſtinctionis individuorum: ſed multiplicatio, & diſtinctio hæc venit à materia; ergo &c. Maj. patet. Nam idē eſt principium diſtinctivum, & conſtitutivum. Prob. min. ex Philoſopho citato dicente, quòd generans non generat aliud, niſi propter materiam, & quòd, quæ non habent materiam, non poſſunt multiplicari, ergo materia eſt principium diſtinctionis, & multiplicationis, & per conſeq. individuationis.

Reſp. diſt. maj. Quod eſt principium diſtinctionis *formale, radicale, primum*, & *proximum*, conc. maj. & min. materiale, & remotum, n. maj. Materia autem non eſt principium formale, nec id probant authoritates illæ Philoſophi; tum quia non loquitur de materia, ut eſt pars Phyſica compoſiti, tum quia falſum eſt, diſtinctionem geniti à generante magis peti à materia, quàm à forma, tum quia falſum eſt non dari naturas immateriales ſingulares, & multiplicatas, ut ſuppono ex dicendis de Angelis.

Inſt. Subjicibilitas, & incommunicabilitas venit à materia, ergo & individuatio. Prob. ant. Quia materia eſt primum ſubjectum omnium formarum, & non eſt receptibilis, ergo ſubjicibilitas, & incommunicabilitas, ſeu irreceptibilitas venit à materia: quia per illam tam forma, quàm compoſitum fiunt irreceptibilia in alio, & ſic incommunicabilia. Prob. hæc conſeq. Materia eſt primum ſubjicibile aliis omnibus prædicatis, & primum non receptibile in alio, ergo eſt cauſa, cur alia omnibus ſubjiciantur, & in nullo ſint receptibilia.

Reſp. diſt. ant. 1. 2. & 3. argumenti. Subjicibilitas, & incommunicabilitas, ſeu irreceptibilitas materialis, & phyſica, conc. ant. ſubjicibilitas formalis, & logica, aut metaphyſica, n. ant. & conſeq. Subjicibilitas materialis, & phyſica conſiſtit in potētialitate phyſica ma-

materiæ ad formas, per quas actuatur, & perficitur in ordine ad conſtituendum totum compoſitum, ut compars, & hæc ſubjicibilitas; & irreceptibilitas convenit toti compoſito ratione materiæ: formalis verò, & Logica, vel Metaphyſica non conſiſtit in illa partialitate, ſed potiùs in aliqua actualitate totali, quatenùs natura aliqua completa colligit in ſe genera, ſpecies, differentias, & gradus ſuperiores, quæ de illa prædicari poſſunt, & individuatio, ſeu incommunicabilitas ſeu irreceptibilitas ejuſdem conſiſtit in eo, quòd ipſa non habet inferiora, de quibus prędicetur ſic hoc, ut in iis inexiſtat per ſui multiplicationem ſpecificam, ut animalitas, aut numericam, ut humanitas.

CONCLUSIO II.

M*ateria ſignata non eſt principium individuationis.* Eſt Doctoris cum ſuis contra alios Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Impoſſibile eſt, aliquid dependens naturaliter à poſteriori eſſe idem ei, à quo dependet à priori naturaliter, quia tunc eſſet prius, & non prius: ſed ſubſtantia eſt prior naturaliter quantitate, per eos (*adverſarios*) ergo nihil cauſatur per quantitatem*, ſive *qualitercumque præexigens naturam quantitatis (*ut facit materia ſignata in ſenſu adverſariorum*) poteſt eſſe item ſubſtantia, ergo iſta ſignatio non eſt idem ſubſtantiæ, licet cauſata ſit à quantitate. Prob. maj. Ubi eſt vera, & realis identitas, licèt non ſit formalis, ibi impoſſibile eſt hoc eſſe, & illud non eſſe: quia tunc idem realiter eſſet, & non eſſet: ſed poſſibile eſt prius naturaliter eſſe ſine poſteriori naturaliter, ergo multo magis abſque eo, quod derelictum eſt, vel cauſatum à naturaliter poſteriori.*

Prob. 2. ex dictis de accidentibus. Nam materia ut ſignata, eſt ens per accidens, eſt compoſitum ex rebus diverſorum prædicamentorum, nempè ex ſubſtantia, & quantitate, quæ eſt accidens, ergo, ut ſignata, non poteſt poni in rectà linea prædicamenti ſubſtantiæ, ſicut ponitur individuum, verbi gratia, Petrus, abſurdum ergo eſt dicere ſub-

[1] *in 2. d. 3. q. 2. ſ. n. 9.*

formaliter, & præciſè ab hæcceitate Petri, quàm hęcceitas Petri ab hæcceitate Pauli. Hæcceitates enim omnes ſunt primò diverſę, & ſic æqualiter inter ſe differunt.

Objic. 3. Si hæcceitas eſt quid formaliter ſuperadditum naturæ communi, vel invenit conſtitutam in ſuo eſse, vel illam ſic conſtituit: ſed neutrum dici poteſt, ergo non eſt quid ſuperadditum naturæ. Prob. min. 1. Si invenit conſtitutam, ergo & ſingularem; quod enim in ſuo eſse eſt conſtitutum, & perfectum, nihil ei deeſt ad perfectionem. 2. Si conſtituit, ergo eſt de illius eſſentia.

Reſp. hæcceitatem advenire naturæ in ſuo eſſe eſſentiali conſtitutæ, & eam conſtituere in ſuo eſse ſingulari, & ſic neg. min.

Inſtabis 1. Advenit naturæ eſsentialiter conſtitutæ, ergo & ſingulari. Antec. patet ex reſponſione. Probatur conſeq. Quod habet rationem potentiæ ad aliud, ut ad actum, eſt ſingulare, ſicut & actus: ſed natura haberet rationem potentiæ ad hæcceitatem, ut ad actum, ergo eſset ſingularis.

Reſp. neg. conſeq. & diſt. maj. prob. Quod habet rationem potentiæ phyſicæ ad actum phyſicum, conc. maj. potentiæ metaphyſicæ ad actum metaphyſicum, neg. maj. Natura ergo ſpecifica habet rationem potentiæ aliquo modo ad individuationem, ſed illa eſt potentia metaphyſica, & iſta eſt actus metaphyſicus. Aliud eſt de materia, & forma phyſica, utraque habet ſuam ſingularitatem; actus phyſicus ſupponit materiam præexiſtentem; non ita eſt de actu metaphyſico, ut eſt ſingularitas.

Inſt. 2. Actus ſingularis ſupponit potentiam ſingularem: ſed hæcceitas eſt actus ſingularis, ergo & natura.

Reſp. diſt. maj. Actus ſingularis, *ut quod*, conc. maj. actus ſingularis, *ut quo*, neg. maj. Hæcceitas eſt actus ſingularis, *ut quo*, ſeu potiùs ipſa ſingularitas, qua natura individuatur.

Objic. 4. Natura exiſtens, præciſa omni ſingularitate diſtincta, includit omnem perfectionem, quam diceret ſingularitas diſtincta, ergo hæc fruſtrà aſseritur. Patet conſeq. Nec enim ſunt multiplicanda

entia

entia, nec formalitates ſine neceſsitate. Prob. ant. Exiſtentia ſupponit ſingularitatem, ergo natura exiſtens dicit omnem perfectionem, quam diceret ſingularitas diſtincta.

Reſp. in noſtra ſententia, qui unicam tribuimus exiſtentiam naturæ individuæ, conc. ant. & neg. conſeq. Nam hoc ipſo, quòd dicitur in anteced. *natura exiſtens*, intelligitur, aut ſupponitur ſingularitas, quæ eſt formalitas ſuperaddita, & modus intrinſecus naturæ: nam exiſtentia eſt modus entis, ſeu naturæ individualiter determinatæ, & per conſequens ſingularis, quod meliùs explicabitur quæſtione ſequenti.

QUÆSTIO VII.

An Principium Individuationis ſit quid diſtinctum ab exiſtentia naturæ; an quid negativum purè, an quid poſitivum.

Vidimus ſupra, nullam rem exiſtere poſſe, niſi ſit ſingularis, & ex definitione individui conſtat, quòd importat negationem diviſionis in plura, in quibus multiplicetur, & quorum quodlibet ſit ipſum; eſt enim quædam unitas, quæ dicitur numerica, quæ per conſequens importat perfectiſſimam indiviſionem rei in ſe, & diviſionem maximam ab omni alio. Hic videndum 1. an exiſtentia ſit ipſa individuatio rei; an vero individuatio ſit aliquid prius, & diſtinctum formaliter ex natura rei ab exiſtentia; 2. an individuatio, ſeu principium ejus ſit pura negatio; an verò primariò conſiſtat in aliqua entitate poſitiva, ex qua ſequatur talis negatio diviſibilitatis.

CONCLUSIO I.

Principium individuationis eſt quid diſtinctum ab exiſtentia; ſeu quod idem eſt, natura non conſtituitur ſingularis, & individua præcisè, & formaliter, aut etiam radicaliter per exiſtentiam. Eſt Doctoris ex profeſſo cum ſuis, & aliis.

Prob. 1. ex Scoto. *Quod non eſt ex ſe diſtinctum, & determinatum, non poteſt eſſe primum diſtinguens,*

vel determinans aliud: ſed eſſe exiſtentiæ eo modo, quo diſtinguitur ab eſſe eſſentiæ, non eſt ex ſe diſtinctum, nec determinatum: eſſe enim exiſtentiæ non habet proprias differentias alias à differentiis eſſe eſſentiæ, quia tunc oporteret ponere coordinationem (prædicamentalem, ſeu in aliqua linea prædicamentali) *exiſtentiarum aliam à coordinatione eſſentiarum; ſed* (exiſtentia) *præcisè determinatur ex determinatione alterius* (ſc. differentiæ eſſentialis, & individualis) *igitur non determinat aliquid aliud*, ergo, ex Scoto, principium individuationis non petitur ab exiſtentia, quia ſingularitas eſt determinativa, & diſtinctiva rerum; non autem exiſtentia; & potiùs ſupponit diſtinctionem, ac determinationem, etiam individualem eſſentiarum in tota ſua coordinatione, quàm faciat.

Et confirmatur hoc ex eodem. Nam, ut patet ex dictis in Logica, & ex arbore prædicamentali habetur tota coordinatio eſsentialis, & directa generum, & ſpecierum à ſupremo uſque ad individua, & lateralis omnium differentiarum diviſivarum, & conſtitutivarum abſque ulla mentione exiſtentiæ, ergo exiſtentia ſupponit individuationem potiùs, quàm faciat illam, nec formaliter, nec radicaliter, quod enim eſt poſterius alio, non facit illud nec formaliter, nec radicaliter.

Prob. 2. ex eodem. Nam idem quæritur de exiſtentia, ac de natura quoad individuationem, ſc. per quid fiat hæc, ergo non eſt principium individuationis. Prob. ant. Exiſtentia, quantùm eſt de ſe, eſt communis, & indifferens ad plura; reperitur in ſingulis individuis ſecundum eandem penitus rationem, & conceptum formalem, ergo non eſt ratio diſtinctiva illorum.

Obijc. 1. Ultima diſtinctio eſt per ultimum actum: ſed individuatio eſt ultima diſtinctio rerum, & exiſtentia rei eſt ultimus actus, ergo exiſtentia eſt principium individuationis.

Reſp. cum Scoto, [1] d. maj. Ultima diſtinctio in linea, & coordinatione prædicamentali eſt per ultimum actum in eadem coordinatione, conc. maj. per ultimum actum extra illam coordinationem, neg. maj. Exi-

[1] *ibid. n. 3.*

Exiſtentia autem eſt ultimus actus rerum, ſed poſterior, & extra totam coordinationem prædicamentalem, & maximè, quia eſt contingens. Loquor de exiſtentia actuali, ſingularitas verò eſt modus intrinſecus naturæ, & conſtitutivus individui.

Reſp.2.d. min. Individuatio eſt ultimum diſtinctivum, & ultimus actus, per quem res per ſe primò ultimatè diſtinguuntur abſolutè, tàm quoad eſſe poſſibile, quàm quoad actuale, & exiſtentia eſt ultimus actus rei ſingularis quoad eſse actuale tantum, conc. min. exiſtentia eſt ultimus actus disjunctivus rei quoad eſse poſſibile, neg. min. & conſeq. Nam ultimus actus quoad eſse actuale ſupponit ſingularitatem, ſicut & alias omnes perfectiones intrinſecas, & diſtinctivas rerum.

Objic.2. Illud eſt principium individuationis, ad quod generatio terminatur: ſed generatio terminatur ad individua, ut exiſtentia, ergo exiſtentia eſt principium individuationis. Prob.min. Generationis terminus eſt res actualis, ſive ut in actu, ergo, &c.

Reſp.neg. maj. ſaltem præciſè formaliter, & reduplicativè. Nam ſufficit, quòd illud ſit principium individuationis, ad quod generatio terminatur ſaltem concomitanter; & hoc ſenſu terminatur tam ad eſse ſingulare, quàm ad eſse exiſtentiæ: totum enim individuum ponitur in eſse per generationem.

CONCLUSIO II.

PRincipium *individuationis non conſiſtit in pura negatione, ſed in entitate poſitiva, ſaltem primariò*. Eſt etiam Doctoris, & ſuorum.

Prob. 1. ex Scoto, qui ſic proponit, & reſolvit hanc „ quæſtionem, [1] *quid ſit in hoc lapide*, per quod, ſic „ ut per fundamentum proximum, ſimpliciter repu„gnat ſibi dividi in plura, quorum quodlibet ſit „ipſum, qualis diviſio eſt propria toti univerſali in „ſuas partes ſubjectivas. Hoc modo intelligendo, „ probo, quod non ſit aliquod individuum forma„liter per negationem, vel privationem. Primò, quia „ nihil ſimpliciter repugnat alicui enti per ſolam pri„ vationem in eo, ſed per aliquid poſitivum in eo.

[1] *ibid. q.2. D.n.2.A.*

Digitized by Google

„ Igitur dividi in partes ſubjectivas non repu- „ gnat huic lapidi in eo, quod eſt quoddam ens per „ aliquas negationes. Prob. ant. Quia, quantumcum- „ que negatio tollat potentiam proximam ad agere, „ & pati, ut per hoc idem ens, in quo eſt negatio, ca- „ reat potentia proxima ad aliquid, non tamen ponit „ formalem repugnantiam illius entis ad aliquid „ ... exemplum ... ſi non habere viſum tollat po- „ tentiam proximam ad videndum, non tamen fa- „ cit repugnantiam ſimpliciter ad videre, quia poteſt „ ſtare eadem natura poſitiva, in qua fuit hęc negatio „ & poteſt ſibi ineſse oppoſitū illius negationis (*ſc. habere viſum*) ſine repugnantia ex parte naturæ.

„ Ita eſt in propoſito, cùm iſte ponat naturam ex ſe „ non eſse unam, & individuam, nunquam tamen „ per aliquam negationem poſitam in natura repu- „ gnabit ſibi formaliter dividi, & ita nunquam erit „ aliquod ens poſitivum in rebus, quod ſit completè „ individuum.

„ Confirmatur hoc argumento. Nulla imperfe- „ ctio repugnat alicui, niſi propter aliquid poſitivum „ in eo; ita quòd nulla imperfectio repugnat alicui, niſi „ propter aliquam perfectionem, quæ eſt aliquid po- „ ſitivum, & entitas poſitiva: ſed dividi eſt quæ- „ dam imperfectio, & ideò non poteſt competere na- „ turæ divinæ, ergo indiviſibilitas, quam importat ſingularitas, eſt quid poſitivum, in quo fundatur illa negatio, & repugnantia diviſibilitatis.

Sic poſſet firmari totus ille Doctoris diſcurſus. Omnis negatio, quæ eſt repugnantiæ, ſeu, quæ eſt ſeparabilis à ſubjecto, præſupponit in eo aliquid poſitivum, in quo illa fundetur: ſed indiviſibilitas, quam importat individuatio, eſt negatio repugnantię, & inſeparabilitatis à natura ſingulari, ergo ſupponit in illa aliquod poſitivum, in quo talis negatio fundetur.

Prob. 2. & ſimul confirmatur præcedens argumentum. Quia nihil fit perfectius per puram negationem: ſed natura fit perfectior per individuationē, ergo individuatio non eſt pura negatio, ſed quid poſitivum. Prob. min. Prima ſubſtantia eſt perfectior ſecunda (quæ eſt natura communis) ſed ſubſtantia fit prima per individuationem, ergo fit perfectior.

Prob,

Digitized by Google

Prob.3. Certum eſt, in Petro eſſe aliquid poſiti-um, quod non eſt in Paulo, & per quod diſtinguitur à bipſo: ſed illud poſitivum non eſt natura, ſeu humanitas; quia per hanc potiùs ſunt unum, ergo eſt ndividuatio, ergo individuatio eſt quid poſitivum.

Objic.1.Negatio diviſibilitatis ſufficienter fundatur immediatè in natura, ergo fruſtra aſſeritur aliud fundamentum poſitivum ſuperadditum. Conſeq. patet. Quia non ſunt multiplicandæ entitates ſine neceſſitate. Prob. ant. Illa negatio eſt indiviſibilitas naturæ in plura: de quibus prędicatur cum ſui multiplicatione: ſed humanitas, quæ eſt in Petro, ex ſe talis eſt, ergo, &c. Prob.min. Ex ſe ſic eſt Petri, ut nequeat eſſe Pauli, nec Joannis, ergo, &c.

Reſp.neg.ant.& min.probationis cum antecedente ſic diſtinguo. Eſt ſic indiviſibilis realiter, ſc. ratione Petreitatis, cui realiter identificatur, conc. min.& ant. ratione ſui præciſè, & formaliter, neg. min. & ant. imò ex ſe formaliter, & præciſè eſt ad minus indifferens ad eſſe in Petro, aut Paulo; ſaltem nullum horum includit. Humanitas de ſe eſt tantùm humanitas, ſicut equinitas de ſe eſt tantùm equinitas, & non determinatur, niſi per Petreitatem.

Obiic.2. Non poteſt aſſignari, quid ſit illud poſitivum ſuperadditum, ergo non debet aſſeri. Prob. ant. Non enim eſt nec exiſtentia, nec quantitas, nec materia, nec forma, nec ullum accidens, ergo &c.

Reſp. neg.ant.& ad prob. reſpondebitur ſequentibus quæſtionibus, in quibus examinabimus, quid non ſit, & quid ſit.

Objic.3.Natura fit individua formaliter per indiviſionem: ſed indiviſio formaliter non eſt niſi negatio diviſionis, ergo individualiter conſiſtit in negatione.

Reſp.diſt.maj. Fit, ideſt explicatur individualitas per negationem diviſibilitatis, conc.maj. fit, ideſt, conſiſtit primariò in illa negatione, neg. maj. & ſimiliter diſt.min. Natura fit individua per entitatē, per quam conſtituitur, & determinatur ad ultimum gradum prædicamentalem, & id non poteſt eſſe pura negatio, quia negationes non ingrediuntur per ſe talem lineam, tamen ſolet explicari per negationem, ut nobis magis cognitam, ſed id non impedit, quin fundetur in poſitivo.

QUÆSTIO VII.

An quantitas, vel aliquod aliud accidens ſit principium Individuationis.

Quia ſolent deſignari individua, & diſtingui ex accidentibus externis, ut notavimus in Logica, nempe *forma*, *figura*, *locus*, *ſtirps*, *nomen*, *patria*, *tempus*, quatenus nunquam omnia reperiuntur ſimul, & eadem in duobus entibus realibus; ideò quæri ſolet, an illa omnia collectivè, an ſaltem diviſivè ſint principium verum, & intrinſecum individuationis.

Porro Principium Individuationis aliud eſt *formale*, & *proximum*, per quod proximè, & formaliter natura fit incommunicabilis pluribus, in quibus multiplicetur, & quorum quodlibet ſit ipſum: aliud *remotum*, & *radicale*, ratione cujus competit naturæ illud formale, & proximum, & aliud *extrinſecum*, per quod diſcernitur unum individuum ab alio, ut ſunt accidentia quædam externa, & circumſtantiæ loci, & temporis, de quibus mox dicebamus. Non eſt autem quæſtio de hoc tertio: certum eſt enim, ſingularia diſcerni per hujuſmodi accidentia: ſed controverſia maximè eſt de *radicali*, & *formali*, de quo ſunt tot ſenſus ferè, quot capita.

CONCLUSIO I.

Accidentia illa neque collectivè, neque ullum ex illis ſeorſim eſt principium formale, aut radicale individuationis. Eſt Doctoris, & ſuorum.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Quia idem individuum ſubſtantiæ manet, non obſtante quacunque mutatione accidentium; *ſubſtantia actu exiſtens*, inquit, *non mutata per aliquam tranſmutationem ſubſtantialem non poteſt fieri de hac non hæc; quia iſta ſingularitas non poteſt ineſſe alia, & alia eidem, non ſubſtantiæ manenti eædem, non ſubſtantialiter mutatæ, ſed ſubſtantia actu exiſtens, nulla ſubſtantiali mutatione facta in ipſa, poteſt ſine contradictione eſſe ſub alia,*

[1] *ibid. q.4. A. n. 3.*

lia, & alia quantitate, & quocumque accidente abſoluto, ergo nullo tali modo fit formaliter hæc ſubſtantia hac ſingularitate ſignata. Min. patet; quia non eſt contradictio, quòd Deus ſubſtantiam quantam iſta quantitate eandem conſervet, & informet eam alia quantitate, nec propter hoc ſubſtantia illa actu exiſtens mutabitur mutatione ſubſtantiali, quia non erit mutatio, niſi à quantitate ad quantitatem. Similiter ſi mutetur à quocumque accidente ſine mutatione ſubſtantiali, &c.

Prob. 2. ex eodem. Quia ſubſtantia ſecundum totam coordinationem prædicamentalem eſt prior omni accidente, ergo antecedenter ad omne accidens eſt individua. Prob. conſeq. Nam individuum eſt in recta linea, & ultimo gradu prædicamentalis coordinationis abſque ullo ente alterius prædicamenti, qualia ſunt omnia accidentia, quæ conſtituunt diverſum prædicamentum.

Confirmatur. Quia nihil poteſt poni in linea unius prædicamenti per rem alterius, ſed individuum humanum, v. g. Petrus, eſt in Linea prædicamenti ſubſtantiæ, ergo non poteſt conſtitui per quantitatem, aut ullum aliud accidens in illo prædicamento, quia illa omnia ſunt res aliorum prædicamentorum,

Prob. 3. Quia omne accidens reale, & exiſtens ſubjectatur in ſubſtantia reali, exiſtenti, ac ſingulari. ergo ſubſtantia eſt priùs ſingularis, quàm ullum accidens in ea recipiatur.

Confirm. Quia & ipſa quantitas, & quodcumque aliud accidens, ut individuet ſubſtantiam, debet priùs eſſe in ſe individuatum. Per quid? non enim per ſuam eſſentiam præciſè, ergo per aliquid ſuperadditum. Per quid igitur?

Objic. ex Sanctis Patribus, & Philoſopho, qui aſſerunt, individuationem peti ab accidentibus externis, ut Boetius: *in numero differentiam variabilitas accidentium facit*; & Damaſcenus: *omnis res, in qua differt hypoſtaſis ab ejuſdem ſpeciei hypoſtaſi, dicitur adventitia differentia*, id eſt, accidentalis, ut homo longus differt à brevi: & Ariſtoteles: *naturæ, quæ eget materia ad ejus eſſe, adveniunt accidentia, & diſpoſitiones extrinſecæ, per*

Digitized by Google

quas individuatur, ergo individuatio petitur ab accidentibus extrinſecis.

Reſp.d.conſeq.Individuatio ſecundaria,& externa conc. conſeq. primaria, & intrinſeca,n.conſeq.Illæ autem auctoritates loquuntur de ſecundaria, & externa; fuſiorem explicationem illorum habes in Scoto. [1]

Objic. 2. Individua ejuſdem ſpeciei non differunt ſubſtantialiter, ergo differunt per accidentia, non per differentias ſubſtantiales. Prob.conſeq. Quæ differunt per differentias ſubſtantiales, differunt eſſentialiter, ergo individua ejuſdē ſpeciei differunt per accidentia.

Reſp. diſt.ant.Non differunt ſubſtantialiter, id eſt, per differentias eſsentiales formaliter, & abſolutè, conc. ant. ideſt, per differentias eſsentiæ, ſeu ſubſtantiæ rerum identificatas, neg. ant. & diſt. conſeq. Si per accidentia intelligas identitates, ſeu formalitates extra eſsentiam rei,conc. conſeq. ſi intelligas entitates contingenter advenientes, & ſeparabiles, ſeu realiter diſtinctas, neg. conſeq. Igitur ſingularitas eſt extra eſsentiam rerum, & hoc ſenſu dici poteſt accidentalis, ſed eſt identificata ſubſtantiæ, ſeu eſſentiæ, & hoc ſenſu dici poteſt ſubſtantialis, prout ſubſtantiale dicitur, quicquid neceſsariò, & inſeparabiliter identificatur ſubſtantiæ rei.

Objic. 3. Quantitatem dividi numericè, ſeu in partes ejuſdem rationis, eſt proprietas quantitatis: ſed in illa diviſione numerica conſiſtit tota ratio individuationis, ergo individuatio petitur à quantitate. Patet min.Nam hæcceitates, ſeu ſingularitates nihil ſunt aliud, quàm differentiæ numericæ: & quæ individualiter differunt, ſolo numero differunt. Maj.etiam patet ex dictis de Quantitate in Logica.

Reſp. diſt. maj. Dividi in partes integrantes ejuſdem rationis venit à quantitate, tranſeat maj. & neg.min.Nam ex dictis in Logica conſtat, etiam ſubſtantiam materialem eſſe diviſibilem in ſe, & habere partes entitativas: ſed id non facit ad propoſitum; dividi in partes ſubjectivas,neg.maj.& conſeq.conceſsa min. Diximus, duplex eſſe totum, unum *potentiale*, ut genus reſpectu ſpecierum, quas continet ſub ſe, & ſpecies reſpectu ſuorum individuorum, quæ ſimiliter continet potentialiter, & ſub ſe, & in illa eſt,

[1] *ibid. n.*18. 19. & 20.

Digitized by Google

eſt diviſibile , ut totum potentiale ; & individua ſunt partes ejus ſubjectivæ : alterum eſt *quantitativum* , conſtans , & diviſibile in partes integrantes , ut numerus ternarius in tres unitates , baculus bipedalis in duas partes pedales , &c. Prior diviſio venit ab individualitate, poſterior eſt propria quantitati in ſenſu , quem diximus in Logica .

Inſt. Duæ illæ partes baculi differunt etiam individualiter, ſed non differunt individualiter , niſi per diviſionem quantitativam , ergo differentia individualis venit à quantitate .

Reſpondeo diſt. maj. Differunt individualiter per differentias individuales , ſibi proprias , & numero, & ſeparatione, conc. maj. & neg. min. per ſolam diviſionem totius baculi integralis , neg. maj. Duplex ibi eſt diviſio baculi una totius ſpecifici in partes ſubjectivas , & hęc fit per differentias individuales , quæ præcedit actualem , & quantitativam , & eſt multitudo entitativa : alia totius quantitativi , & integralis in ſuas partes integrales , & venit à quantitate . Exemplum clarius eſt in aqua: nam ante diviſionem unius aquæ in 10. aut 20. guttas, illæ guttæ diſtinguuntur numericè, & entitativè tantùm, quandiu aqua eſt indiviſa ; ſed poſt diviſionem diſtinguuntur etiam extrinſecè, & ſenſibiliter.

Inſt. 2. Diſtinctio individualis eſt ipſa diſtinctio numerica;ſed numerica eſt à quantitate,ergo & individualis .

Reſp.d.maj.ut ſuprà. Eſt ipſa diſtinctio numerica , entitativa,conc.maj.quantitativa, neg. maj. & conſeq. Ratio patet ex præcedentibus .

Inſt. 3. ex Ariſt. [1] *Unum eſt,quod indiviſibile eſt; omne verò indiviſibile, aut ſecundũ quantũ,aut ſecundũ ſpeciẽ*,ergo diviſibilitas ſpeciei venit à quantitate .

Reſp.n. conſeq. imò magis confirmat noſtram ſententiam de duplici diviſibilitate rerum , quia,ut notat Scotus , *indiviſibile dicitur dupliciter* , *vel ſecundum quantitatem* , *ut punctum* , *vel ſecundum ſpeciem* , *puta quod non dividitur in plures ſpecies* , ergo è contra diviſibilitas ſpeciei in plura individua differt à diviſibilitate quanti in plures pares partes quantitativas , & integrales.

[1] 3. *Metaph. text.* 11. [2] *ibid. n.* 40.

Digitized by Google

QUÆSTIO IX.

An principium individuationis ſumatur à Materia.

PEr materiam intellige partem illam compoſiti phyſici, quæ eſt ſubjectum, ac velut ſuſtentaculum tam formæ principalis, quàm accidentium omnium, quæ in toto compoſito reperiuntur. Thomiſtæ, qui eam faciunt principium individuationis, conſiderant illam, 1. ut *nudam*, & abſolutè ſecundum ſe abſque ullo reſpectu, vel informatione quantitatis, vel alterius accidentis realis. 2. ut *ſignatam*, & *materiam ſignatam* vocant illam, quæ eſt informata quantitate, ſtatque ſub dimenſionibus terminatis, v.g. longitudinis, latitudinis, & profunditatis, & hoc vel actu, vel aptitudine, aut radicaliter, ſeu fundamentaliter: vel prout quantitas eſt dividens, & ſeparans, ut loquitur Jo. à S. Th. Hoc ſuppoſito quærimus, an individuatio ſit à materia nuda, vel ſignata.

CONCLUSIO I.

M*Ateria nuda non eſt principium Individuationis*. Ita Doctor [1] cum ſuis, & aliis etiam Thomiſtis contra alios Thomiſtas.

Prob. 1. ex Ariſt [1] & Scoto. Nam ille cognovit, animam habere ſuam ſingularitatem, & corpus, quod eſt materia, habere ſuam. *Palam autem, quòd anima eſt quędam ſubſtantia prima: corpus autem materia: homo verò, aut animal, quod ex utriſque eſt, univerſale, ſed Socrates, & Coriſcus, ut ſingulariter ... Anima hæc, & corpus hoc*, ergo ex Philoſopho, tàm forma, quàm materia habet ſuam individuationem, ſed non de ſe, quia utraque ſimul componit totum hominem, quia homo, qui ex utraque coaleſcit, non eſt ſingularis, ſed univerſalis, ergo individuatio non venit ex ſola materia.

Prob. 2. ex Trombeta [3] authoritate univerſitatis Pariſienſis, quæ duobus articulis hanc opinionem da-

[1] 2.d.5.q.5. [1] *Metaph. t.39.n.96.*
[3] *Trombeta 5. Metaph. q.5. a.2.*

Digitized by Google

damnavit, quorum primus ſic habet, *ſi quis dixerit, Deum non poſſe multiplicare formas ſine materia, error.* 2. verò: *qui dixerit, formam non accipere diviſionem ſine materia, error*, ergo forma habet ſuam individuationem ab alio, quàm à materia.

Prob. 3. ratione deducta ex citata authoritate Philoſophi. Nam materia eſt pars eſſentialis naturæ ſpecificæ, etiam ex D. Thoma; ſed pars eſſentialis naturæ ſpecificæ non eſt principium individuationis, ergo nec materia. Probatur minor. Nam, etiam ex Thomiſtis, ſingularitas eſt extra eſſentiam naturæ ſpecificæ, & tota ipſa eſſentia, & partes ejus, ut tales, ſunt communicabiles; ſunt rationes convenientiæ; ergo non poteſt venire ex parte eſſentiali.

Prob. 4. Quia ex Thomiſtis materia non eſt quid diſtinctum, ſed confuſum cum forma, & exiſtens per formam; ergo non poteſt eſſe principium individuationis, quo res una diſtinguatur ab alia realiter.

Prob. denique ex Doct. Eadem numero materia poteſt eſſe ſucceſſivè in duobus individuis, ergo materia non eſt principium ſingularitatis. Patet conſeq. Nam ſingularitatis principium ſic debet eſſe proprium rei, quam individuat, ut non communicetur alteri individuo. Prob. ergo ant. Nam eadem materia eſt in compoſito generato, & in compoſito corrupto, v.g. eadem in homine vivente, & corpore animato, & in cadavere mortuo, ergo, &c.

Objic. 1. ex Ariſt. Unum numero ſunt, *quorum materia eſt una*. Item, *cœlum, ut ſic, eſt forma, hoc vero cœlum eſt materia*, &c. ergo ex Ariſt. ſingularitas petitur ex materia. [1]

Reſp. neg. conſeq. Nomine enim materiæ Philoſophus aliquando intelligit genus, quod eſt materia Metaphyſica reſpectu differentiæ; ut cùm dicit, quòd *homo, equus, & canis ſunt unum, ſicut ea ſunt unum, quorum materia eſt una*; aliquando per formam intelligit eſſentiam, quæ eſt forma totius, & per materiam, individuum, quod, velut materia, in ſe recipit formam illam, & eam determinat, & omnibus prædicatis quidditativis ſubjacet, ut cùm loquitur de cœlo: nec enim ibi materiam, & formam uſur- L 6 pat

[1] 5. *Metaph. c. de una text.* 12.

Digitized by Google

pat in rigore phyſico, quia ipſe cenſet cœlos eſse corpora ſimplicia, aliquando pro parte ſubjicibili compoſiti, & receptiva formæ, quæ acceptio eſt maximè propria: unde, cùm individuum vocat materiam, non loquitur de materia, quæ eſt pars eſsentialis compoſiti, ſed de individuo, quod eſt veluti receptivum eſsentiæ, ſeu quidditatis, & formæ totius.

Objic. 2. Illud eſt principium individuationis, quod eſt principium multiplicationis, & diſtinctionis individuorum: ſed multiplicatio, & diſtinctio hæc venit à materia, ergo &c. Maj. patet. Nam idē eſt principium diſtinctivum, & conſtitutivum. Prob. min. ex Philoſopho citato dicente, quòd generans non generat aliud, niſi propter materiam, & quòd, quæ non habent materiam, non poſſunt multiplicari, ergo materia eſt principium diſtinctionis, & multiplicationis, & per conſeq. individuationis.

Reſp. diſt. maj. Quod eſt principium diſtinctionis *formale, radicale, primum*, & *proximum*, conc. maj. & min. materiale, & remotum, n. maj. Materia autem non eſt principium formale, nec id probant authoritates illæ Philoſophi; tum quia non loquitur de materia, ut eſt pars Phyſica compoſiti, tum quia falſum eſt, diſtinctionem geniti à generante magis peti à materia, quàm à forma, tum quia falſum eſt non dari naturas immateriales ſingulares, & multiplicatas, ut ſuppono ex dicendis de Angelis.

Inſt. Subjicibilitas, & incommunicabilitas venit à materia, ergo & individuatio. Prob. ant. Quia materia eſt primum ſubjectum omnium formarum, & non eſt receptibilis, ergo ſubjicibilitas, & incommunicabilitas, ſeu irreceptibilitas venit à materia: quia per illam tam forma, quàm compoſitum fiunt irreceptibilia in alio, & ſic incommunicabilia. Prob. hæc conſeq. Materia eſt primum ſubjicibile aliis omnibus prædicatis, & primum non receptibile in alio, ergo eſt cauſa, cur alia omnibus ſubjiciantur, & in nullo ſint receptibilia.

Reſp. diſt. ant. 1. 2. & 3. argumenti. Subjicibilitas, & incommunicabilitas, ſeu irreceptibilitas materialis, & phyſica, conc. ant. ſubjicibilitas formalis, & logica, aut metaphyſica, , n. ant. & conſeq. Subjicibilitas materialis, & phyſica conſiſtit in potētialitate phyſica

ma-

materiæ ad formas, per quas actuatur, & perficitur in ordine ad conſtituendum totum compoſitum, ut compars, & hæc ſubjicibilitas, & irreceptibilitas convenit toti compoſito ratione materiæ: formalis verò, & Logica, vel Metaphyſica non conſiſtit in illa partialitate, ſed potiùs in aliqua actualitate totali, quatenùs natura aliqua completa colligit in ſe genera, ſpecies, differentias, & gradus ſuperiores, quæ de illa prædicari poſſunt, & individuatio, ſeu incommunicabilitas ſeu irreceptibilitas ejuſdem conſiſtit in eo, quòd ipſa non habet inferiora, de quibus prędicetur ſic hoc, ut in iis inexiſtat per ſui multiplicationem ſpecificam, ut animalitas, aut numericam, ut humanitas.

CONCLUSIO II.

M*Ateria ſignata non eſt principium individuationis.* Eſt Doctoris cum ſuis contra alios Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Impoſſibile eſt, aliquid dependens naturaliter à poſteriori eſſe idem ei, à quo dependet à priori naturaliter, quia tunc eſſet prius, & non prius: ſed ſubſtantia eſt prior naturaliter quantitate, per eos (*adverſarios*) ergo nihil cauſatur per quantitatem,* ſive *qualitercumque præexigens naturam quantitatis (*ut facit materia ſignata in ſenſu adverſariorum*) poteſt eſſe item ſubſtantia, ergo iſta ſignatio non eſt idem ſubſtantiæ, licet cauſata ſit à quantitate. Prob. maj. Ubi eſt vera, & realis identitas, licèt non ſit formalis, ibi impoſſibile eſt hoc eſſe, & illud non eſſe: quia tunc idem realiter eſſet, & non eſſet: ſed poſſibile eſt prius naturaliter eſſe ſine poſteriori naturaliter, ergo multo magis abſque eo, quod derelictum eſt, vel cauſatum à naturaliter poſteriori.*

Prob. 2. ex dictis de accidentibus. Nam materia, ut ſignata, eſt ens per accidens, eſt compoſitum ex rebus diverſorum prædicamentorum, nempè ex ſubſtantia, & quantitate, quæ eſt accidens, ergo, ut ſignata, non poteſt poni in recta linea prædicamenti ſubſtantiæ, ſicut ponitur individuum, verbi gratia, Petrus, abſurdum ergo eſt dicere ſub-

[1] *in 2. d. 3. q. 2. ſ. n. 9.*

Digitized by Google

ſubſtantiam individuari per accidentia, ſaltem intrinſecè.

Dices, id quidem verum eſſe de materia cum quantitate actuali, ſic enim conſtituit unum per accidens ex rebus diverſorum prædicamentorum: ſed non eſſe verum de materia ſignata, prout dicit formaliter potentiam ad quantitatem.

Contra 1. Quia illa potentia materiæ ad quantitatem, ſicut ad quodcumque aliud accidens eſt accidentalis, ergo non poteſt eſſe principium ſingularitatis. 2. Quia materia non habet ex ſe potentiam ullam formalem, & proximam ad ullam quantitatem, v. g. ad hanc, vel illam: eſt ad omnes indifferens, ergo determinatur ad hanc potiùs, quàm ad aliã per diſpoſitiones in ea cauſatas ab agente, & illæ diſpoſitiones ſunt qualitates, ergo iſtæ potiùs eſſent principia individuationis, quàm illa quantitas, vel potentia formalis ad quantitatem. 3. Tàm illæ qualitates, quàm ipſa quantitas reperiuntur in materia, imò & in toto compoſito, ergo, ſi individuatio peti deberet à tali potentia, æquè eſſet in toto, atque in materia: denique materia cum tali potentia ad quantitatem dividi poteſt in univerſalem, & particularem, ergo, ut talis præcisè, non poteſt eſſe ratio individuationis.

Dices 2. cum aliis, id non dici de materia ſub actuali quantitate, ſed prout virtualiter, & radicaliter hanc potiùs, quàm aliam præcontinet.

Contra 1. Quia ut materia hanc potiùs, quàm aliam quantitatem præcontineat, debet eſſe in ſe priùs determinata, ergo ab illa radicali continentia non poteſt dici principium individuationis. 2. Quia materia non magis præcontinet radicaliter quantitatem, quàm formam ſubſtantialem, imò priùs formam continet, quatenùs iſta priùs eſt educibilis ex ejus potentia, & hanc potiùs, quàm aliam quantitatem ſignatam, exigit, & præcontinet ratione formę, ergo hęc radicalis potentia, ſeu præcontinentia quantitatis nihil facit ad rem.

Prob. 3. Quia materia ſignata ſive per actualem quantitatem, ſive per potentiam formalem, aut radicalem potentiam ad quantitatem diſtinguitur realiter à toto compoſito, & eadem numero poteſt eſſe

ſub

Digitized by Google

ſub diverſis compoſitis, ergo redit argumentum pro 1. concluſione: principium ſc. individuationis, ſeu ſingularitas formalis non diſtinguitur realiter à re individuata, ergo, &c.

Prob. 4. alio argumento Scoti. [1] Quod eſt conditio requiſita, ut cauſa cauſet, non poteſt pendere à cauſato: ſed ſubſtantia eſt cauſa quantitatis, & ſingularitas eſt conditio neceſſariò requiſita, ut illam cauſet, ergo ſingularitas ſubſtantiæ non poteſt dependere à quantitate. Prob. min. Quia cauſatum ſingulare exigit cauſam ſingularem: ſed quantitas iſta eſt cauſatum ſingulare, ergo ſubſtantia, quæ illam cauſat, debet eſſe ſingularis: ſeu ſingularitas eſt conditio requiſita in ſubſtantia, ut cauſet quantitatem particularem. [2] Alias rationes vide apud Scotum, & Scotiſtas.

Objic. 1. Illud eſt principium individuationis, per quod natura redditur per ſe primò incommunicabilis pluribus eo modo, quo natura univerſalis, verbi gratia, humanitas communicatur Petro, & Paulo: ſed materia ſignata id præſtat, ergo, &c. Prob. min. ex Ariſtot. [3] *Omnium natura conſtantium determinata eſt ratio magnitudinis, & augmenti*, ergo omnium determinatio, ſeu individuatio venit à quantitate.

Reſpondeo n. min. & conſeq. prob. Tùm quia diverſa individua poſſunt eſſe ſucceſsivè ſub eadem materia ſignata, ut patet de homine, & cadavere, & de duabus portionibus aquæ. Ariſtoteles autem ibi vult tantùm, quòd ſingulæ ſpecies viventium exigant determinatam figuram, & magnitudinem quantitatis, quod non facit ad rem. Tùm quia Angeli, qui carent materia, ſunt individui, & ſingulares.

Inſt. 1. Materia ſignata non poteſt concipi, ut univerſalis, ergo per ſe primò eſt ſingularis, ergo & principium ſingularitatis.

Reſp. d. 1. conſeq. Eſt ſingularis, *ut quod*, conc. conſeq. eſt ſingularis, *ut quo*, n. conſeq. Petrus eſt ſingularis, non ſequitur, quòd ſit principium individuationis, quia eſt ſingularis, *ut quod*, & non *ut quo*.

Inſta.

[1] *ibid.* [2] *ibid. n. 9.*
[3] *Lib. 2. de anima, cap. 41.*

Digitized by Google

Inſt. 2. Ablata materia ſignata, & cæteris manentibus, ceſſat incommunicabilitas individualis, ergo incommunicabilitas individualis venit à materia ſignata.

Reſpondeo n. conſeq. Nam, ablata forma ſubſtantiali, ceſſat etiam hæc ſubſtantia incommunicabilis, & tamen Thomiſtæ non dicunt, formam eſſe principium individuationis, ideò ergo ceſſat talis ſubſtantia individua, quia deſtruitur totum per deſtructionem partis ejus eſſentialis, ut eſt materia.

Objic. 2. Illud eſt principium individuationis, per quod radicaliter conſtituitur ſubſtantia prima: ſed hoc fit per materiam ſignatam, ergo, &c. Prob. min. Illud dicitur ſubſtantia prima, quod non eſt in ſubjecto, nec dicitur de ſubjecto: ſed hoc per ſe primò convenit materiæ ſignatæ, ergo, &c. Prob. min. Materia, ut ſignata, nequit de alia prædicari, ergo, &c.

Reſp. n. min. utriuſque argumenti, & conſeq. 3. Nam Michaël Angelus, v. g. eſt prima ſubſtantia,& nequit eſſe, nec prædicari de ſubjecto, & tamen non habet materiam. Hæc reſponſio ſufficit Scotiſtis, qui agnoſcunt plures Angelos ſolo numero differentes ſub eadem ſpecie.

QUÆSTIO X.

An forma vel ſeorſim, & per ſe, vel ſimul cum materia ſit principium Individuationis.

QUandoquidem ex dictis conſtat, nec totam naturam per ſe ipſam formaliter, nec exiſtentiam, nec quantitatem, aut ullum aliud accidens, nec omnia accidentia ſimul, nec materiam eſſe principium individuationis, reſtat videndū num id veniat à forma: & id multi volunt, an ſaltem à forma, & à materia ſimul.

CON-

CONCLUSIO I.

Forma per ſe, & ſeorſim ſumpta non eſt principium individuationis. Eſt Doctoris, & ſuorum communiter.

Prob.1. ex Scoto. [1] Licèt enim hanc quæſtionem in terminis non examinaverit, ideòque tacitè putetur ab aliquibus conſenſiſſe in formam, ex eodem principio, quo materiam excluſit, atque adeò cenſeatur, formam incluſiſſe, malè tamen hoc colligitur, ut recte notant alii: ideò .n. potius non tractavit ſpeciatim, quia id ſuperfluum putavit, cùm eadem ſit ratio excludendi formam à principio individuationis, quæ excludit materiam.

Ideò igitur Scotus non vult, quòd materia ſit principium individuationis his verbis. *Materia eſt de eſſentia ſubſtantiæ compoſitæ, ergo ſicut illud compoſitum non poteſt de ſe eſſe hoc (ex prima quæſtione) ita nec materia, quæ eſt pars ejus, eſt de ſe hæc: quia non poteſt eſſe compoſitum commune, & ejuſdem rationis cum eis*: ſed eadem eſt ratio de forma, ergo, ex Scoto, forma per ſe non poteſt eſſe principium individuationis: forma enim eſt de eſſentia naturæ communis, verbi gratia, rationalitas eſt de eſſentia humanitatis, quæ eſt communis omnibus individuis humanis, ergo non poteſt eſſe ratio, per quam ipſamet individua inter ſe dividantur, & diſtinguantur numero.

Prob. 2. Forma non eſt principium individuationis materiæ, ergo non eſt abſolutè principium individuationis. Prob. ant. 1. Quia eadem numero materia poteſt informari per diſtinctas realiter formas, ſive ſimul, ut divinitus fieri poteſt: ſivè ſucceſſivè, ut contingit naturaliter, ergo, &c. 2. Quia materia præſupponitur formæ ſingulari, ergo non accipit ſingularitatem à forma.

Prob.3. Quia forma diſtinguitur realiter à materia: ſed ſingularitas non diſtinguitur à re, quam individuat, ut patet ex dictis ſuprà, ergo, &c.

Objic.1 ex Ariſt. [2] *Forma eſt hoc aliquid*, ideſt, ſin-

[1] *Maſtr. diſp.* 10. *q.*7. *n.*97.
[2] 1. *phyſic. c.*69. & 2. *de anima p.*2.

Digitized by Google

ſingularis , ſeu ſingularitas, & *per formam fit hoc aliquid* , ideſt fit ſingulare , &c. ergo individuatio eſt à forma .

Reſpondeo n. conſeq. Nam *per hoc aliquid* Philoſophus in illis locis intelligit ens completum in ſpecie certa , & determinata , & id verum eſt fieri per formam , quæ eſt principalis pars totius.

Objicies. 2. Si unitas numerica non eſſet à forma, equeretur animal poſt nutritionem eſſe aliud individuum ab eo , quod erat antè : ſed conſeq. eſt falſum , ergo , &c. Prob. ſeq. Nam non ampliùs habet eandem materiam, quia eſt mutata per nutritionem, ergo , ſi manet idem individuum , id venit ab identitate formæ , quæ permanet eadem.

Reſpondeo n. ſeq. & ant. prob. Materia enim animalis , aut hominis non eſt propriè mutata per nutritionem : niſi penes aliquas partes impuriores , & fluxibiliores , non quoad ſolidas , & principales , & prætereà id verum eſſet ad ſummum de Individuatione Phyſica , & ſenſibili , de qua non loquimur : non autem de Metaphyſica , quæ reſpicit individuum , prout coaleſcens ex genere quaſi materia , & differentia quaſi forma , & iſtæ non mutantur , ſicque Individuum eſt ſemper idem Metaphyſicè .

CONCLUSIO II.

F*Orma ne cum materia quidem ſimul dicenda eſt principium individuationis* . Eſt etiam Scoti cum ſuis .

Prob. 1. *ex Scoto* . [1] Nam *rationi materiæ ſecundum ſe non repugnat eſſe communem diverſis materiis in diverſis individuis , ſicut nec repugnat rationi formæ eſſe communem diverſis formis in diverſis individuis* , ergo , ex Scoto , materia , & forma Metaphyſicè ſpectatæ non ſunt principium Individuationis.

Prob.2. eodem argumento Scoti . Quia materia, & forma ſimul ſunt partes eſſentiales naturæ communis , & ſimul ſumptæ conſtituunt illam , ergo nequeunt eſſe principium formale Individuationis.

Prob.

[1] *in* 3. *d.* 22. *B.* *n.*27.

Prob. conſeq. Ut conſtituunt naturam, ſunt communes, ſicut & natura, & indifferentes ad hanc, vel illam ſingularitatem, ergo, ut tales, non poſſunt eſſe principia ſingularitatis, alioqui idem eſſet principium conveniendi, & diſconveniendi, communitatis, & ſingularitatis. Uno verbo Petrus, & Paulus conveniunt, & ſunt unum unitate generica animalitatis, & ſpecifica rationalitatis, ergo non differunt, nec plurificantur numero per animalitatem, & rationalitatem.

Id longè certius eſt apud Scotiſtas, qui diſtinguunt totum Phyſicum à partibus etiam ſimul ſumptis.

Objic. 1. Ex Philoſopho, & Scoto. Sicut ex materia, & forma in communi fit compoſitum, & unum in genere, aut ſpecie, ſic ex hac materia, & hac forma fit hoc numero compoſitum, ergo ſingularitas, vel communitas compoſiti venit à materia, & forma.

Reſp. n. conſeq. Nam Scotus, & Philoſophus loquuntur de compoſito Phyſico, quod non negamus individuari per materiam, & formam: non autem de natura, & ſingularitate Metaphyſicè ſpectatis, de quibus eſt hæc quæſtio, & hoc ſenſu negamus naturam immediatè, & formaliter individuari per materiam, & formam: imò quærimus de principio formali, & proximo, quo individuantur ipſa forma, & materia.

Inſt. Materia, & forma ſunt entitates ſimplices abſque ulla compoſitione, ergo non admittunt compoſitionem ex entitate determinata, & determinante, ergo non individuantur per entitatem diſtinctam: ſed ſe ipſis immediatè.

Reſp. d. ant. Abſque ulla compoſitione phyſica, conc. ant. Metaphyſica, n. ant. Alioqui non poſſet dari materia, & forma in communi, quod eſt contra Scotum, & Philoſophum, & veritatem. Item materia ipſa eſt in plures diviſibilis, & ita eſt de formis.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO XI.

An formæ ſubſtantiales, & maximè animæ rationales individuentur per materiam, & formæ accidentales per ſubjectum.

THomiſtæ, qui cenſent, res individuari à materia, non poſſunt tribuere hæcceitatem propriam in anima rationali, quæ eſt ſpiritualis, & ideò tenentur hoc dicere de illa ſpecialiter, & quia accidentia nullum habent eſſe reale niſi à ſubjecto, ita videntur ab eo individuari. An id verum ſit, mox patebit.

CONCLUSIO I.

F*Orma ſubſtantialis, etiam anima rationalis, non individuatur à materia.* Eſt Doctoris cum ſuis, & aliis contra Thomiſtas.

Prob. 1. *ex Scoto.* Nam, ut probet plures numero Angelos poſſibiles in eadem ſpecie, ſic argumentatur. [1] *Animæ intellectivæ diſtinguuntur numero in eadem ſpecie* (anima Petri, & anima Pauli ſolo numero differunt) *& tamen ſunt formæ puræ, licet perfectiſſimæ materiæ, &c.... quòd ſi dicas, quòd animæ habent inclinationem ad diverſa corpora, igitur per hæc diſtinguuntur* (ſc. per ordinem ad corpus, ſeu materiam) *contra. Inclinatio non eſt entitas abſoluta, quia non poteſt inclinari ad ſe, ergo præſupponit aliquam entitatem abſolutam, & diſtinctam, quia enim eſt hæc anima, ideò habet talem inclinationem, & non è contra, ergo hæc inclinatio non eſt ratio eſſendi hanc animam, ſed præſupponit eam.* Vides, Scotum aſſerere, & probare ſolidè, animam non individuari à materia.

Prob. 2. ex eodem. [2] *Anima intellectiva prius natura eſt terminus creationis, quàm infundatur. Sed primus terminus creationis, ut talis, formaliter eſt hic* (id. ſingularis) *ergo anima naturas prius eſt hæc* (ſingularis, & individua) *quàm uniatur materiæ: & pari ratione de alia anima, priùs natura eſt hæc*

[1] *in* 2. *d.* 3. *q.* 7. *a. n.* 4. [2] *q.* 2. *quodl. n.* 5. *B.*

Digitized by Google

hæc, quàm uniatur materiæ: unde iſta anima eſt hæc ſua propria ſingularitate .... ergo primò, & per ſe non diſtinguuntur ſua materia. [1] Prob. maj. Quod ſine contradictione poteſt eſſe ſine alio, & non aliud ſine ipſo, eſt prius naturaliter illo, juxta illud Philoſophi, *aliqua ſecundum naturam, & ſubſtantiam ſunt priora, quæcumq; contingit eſſe ſine aliis, & illa non ſine ipſis*: ſed anima non ſolùm ſecundum eſſentiam, & ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum exiſtentiam, & ut terminus creationis divinæ, poteſt eſſe ſine materia, ergo & ſine unione ad materiam, ergo poteſt eſſe hæc, & ſingularis abſque eo quòd uniatur materiæ; nullo autem modo poteſt eſſe in materia, nec per creationem, nec aliter, niſi ipſa ſit hęc per propriam ſingularitatem.

Dices cum Thomiſtis, animam non individuari per unionem cum materia actualem, ſed tantùm per aptitudinalem, quæ eſt in ipſa.

Contra. 1. Quia res abſoluta non individuatur per entitatem relativam: ſed anima eſt res abſoluta, & aptitudo eſt relativa, ergo, &c. 2. Quod convenit Petro, & repugnat Paulo, non convenit Petro ſecundum entitatem communem utrique, ſed neceſſariò ſupponit illorum diſtinctionem: ſed aptitudo, ſeu inclinatio ad hoc corpus convenit animæ Petri, & repugnat animæ Pauli, ergo anima Petri diſtinguitur ab anima Pauli diſtinctione antecedente ad illam aptitudinem.

Confirm. Quia aptitudo ad corpus eſt proprietas animæ: ſed nihil individuatur per ſuam proprietatem: nam proprietas eſt quid commune, ergo.

Prob. denique per ea omnia argumenta, quibus probatum eſt, individuationis principium non diſtingui realiter ab individuato: nec naturam individuari à materia, & maximè quia eadem numero anima poſſet informare diſtincta corpora, & idem eſt de aliis formis ſubſtantialibus.

Objic. 1. Anima conſtituitur humana, ut ſic, per commenſurationem, & proportionem ad corpus organicum, per quod definitur, (definitur .n. actus corporis organici, &c.) ergo & hæc anima conſtituitur hæc, & ſingularis per commenſurationem,

[1] 5. *metaph. c. de priori c.* 6.

nem, ſeu proportionem ad hoc corpus. Prob. ant. Per hoc primò conſtituitur humana, & diſtinguitur à Bovina, quòd proportionatur corpori humano, ſicut illa corpori bovino, &c.

Reſpondeo 1. d. antec. Per proportionem fundamentaliter, & radicaliter, conc. ant. formaliter, & proximè, n. ant. Nam conſtituitur humana, quatenùs ipſa eſt principium exigitivum talis proportionis, ſeu commenſurationis: nam illa commenſuratio proximè, & formaliter eſt quid relativum, ergo anima humana, quæ eſt forma ſubſtantialis abſoluta, non poteſt conſtitui eſſentialiter, & primariò per illam proportionem actualem, ſeu formalem ad corpus humanum.

Reſpondeo n. conſeq. Nam, ſi talis commenſuratio, ut ſic, ad corpus humanum eſt de eſſentia animæ, ut ſic, non poteſt eſſe principium individuationis animæ particularis, niſi per aliquam entitatem, & differentiam ſuperadditam, quia individuationis principium eſt quid ſuperadditum, & extra eſſentiam rei, ut probatum eſt, & debet dari ratio, cur hic ordo, ſeu proportio ſit hæc, & non illa, & illa ratio erit formalis ſingularitas, & non veniet à corpore.

CONCLUSIO II.

Accidentia non individuantur per ſubjectum. Eſt Doctoris cum ſuis contra Thomiſtas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto ratione jam ſæpiùs allata. [1] *Quia nullum ens eſt ſingulare formaliter per aliquid alterius generis:* unde concludit, quòd qualitates in Sacramento Euchariſtiæ non individuantur per quantitatem, quæ ibi fungitur munere ſubjecti.

Prob. 2. Quodlibet individuum in ſuo genere eſt ens per ſe, & non per accidens, ergo hæc albedo, hic calor, hæc quantitas, &c. non poſſunt conſtitui ex accidente, & ſubjecto, quia eſſent entia per accidens.

Prob. 3. Quia, ut dictum eſt, ratio individuationis

[1] *in 4. d. 12. q. 2. a. n. 6.*

nis non diſtinguitur realiter à re individuata : ſed ſubjectum realiter diſtinguitur à ſuis accidentibus, & poteſt ab illis ſeparari, & hæc poſſunt exiſtere ſine illo, ut patet in Euchariſtia, ergo iſta non individuantur ab illo.

Dices, ſubjectum non eſſe formaliter principium individuationis accidentium, ſed illa individuari per ordinem ad illud.

Sed contra. Nam ille ordo eſt quid relativum, ergo non poteſt individuare accidentia abſoluta, ut jam dictum eſt. Deindè ille ordo eſt quid commune omnibus accidentibus, ergo non eſt principium ſingularitatis. 3. Accidentia Euchariſtica manent eadem numero ſine ſubjecto, & ſine ſubſtantia panis, ergo, &c.

Dices 2. id non intelligi de ordine actuali, ſed de aptitudinali, qui eſt quædam relatio tranſcendentalis realiter identificata formæ ipſi tàm ſubſtantiali, quàm accidentali.

Contra. Illa aptitudo accidentis, verbi gratia, coloris reſpicit indifferenter parietem quemcumque, & tam benè poſſet poni in pariete, B. quàm in pariete, A, aut, C. &c. Et hoc non ſolùm diviſivè, ſed etiam ſucceſſivè, ſaltem divinitùs, ergo illa aptitudo ad ſubjectum non eſt principium individuationis formalis accidentium, ſed potiùs per illam conveniunt.

Contra 2. Quia illa aptitudo eſt univerſalis, vel particularis: ſi univerſalis, ergo non eſt ratio diſtinguendi numericè unum ab alio: Si particularis, ergo illa aptitudo ſupponit rem, in qua eſt, jam ſingularem: nam, ſicut univerſalitas fluit neceſſario à re univerſali: ita ſingularitas à re ſingulari. Denique quæritur, unde ſit illa ſingularitas ordinis illius aptitudinalis ad ſubjectum, & illud erit potiùs principium individuationis, quàm ipſe ordo.

Prob. denique. Accidentia habent à ſeipſis, ſicut ſubſtantiæ, ſuam diſtinctionem ſpecificam, ergo & numericam. Prob. conſeq. Non eſt enim potior ratio, cur habeant unam, quàm aliam ab extrinſeco, ſc. à ſubjecto.

Objic. 1. Accidentia pendent in eſſe à ſubjecto, ergo individuantur ab ipſo. Prob. conſeq. Ab eo-

Digitized by Google

nem, ſeu proportionem ad hoc corpus. Prob. ant. Per hoc primò conſtituitur humana, & diſtinguitur à Bovina, quòd proportionatur corpori humano, ſicut illa corpori bovino, &c.

Reſpondeo 1. d. antec. Per proportionem fundamentaliter, & radicaliter, conc. ant. formaliter, & proximè, n. ant. Nam conſtituitur humana, quatenùs ipſa eſt principium exigitivum talis proportionis, ſeu commenſurationis: nam illa commenſuratio proximè, & formaliter eſt quid relativum, ergo anima humana, quæ eſt forma ſubſtantialis abſoluta, non poteſt conſtitui eſſentialiter, & primariò per illam proportionem actualem, ſeu formalem ad corpus humanum.

Reſpondeo n. conſeq. Nam, ſi talis commenſuratio, ut ſic, ad corpus humanum eſt de eſſentia animæ, ut ſic, non poteſt eſſe principium individuationis animæ particularis, niſi per aliquam entitatem, & differentiam ſuperadditam, quia individuationis principium eſt quid ſuperadditum, & extra eſſentiam rei, ut probatum eſt, & debet dari ratio, cur hic ordo, ſeu proportio ſit hæc, & non illa, & illa ratio erit formalis ſingularitas, & non veniet à corpore.

CONCLUSIO II.

Accidentia non individuantur per ſubjectum. Eſt Doctoris cum ſuis contra Thomiſtas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto ratione jam ſæpiùs allata. [1] *Quia nullum ens eſt ſingulare formaliter per aliquid alterius generis:* unde concludit, quòd qualitates in Sacramento Euchariſtiæ non individuantur per quantitatem, quæ ibi fungitur munere ſubjecti.

Prob. 2. Quodlibet individuum in ſuo genere eſt ens per ſe, & non per accidens, ergo hæc albedo, hic calor, hæc quantitas, &c. non poſſunt conſtitui ex accidente, & ſubjecto, quia eſſent entia per accidens.

Prob. 3. Quia, ut dictum eſt, ratio individuatio-nis

[1] *in 4. d. 12. q. 2. a. n. 6.*

Digitized by Google

nis non diſtinguitur realiter à re individuata: ſed ſubjectum realiter diſtinguitur à ſuis accidentibus, & poteſt ab illis ſeparari, & hæc poſſunt exiſtere ſine illo, ut patet in Euchariſtia, ergo iſta non individuantur ab illo.

Dices, ſubjectum non eſſe formaliter principium individuationis accidentium, ſed illa individuari per ordinem ad illud.

Sed contra. Nam ille ordo eſt quid relativum, ergo non poteſt individuare accidentia abſoluta, ut jam dictum eſt. Deindè ille ordo eſt quid commune omnibus accidentibus, ergo non eſt principium ſingularitatis. 3. Accidentia Euchariſtica manent eadem numero ſine ſubjecto, & ſine ſubſtantia panis, ergo, &c.

Dices 2. id non intelligi de ordine actuali, ſed de aptitudinali, qui eſt quædam relatio tranſcendentalis realiter identificata formæ ipſi tàm ſubſtantiali, quàm accidentali.

Contra. Illa aptitudo accidentis, verbi gratia, coloris reſpicit indifferenter parietem quemcumque, & tam benè poſſet poni in pariete, B. quàm in pariete, A, aut, C. &c. Et hoc non ſolùm diviſivè, ſed etiam ſucceſſivè, ſaltem divinitùs, ergo illa aptitudo ad ſubjectum non eſt principium individuationis formalis accidentium, ſed potiùs per illam conveniunt.

Contra 2. Quia illa aptitudo eſt univerſalis, vel particularis: ſi univerſalis, ergo non eſt ratio diſtinguendi numericè unum ab alio: Si particularis, ergo illa aptitudo ſupponit rem, in qua eſt, jam ſingularem: nam, ſicut univerſalitas fluit neceſſario à re univerſali: ita ſingularitas à re ſingulari. Denique quæritur, unde ſit illa ſingularitas ordinis illius aptitudinalis ad ſubjectum, & illud erit potiùs principium individuationis, quàm ipſe ordo.

Prob. denique. Accidentia habent à ſeipſis, ſicut ſubſtantiæ, ſuam diſtinctionem ſpecificam, ergo & numericam. Prob. conſeq. Non eſt enim potior ratio, cur habeant unam, quam aliam ab extrinſeco, ſc. à ſubjecto.

Objic. 1. Accidentia pendent in eſſe à ſubjecto, ergo individuantur ab ipſo. Prob. conſeq. Ab eodem

Digitized by Google

dem enim res habet eſſe, & individuationem, ergo, &c.

Reſpondeo d. ant. Pendent à ſubjecto in eſſe, tanquam à cauſa extrinſeca, verbi gratia, materiali, efficiente, aut finali, conc. ant. tanquam ab intrinſeca & formali, n. ant. utrumque. Alioqui Deus diceretur principium formale individuationis rerum omnium; quia omnia habent eſſe ab illo. Agimus hic de principio intrinſeco, & formali individuationis, non de extrinſeco, qualis eſt diſtinctio, quæ petitur à ſubjecto, vel ab efficiente, vel à fine.

Objic. 2. Omnis forma receptibilis in alio individuatur per illud: ſed talia ſunt omnia accidentia reſpectu ſubjecti, ergo omnia individuantur per ſubjectum. Prob. maj. Omnis forma de ſe eſt communicabilis, & non fit incommunicabilis niſi per ſubjectum, à quo recipitur, determinatur, & detinetur ab eo, ne communicetur aliis, ergo omnis forma individuatur per illud, in quo recipitur.

Reſp. n. maj. & ant. prob. & conſeq. Nam 1. falſum eſt, quod omnis forma de ſe ſit communicabilis ea communicabilitate, quæ opponitur individuationi: non enim quæcumque communicabilitas illi opponitur, ſed tantùm ea, qua univerſale communicatur inferioribus, in quibus multiplicatur, & quorum quodlibet eſt ipſum: non verò ea, qua forma communicatur ſubjecto, vel pars comparti, &c.

2. Falſum eſt, formam accidentalem, aut ſubſtantialem ſic determinari per ſubjectum, ut non poſſit communicari, & informare aut ſimul per divinam potentiam, aut ſucceſſivè diſtincta numero ſubjecta, vel plura numero accidentia idem numero ſubjectum.

3. Quia iſta irreceptibilitas, ſeu incommunicabilitas, quæ advenit accidenti, & formæ per ſubjectum, eſt actualis, non aptitudinalis; nam eadem numero albedo, ut dixi, eſt apta, & indifferens ad parietem, A. vel B. Adverſarii autem non prætendunt, irreceptibilitatem actualem eſſe principium individuationis.

Objic. 3. Diſtinctio numerica eſt materialis, non verò formalis, ergo venit à ſubjecto, ſeu materia.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. d. ant. Eſt materialis à materia totius, & per analogiam ad materiam, & prout materiale opponitur formali, quod ſignificat quidditatem rei, conc. ant. per ordinem ad materiam partis, quale eſt ſubjectum, neg. ant. Nam, ut jam diximus, individuum comparatur materiæ, quod eſt infimum in coordinatione prædicamentali, & ſubjacet omnibus prædicatis quidditativis, ſicut materia in compoſito phyſico eſt velut baſis, & fundamentum, quod ſubſtat omnibus formis, & entitatibus compoſiti phyſici.

Inſt. 1. Omnis actus determinatur per potentiam, in qua recipitur: ſed ſubjectum eſt potentia receptiva actus, ſeu formæ accidentalis, ergo per illud iſta determinatur, & individuatur.

Reſp. d. maj. Determinatur determinatione ſubjecti, conc. maj. determinatione individuali, & numerica, neg. maj. & conſeq. Nam determinatio in ratione individuali, & numerica eſt ea, qua quid redditur incommunicabile pluribus, ut inferioribus, & ut quod, ut dictum eſt; & hanc determinationem negamus venire à ſubjecto accidentium; determinatio verò in ratione formæ eſt ea, qua redditur incommunicabilis *ut quo*, per modum informantis, & adjacentis, & talis ad ſummum eſt ea, quam accipit forma à ſubjecto.

Inſt. 2. De ratione individui eſt, ut non ſit in ſubjecto, nec de ſubjecto prædicetur: ſed accidentia, & formæ ſunt de ſe natæ eſſe in ſubjecto, ergo de ſe non ſunt ſingulares.

Reſp. neg. maj. pro 1. parte, vel ſic diſt. Ut non ſit in ſubjecto prædicationis, velut univerſale, & ſuperius de inferiori, conc. maj. & neg. min. in ſubjecto informationis, vel inhæſionis, neg. maj. & conſeq. Nam de ratione individui eſt primum illud, non ſecundum.

Objic. 4. Accidentia relativa, & modalia, nullum habent eſſe diſtinctum ab eſſe ſubjecti, ergo iſta ſaltem individuantur à ſubjectis. Conſeq. patet. Individuatio enim ſequitur entitatem, &, quæ non habent entitatem propriam, non habent etiam individuationem. Prob. ant. Quia, ſi talia accidentia haberent proprium eſſe diſtinctum ab eſſe ſubjecti, dicerentur res, & non modi, ergo, &c.

Digitized by Google

Reſp. neg. ant. & prob. ejus . Nam , ſicut habent exiſtentiam propriam diſtinctam ab exiſtentia ſubjecti , quandoquidem ſubjectum poteſt exiſtere ſine illis , & hæc ab ipſo ſeparari , ideò habent entitatem diſtinctam;non dicuntur tamen propriè res,ut diſtinguuntur ab aliis, quæ poſſunt exiſtere ſeparata .

QUÆSTIO XII.

Quodnam ſit verè , & propriè principium Individuationis .

REjectis aliorum opinionibus de principio individuationis , tempus eſt , ut propriam ſtatuamus juxta mentem , & principia Doctoris noſtri , & veritatem . Ut autem meliùs tota hæc materia intelligatur , ſupponendum eſt , res omnes creatas metaphyſicè compoſitas eſſe ex pluribus gradibus prædicamentalibus , genericis , ſpecificis , & differentialibus , quorum aliqui ſunt communes pluribus , alii verò penitùs ſingulares , v. g. Petrus coaleſcit ex *ſubſtantia materiali*, *vivente*, *ſenſitiva*, *ſeu animali*, *humanitate* , *& Petreitate* , & iſta ultima eſt prorsùs ſingularis , incommunicabilis pluribus , & dicitur principium individuationis , quod ſolet vocari ſingularitas , quia facit rem prorsùs ſingularem , vel *differentia numerica*, quia quæ per eam præcisè differunt , ſolo numero differunt , vel *individuatio*, quia facit rem prorsùs indiviſam in ſe , & diviſam à quolibet alio , eſtque perfectiſſima unitas ; imò & indiviſibilem in plura inferiora , in quibus multiplicetur , & de quibus prædicetur in quid , vel denique *hæcceitas* ; quia facit rem *hanc* , & prorsùs determinatam . Igitur ultima realitas cujuſcumque rei , ſive illa ſit ſimplex, ſive compoſita , ſive accidens,ſive ſubſtantia , ſive totalis, ſive partialis, ſive completa , ſive incompleta, eſt illius individuatio, ſeu ſingularitas,ideò ſit

CONCLUSIO.

PRincipium formale , & proximum individuationis eſt ultima res cujuſque entitas naturæ illius ſpeci-

ficæ

Digitized by Google

ficę formaliter ex natura rei ſuperaddita, per quã redditur penitùs indiviſibilis in plura inferiora, de quibus prædicetur, & quorum quodlibet ſit ipſum. Eſt Doctoris, & ſuorum cum aliis, excepta diſtinctione formali, quam ſoli Scotiſtæ admittunt ibi.

Probatur 1. ex Scoto. [1] *Entitas individualis, à qua ſumitur differentia individualis, non eſt materia, vel forma, nec compoſitum, inquantum quodlibet iſtorum eſt natura: ſed eſt ultima realitas entis, quod eſt materia, vel quod eſt forma, vel quod eſt compoſitum; ita quòd quodlibet commune, & tamen determinabile, adhuc poteſt diſtingui, quantumcumque ſit una res in plures realitates formaliter diſtincta, quarum hæc formaliter non eſt illa: ſed hæc eſt formaliter entitas ſingularis, & illa eſt entitas naturæ formaliter: nec poſſunt iſtæ duæ realitates eſſe Res, & Res, ſicut poſſunt eſſe realitates, unde accipitur genus, & realitas: unde accipitur differentia, ex quibus realitas ſpecifica accipitur, ſed ſemper in eodem, ſive parte,* ſive toto, *ſunt realitates ejuſdem rei formaliter diſtinctæ.*

Habes igitur ex hoc textu, quòd principium individuationis eſt ultima entitas cujuſlibet rei, ſive materiæ, ſive formæ, ſive totius compoſiti, & formaliter ex natura rei à ſingulis diſtincta, & ſuperaddita, per quam res illa, quæcumque ſit, ſive materia, ſive forma, ſive quodlibet aliud ens, redditur indiviſibile in plura inferiora, in quibus multiplicetur, & quorum quodlibet ſit ipſum.

Prob. 2. Quia ex dictis hucuſque conſtat, quòd nihil poſſit aliud aſſignari, cui munus ſingularizandi competere poſſit, ergo, &c.

Prob. 3. Illud dicitur principium Individuationis, ad quod ſequitur unitas numerica, velut proprietas ejus: ſed hæc unitas ſequitur ad illam entitatem ſic declaratam, ergo, &c. Maj. patet. Nam unitas ſequitur quamlibet entitatem, & unitas numerica eſt propria unitas Individuationis. Prob. min. Nam unitas numerica non ſequitur immediatè naturam genericam, vel ſpecificam; his enim propria eſt unitas formalis, ergo unitas numerica ſequitur illam ultimam entitatem rei.

[1] 2. *d.* 3. *q.* 6. *I. n.* 15.

Digitized by Google

Prob. 4. Illud eſt principium Individuationis, quod ultimatè determinat naturam, eamque conſtituit in ultimo gradu indeterminabilitatis, & incommunicabilitatis: ſed hoc facit illa entitas, ergo, &c.

Prob. denique. Sicut ſe habet differentia ſpecifica ad genus, v. g. rationalitas ad animalitatem, ita Petreitas ad humanitatem, ſed rationalitas eſt entitas ſuperaddita animalitati formaliter tantùm, per quam determinatur ad ſpeciem atomam hominis, ergo Petreitas eſt entitas formaliter ſuperaddita humanitati, per quam determinatur ultimatè ad hoc individuum.

Objic. 1. Omnis diſtinctio eſt per formam, aut ſaltem per materiam: ſed iſta hæcceitas non eſt forma, ergo non eſt diſtinctiva. Prob. min. Quia omnis forma eſt perfectior re, cujus eſt forma: ſed hæcceitas non eſt perfectior natura individuata, ergo, &c.

Reſp. neg. min. primi, & diſt. maj. 2. argumenti. Forma quidditativa, & eſſentialis, eſto; non quidditativa, neg. maj. Hæcceitas autem non eſt entitas, ſeu formalitas quidditativa, ſed extra quidditatem, & determinativa ejus, ſic riſibilitas non eſt perfectior humanitate, nec intellectio intellectu, & ſic de formis accidentalibus ſubſtantiarum, quas informant; per hæcceitates autem res non differunt inter ſe eſſentialiter, ſed ſingulariter: & ideò non ſunt nobiliores rebus diſtinctis per eas.

Objic. 2. Hæcceitas realiter identificatur eſſentiæ rerum, ergo eſt de eſſentia rerum.

Reſp. neg. conſeq. Neque enim omnia, quæ identificantur eſſentiis, ſunt eſſentialia, ut patet de riſibilitate, & aliis proprietatibus, & de relationibus divinis. Hæcceitas ſubſtantiæ eſt ſubſtantialis, accidentis eſt accidentalis, quia identificatur, & ſequitur eſſentiam rei, quam ſingularizat.

Inſt. Si eſt ſubſtantialis, vel eſt entitas, vel modus ſub ſtantialis: ſed neutrum dici poteſt, ergo, &c. Prob. min. 1. Si eſſet entitas, eſſet identificata ſubſtantiæ rei, & ſic ſubſtantia rei eſſet per ſe ipſam individua. 2. Si eſſet modus, originaretur, ſeu fundaretur in ſubſtantia, quæ alia non poteſt eſſe, quàm materia: ſed hoc eſt contra nos, ergo, &c.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Ad maj. illam formalitatem dici poſſe entitatem, vel modum reſpectu individui ſubſtantialis: ſicut differentia ſpecifica dicitur entitas, vel modus reſpectu naturæ ſpecificæ, quo poſito, negatur min, cum prob. ejus. Nam, ſicut rationalitas diſtinguitur formaliter ex natura rei ab animalitate, & ab homine, ſic Petreitas ab humanitate, & Petro ipſo; & quo ſenſu diceretur rationalitas eſſe modus, diceretur etiam de Petreitate: utraque enim eſt in ſuo ordine, & gradu differentia determinativa, & conſtitutiva. Rationalitas eſt determinativa generis, ſc. animalitatis, & conſtitutiva ſpeciei, & Petreitas eſt determinativa ſpeciei, ſeu humanitatis, & conſtitutiva Petri, ſc. individui.

Inſt. 2. Ergo Petreitas eſſet perfectior rationalitate, falſum conſeq. ergo, &c. Prob. ſeq. Quæ ſunt poſteriora generatione, ſunt perfectiora, ex Philoſopho: ſed Petreitas eſſet poſterior rationalitate, ergo & perfectior.

Reſp. neg. ſeq. & diſt. maj prob. Si ſint ejuſdem ordinis, conc. maj. & n. min. Si ſint diverſi ordinis, neg. maj. Petreitas autem eſt differentia, ſed non eſt eſſentialis, ſicut eſt rationalitas, & ideò non eſt tam perfecta: hoc patet de calore, & de differentia conſtitutiva ignis: calor eſt poſterior generatione, quam differentia conſtitutiva ignis, & tamen non eſt nobilior. Sic omnes proprietates ſunt poſteriores natura, quàm differentiæ eſſentiales, & tamen non ſunt æquè perfectæ. Petreitas autem eſt extra eſſentiam Petri, ut ſæpè dictum eſt. *Præterea* illud axioma non valet, niſi in rebus realiter diſtinctis, quæ per actionem realem producuntur, quales non ſunt natura, & hæcceitas ejus.

Objic. 3. Actus ſingularis ſupponit potentiam ſingularem: ſed hæcceitas eſt actus ſingularis, ergo ſupponit naturã, quam determinat ſingularem, ergo faceret eam, & non faceret ſingularem, quod implicat.

Reſp. diſt. maj. Supponit, ſi non facit, ſingularem: conç. maj. ſi facit, neg. maj. hæcceitas verò facit naturam ſingularem, & non ſupponit. Eſt enim ipſa formalis ſingularitas naturæ, in qua eſt.

Reſp. 2. Idem argumentum retorqueri poſſe contra adverſarios; in quocunque enim conſtituant

principium Individuationis, currit objectio in terminis.

Inſtabis. Petreitas convenit Petro, & repugnat Paulo, ergo ſupponit illos jam ſingulares, & diſtinctos. Probatur conſeq. Nam ſi non ſupponeret diſtinctos, conveniret, vel diſconveniret utrique, ergo, &c.

Reſp. 1. Hoc etiam argumentum retorqueri, & urgere adverſarios, in quocumque ponant indiviuationem.

Reſp. 2.neg.conſeq. & diſt. ant. prob. Si non facerent diſtinctos, conc. ant. ſi faciant diſtinctos, neg. ant. Petreitas ergo facit Petrum individuum, ſicut Pauleitas Paulum.

Objic. 4. Eſſent in quolibet individuo compoſito plures hæcceitates: ſed hoc eſt inconveniens, ergo, &c. Prob. ſeq. Materia haberet ſuam, forma ſuam, accidentia ſuam, & compoſitum ipſum haberet ſuam: quandoquidem materia non individuatur per formam, nec forma per materiam, nec compoſitum per alterutrum, nec accidentia per ſubjectum, & denique hæcceitas identificatur cuique, ergo, &c.

Reſp. 1. d. ſeq. Plures hęcceitates partiales, conc. maj. plures totales, neg. maj. & min. Nullum enim eſt ibi abſurdum, vel inconveniens potiùs, quàm de exiſtentiis; quælibet enim pars phyſica compoſiti habet propriam exiſtentiam, cur non & ſingularitatem? & ſi totum ponatur realiter diſtinctum à partibus ſimul ſumptis, & unitis, ut volunt Scotiſtę, ita & habet propriam hæcceitatem, ſicut & exiſtentiam: at fatendum erit, quòd hæcceitates partiales erunt fundamenta, & cauſæ radicales illius hæcceitatis totalis, ſicut & exiſtentiæ.

Inſt. Licèt hoc poſſet dici de Petro phyſicè compoſito, & conſiderato propter diſtinctionem realem partium: non poſſet dici de illo Metaphyſicè conſiderato, ergo ſaltem entia Metaphyſicè conſiderata non ſic individuantur, ſc. per ſingularitatem diſtinctam ab exiſtentia.

Reſp.neg.ant. Nam [1] ſicut compoſitum Phyſicum includit plures exiſtentias, & ſingularitates partiales realiter diſtinctas propter diſtinctionem partium, ita

[1] *V. Poncium d.6. Logicæ n.17.*

Digitized by Google

ita Metaphyſicum plures tantùm formaliter diſtinctas propter realem identitatem partium componentium.

Reſp. 2. Dici etiam poſſet, [1] unicam eſſe, qua individuatur tota natura ſpecifica immediatè, & ea mediante reliqui omnes gradus ſuperiores, & communiores in ea contentos, & cum qua conſtituunt unam indiviſibilem eſſentiam,

Objic. 5. Illa hęcceitas eſt ſubſtantia, vel accidens, aut nihil, ſed nullum horum dici poteſt, ergo, &c. Prob. 1. Si nihil, ergo nihil operatur. 2. ſi ſubſtantia, ergo vel eſt materia, vel forma, aut totum; & ſic malè negavimus, ſingularitatem eſſe à forma, aut materia, vel ab utraque. 3. ſi accidens, ergo ſubſtantia individuatur per accidens.

Reſp. ut ſuprà, hæcceitatem ſubſtantiæ eſſe ſubſtantiam, ſeu quid ſubſtantiæ realiter, & identicè, & idem eſt de hæcceitate accidentis: nam diximus, hæcceitatem non diſtingui realiter, ſed tantùm formaliter ex natura rei à re, quam individuat.

Inſt. Ergo res illa ſeipſa realiter individuatur: ſed hoc eſt contra nos, ergo, &c.

Reſp. conc. maj. ſc. naturam ſe ipſa realiter, id eſt, per entitatem ſibi realiter identificatam individuari, & neg. min. nec enim id facit contra nos, qui hoc ultrò aſſerimus.

Objic. 6. Sequeretur, individua ejuſdem ſpeciei diſtingui eſſentialiter: ſed falſum conſeq. ergo, &c. Prob. maj. Quę diſtinguuntur per differentias ſubſtantiales, & intrinſecas, diſtinguuntur eſſentialiter: ſed hęcceitates ſunt differentiæ intrinſecæ, & ſubſtantiales, v.g. in Petro, & Paulo, &c. ergo facerent differre eſſentialiter.

Reſp. neg. ſeq. & diſt. maj. prob. Per differentias ſubſtantiales intrinſecas, & verè eſſentiales, conc. maj. ſubſtantiales, & intrinſecas, individuales, neg. maj. & ad min. dico, hæcceitates eſse differentias ſubſtantiales identicè, & intrinſecas, non eſſentiales, ſed individuales.

Inſt. 1. Illæ differentiæ ſunt pluſquam propriæ, ergo ſunt eſſentiales. Prob. conſ. ex Porphyr. [2] Differētia adæquatè dividitur in *communem*, quæ eſt per accidentia

M 4

[1] *Maſt. hic d.* 10. *n.* 135. [2] *c. de differ.*

dentia communia , & *propriam* , quæ eſt per proprietates intrinſecas , & *propriiſſimam* , quæ eſt eſſentialis, & ſpecifica : ſed hæcceitas ex conceſſis eſt pluſquam propria, ergo eſt eſſentialis.

Reſp. neg.conſeq. & maj. prob. Nam Porphyrius ibi loquitur non de omnibus differentiis , ſed de illis, quæ ſubjacent univerſalitati, qualis non eſt hecceitas. ſaltem propriè.

Inſt. 2. Hæcceitas competit individuo , vel in 1. modo dicendi per ſe,vel in 2. ſed neutrum dici poteſt, ergo, &c. Prob. min. Nam , ſi in primo , ergo eſt eſſentialis ,nam, quæ ſic dicuntur,ſunt definitio, vel pars definitionis rei, ſi 2. modo,ergo eſt proprietas.

Reſp. neg.min. & conſeq.prob.quoad 1.p.Nam Petreitas, v.g. prædicatur quidem in 1. modo de Petro, non quaſi ſit tota quidditas , ſeu definitio , nec pars quidditatis, ſeu eſſentiæ : ſed quia includitur formaliter, & intrinſecè in ratione ſubjecti,ſeu Petri,& pertinet ad entitatem ejus , ut individuum eſt, ſeu ut Petrus eſt.

Objic. denique. Natura non poteſt fieri individua per quid commune, ſed hæcceitas eſt quid commune , ergo &c. Prob. min. Omnes hæcceitates in hoc conveniunt, quod ultimo determinant naturam ; eſt enim hæc communis ratio omnium hæcceitatum , ergo, &c.

Reſpondebitur ad hanc objectionem per quæſtionis ſequentis deciſionem.

QUÆSTIO XIII.

An ab omnibus individuis abſtrahi poſſit aliqua ratio communis.

Dicitur communiter,differentias individuales eſſe 1. diverſas,ita ut in nullo conceptu quidditativo conveniant [1] (*reſpondeo de entitatibus individuantibus, quæ ſunt 1. diverſa , i. nullo eodem numero convenientia*) & tales differentiæ ſunt omninò ſimplices, & irreſolubiles in conceptus ulteriores , quæri tamen ſolet,utrum ab omnibus hæcceitatibus abſtrahi poſſit aliquis conceptus, qui ſit illis communis, de quo

[1] *Scotus* 1. *d.* 3. *q.* 3. *F. n.* 15. *& in* 2. *d.* 3. *q.* 6.

Digitized by Google

quo jam diximus mentem noſtram in Logica, [1] ubi affirmativè reſponſum eſt ad hanc quæſtionem, tamen majoris claritatis gratia pauca hìc annectimus.

CONCLUSIO.

P*Robabilius eſt, quòd ab omnibus individuis poteſt abſtrahi ratio aliqua communis, & univoca*. Eſt conformior Scoto contra plures Scotiſtas.

Prob. 1. ex Scoto præter textus adductos in Logica, [2] ubi docet, quòd ad hoc, ut ab aliquibus abſtrahatur aliquis conceptus communis, & univocus, non eſt neceſſe, ut ex parte objectorum ſit aliqua realitas à parte rei diſtincta, quæ illi correſpondeat, & per conſeq. ſit determinabilis à parte rei per aliam realitatē, ſicut eſt determinabilis ex parte intellectus per alium conceptum, unde hoc non impedit, quin hæcceitates, ſint 1. diverſæ, quoad realitatem, & realitatem. Do verba Scoti,

„ *Dico, quod aliquis conceptus communis poſſit haberi*, „ *qui dicatur* in quid de generatione divina, & ſpira- „ tione divina, imò forte, qui dicatur in quid de pa- „ ternitate divina, & creata, tamen nulla realitas „ poteſt eſſe in divinis aliquo modo diſtincta ex par- „ te rei, à qua ſumatur iſte conceptus dictus in quid, „ quæ realitas ſit determinabilis per aliam realita- „ tem, ſicut conceptus communis eſt determinabilis „ in intellectu per alium conceptum .... Dico, quòd „ paternitas, & filiatio non ſunt 1. diverſa quantum „ ad intellectum ... ſed quantum ad realitatem: ita „ quod nullum gradum realitatis includunt, qui ſit „ potentialis, & determinabilis per proprias differen- „ tias, vel quaſi proprias, &c. Et hæc omnia ſunt à fortiori vera de hæcceitatibus creatis, ergo, ex Scoto, ex differentiis, quamvis à parte rei 1. diverſis, id eſt, quæ in nulla realitate conveniunt, ut ſunt hæcceitates in creatis, & relationes originis in Deo, poteſt abſtrahi per intellectum ratio aliqua communis.

Prob. 2. (præter alia, quæ in Logica reperies) argumento ultimæ objectionis quæſtionis præced. Nam omnes hæcceitates conveniunt nō tantùm in nomine

M 5 hæc-

[1] *diſp. 4. q. 5. concl. 3.* [2] *in 1. d. 6. q. un. 4. n. 48.*

Digitized by Google

hæcceitatum, ſeu ſingularitatum, ſeu individuationum, ſed etiam in re ſignificata per nomen, ſeu in definitione ſingularitatis, ita ut Petrus, & Paulus æquè conveniant in ſingularitate, ac in humanitate, ergo datur conceptus communis in omnibus individuis. Prob. ant. Tam verum eſt, Petrum eſſe hunc, & Paulum eſſe hunc, &c. quàm Petrum eſſe hominem, & Paulum eſſe hominem, & verum eſt Petreitatem, & Pauleitatem in hoc convenire, quòd ultimò determinant humanitatem,& reddunt illos prorsùs in ſe indiviſos, & diſtinctos à ſeinvicem, & ab omnibus aliis, itaut illis repugnet communicari pluribus, in quibus multiplicentur: ſed hæc eſt ratio, & quidditas hæcceitatis per nomen illud ſignificata: ergo in ea conveniunt univocè.

Objic. 1. *ex Poncio.* Si ratio hæcceitatis eſſet communis omnibus hæcceitatibus, conſtitutum per illam, ſc. individuum, non eſſet hoc, & ſingulare, ſed commune: ſed hoc eſt contra nos, ergo, &c. Prob. maj. Conſtitutum per humanitatem, v.g. homo. eſt univerſale, quia humanitas eſt univerſale, ergo, ſi hæcceitas eſſet communis, ita & individuum.

Reſp. diſt. maj. Si eſſet communis à parte rei, ſicut humanitas, conc. maj. ſi eſſet tantùm communis per intellectum, neg. maj. & ſimiliter diſt. antec. prob. Humanitas eſt de ſe communis à parte rei Petro, & Paulo, Petreitas verò, & Pauleitas à parte rei ſe totis differunt: ſed intellectus inadæquatè, & confusè illas concipiens format de illis conceptum communem conſiſtentem in hoc, quòd utraque ultimatè determinat, & individuat humanitatem in illis.

Inſt. 1. Ideò Petrus non eſt univerſale, ſed ſingulare, quia non eſt communis pluribus; ergo, ſi individuatio ejus eſſet communis, eſſet univerſale Metaphyſicum.

Reſp. diſt. conſeq. Si eſſet communis à parte rei, conc. conſeq. ſi tantummodò per intellectum, neg. conſeq. Homo eſt univerſale, quia à parte rei eſt in pluribus per realem ſui multiplicationem, & unitatem formalem: non ſic eſt de hæcceitate.

Inſt. 2. Humanitas, quia eſt communis, eſt contrahibilis per alias differentias: ſed hæcceitas non eſt

ſic

ſic contrahibilis, ſeu determinabilis, ergo non eſt verè communis. Prob. min. Si enim eſſet ſic contrahibilis, non eſſet primò diverſa, & daretur proceſſus in infinitum: nam de differentiis contractivis Petreitatis, & Pauleitatis ſimiliter diceretur abſtrahi poſſe alium conceptum communem, & ſic de iſto, & cæteris in infinitum.

Reſp. ad maj. Quia eſt communis à parte rei, & contrahibilis per aliam entitatem à parte rei ſuperadditam; hæcceitatis verò conceptus, ſicut eſt communis per intellectum, ita eſt contrahibilis per alium conceptum ejuſdem intellectus, unde diſt. conſ. Non eſt communis verè, ideſt realiter, & à parte rei, conc. conſeq. per intellectum, n. conſeq. & ideò non datur proceſſus in infinitum: quia hæcceitas quælibet eſt ultima ratio, & formalitas à parte rei determinativa naturæ; & ſic implicat dari ulteriorem; alioqui illa eſſet ultima, & non ultima.

Objic. 2. ex eodem. Abſurdum eſt, aliquam naturam realem ponere in eſſe, quæ non habeat aliud munus Phyſicum, quàm fundare illam communem ſingularitatem: ſed hæc individuatio communis non haberet aliud munus Phyſicum, quàm fundare illam ſingularitatem, ergo abſurdum eſt illam aſſerere. Maj. patet. Nam aliæ omnes naturæ commnnes habent aliud munus Phyſicum, nempe operationes ſic proprias.

Reſp. conceſſa maj. & min. diſt. conſeq. Abſurdum eſt, illam aſſerere realem, conc. conſeq. per intellectum abſtrahentem, & inadæquatè, ac confuſè concipientem hæcceitates ſub illa ratione communi, neg. conſeq. aſſerimus autem illam hoc poſteriori modo fieri.

Objic. 3. ex eodem. Præciſa omni communitate inter Petreitatem, & Pauleitatem, adhuc illæ individuarent, ergo ille conceptus cõmunis fruſtra aſſeritur.

Reſp. neg. conſeq. Non enim ideò aſſeritur ille conceptus communis, ut hæcceitates individuent, ſed quia in illo munere individuandi conveniũt de facto.

Objic. 4. In hæcceitate nulla eſt ratio contrahibilis, & contractiva, ergo in ea nulla eſt ratio communis. Prob. conſeq. Quia omne commune eſt contrahibile per aliquam differentiam contractivam. Prob. etiam

Digitized by Google

ant. Quia ipſamet eſt ultimum contractivum omnium naturarum.

Reſp. d. ant. Nulla eſt ratio contrahibilis, & contractiva à parte rei, conc. ant. & conſeq. per intellectum, neg. ant. & conſeq. De hoc patet, ex allato textu Scoti.

Inſt. 1. Contrahibile, & contractivum ſunt diverſæ formalitates in natura communi, ita ut iſtud ſit extra quidditatem illius: ſed hæc non poſſunt eſſe, nec concipi in ſingularitate, ergo, &c. Probatur minor. Contrahibile non habet rationem individuationis; quia hæc eſt eſſentialiter, & purè contractiva, ergo, &c.

Reſp. ad maj. Contrahibile, & contractivum eodem modo conveniunt naturæ communi, quo communis eſt. Si eſt communis à parte rei, illa ipſi conveniunt à parte rei, ſi eſt communis per intellectum, ita & illa. Hoc poſito, d.min. Non poſſunt eſſe, nec concipi à parte rei, conc. min. per abſtractionem intellectus, n.min. & conſ. Nam per abſtractionem concipitur, ut ratio communis omnibus individuis, & in eo ſtatu eſt contrahibilis.

Inſt. 2. Totum munus individuationis eſt diſtinguere illa, quæ conveniunt in natura, ergo non facit convenire ullo modo. Prob. conſeq. Si convenirent per illam aliquo modo, totum munus ejus non eſſet diſtinguere, ergo, &c.

Reſp. neg. conſeq. Quia in hoc conveniunt omnes individuationes, quò ſint ultimò diſtinctivæ, & diſt. ant. prob. ejus. Totum munus hæcceitatum confuſè, & inadæquatè cognitarum non eſſet diſtinguere, conc. ant. Totum munus hæcceitatum diſtinctè, & adæquatè, ſeu à parte rei, & præciſa omni abſtractione intellectus, neg. ant. Totum munus Petreitatis eſt diſtinguere Petrum à Paulo à parte rei: ſed dum confuſè, & inadæquatè conſideratur: in hoc convenit cum Pauleitate, quod utraque ultimatè diſtinguit ſuum ſubjectum.

Objic. 5. ex Scoto. [1] Si natura ſpecifica Angelorum eſſet de ſe hęc, & ſingularis, non poſſet concipi, ut univerſalis ſine contradictione: ſed individuatio eſt de ſe hæc, ergo repugnat illi concipi, ut communis.

Prob.

[1] *In 2. d. 3. q. 7. A. n. 1.*

Digitized by Google

Prob. maj. Quia conciperetur ſub ratione illi contradictoriè repugnanti; nam ſingulare, & univerſale idem eſt ac ſingulare, & non ſingulare, & ſic prorſùs repugnant, ergo, &c.

Reſp. diſt. conſeq. Repugnat illi concipi, ut communis eſſentialiter, & ex parte objecti, conc. conſeq, ex parte actus abſtrahentis, neg. conſeq. Conceptus enim formalis hæcceitatis, ſub quo definitur, convenit omnibus hæcceitatibus cujuſcumque naturæ, alias objectiones proponit, & reſolvit Maſtrius, [1] & alias attulimus in Logica.

Igitur conſtat, poſſe dari conceptum communem Individuationis, non quidem fundatum in aliqua realitate ex parte ipſius, quæ ſit revera communis, & contrahibilis per aliam, quæ habeat rationem differentiæ, ſicut animal eſt contrahibile per rationalitatem: ſed fundatur in aliquibus realiter diverſis, ſed quæ confuſè, & inadæquatè conceptæ in aliquo conceptu formali conveniunt & in conceptu objectivo, & adæquato, & clarè diſtinguuntur.

QUÆSTIO XIV.

An omnia Individua unius ſpeciei ſint æqualia.

POſt ſtabilem entitatem, & principium Individuationis, videndum, an illa ſecum inferat inæqualitatem individuorum, ut diximus de differentiis ſpecificis, ſeu eſſentiis; an verò æqualitatem, ita ut individua omnia unius ſpeciei ſint neceſſariò æqual a perfectione individuali.

Quæſtio non procedit de perfectione accidentali: certum eſt enim, unum hominem eſſe alio ſaniorem, robuſtiorem, &c. nec de eſſentiali, & quidditativa: certum eſt enim, hanc non ſuſcipere magis, & minus: & ideò omnia individua unius ſpeciei eſſe eſſentialiter æqualia, & differentias individuales non ingredi eſſentiam, ut diximus; nec de perfectione integrali. Nam certum eſt, unum hominem eſſe alio integriorem, nam alius eſt mancus, alius cæcus, aut monoculus, alius claudus: ſed quæritur de perfectione individuali quoad entitatem individualē,

p. æ-

[1] *d.10.q.7.A.n.1.*

præciſè, an duo individua æquè integra, & ſine defectu phyſico, ex ſola ratione ſuæ differentiæ individualis ſint neceſſariò æqualis perfectionis, an ſc. differentia individualis non ſolùm faciat, ut unum individuum non ſit aliud, in hoc enim non datur inæqualitas, ſed etiam ſit perfectius alio in eſſe entitativo.

Solet hæc eadem quæſtio examinari in Libris de anima, utrum anima, ſc. Petri, v.g. fuerit entitativè perfectior anima Judæ, de quo forte redibit quæſtio ibi; nunc in generali eam decidimus de omnibus individuis.

CONCLUSIO.

Omnia individua ejuſdem ſpeciei ſunt entitativè æqualia. Eſt Doctoris, & ſuorum cum aliis, contra Thomiſtas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto. 1. Quia docet, potentias animæ non eſſe ſubſtantialiter perfectiores in uno, quàm in alio. [1] *Dico, quòd potentia de 2. ſpecie qualitatis recipit magis, & minus; unus enim dicitur magis ingenioſus altero, non tamen illud, quod eſt verè potentia:* (ut intellectus, & voluntas) *ſed habilitates illæ*. 2. docet, [2] quòd idem numero homo non ſolùm quoad animam, ſed etiam quoad corpus organicum potuit eſſe Filius Adæ, & Filius Abrahæ (ſucceſſivè, ſeu diviſivè) & ex quocumque iſtorum duorum fuiſſet, idem numero fuiſſet. Id autem non eſſet verum, ſi eſſet aliqua differentia gradualis in ſubſtantiis individualibus, & ſi illæ ſuſciperent magis, & minùs, & niſi individua eſſent ejuſdem perfectionis: quia productum non poteſt excedere producens, ergo ſupponit, quòd Adam, & Abraham erant æquales in gradibus individuationis.

Fatendum tamen, quòd in Metaphyſ. quærens, *an ſubſtantia ſuſcipiat magis, & minùs*, videtur problematicus, imò & magis inclinare in partem affirmativam.

Probatur 2. ratione ex eodem Scoto deducta. [3] Differentiæ individuales, & ultimò conſtitutivæ non ſunt

[1] *in 2. d. 16. q. un. n. 22. Q.* [2] *ibid. 20. q. 1. C. n. 3.* [3] *quodl. 5. fin* & *19. D.*

ſunt entia quanta , i.non dicunt quantitatem virtutis , ergo individua , ut talia , non poſſunt eſſe inæqualia . Conſeq. patet . Nam inæqualitas ſupponit magis , & minus quantitatis virtutis , aut molis in rebus , quæ invicem comparantur , uno verbo ęqualitas,& inæqualitas ſunt paſſiones entis quanti.Prob. ant. Differentia individualis non tam eſt perfectio, quàm perfectionis determinatio ,ergo,&c. Prob. ant. Quia differẽtia individualis non includit formaliter, & directè rationem entis , ut diximus aliàs, ergo neque formalem bonitatem, quæ eſt gradus intrinſecus entis.

Dices, hoc argumento probari etiam,quòd non ſint æqualia : non enim minùs requiritur quantitas perfectionis ad æqualitatem , quàm ad inæqualitatem.

Reſp. hoc verum eſſe de æqualitate poſitiva , non de negativa, quæ conſiſtit in negatione æqualitatis,& hoc eſt totum , quod intendimus.

Confirm. quia,ut omnes concedunt,ideò omnia individua unius ſpeciei ſunt ęqualia in perfectione,quia participant naturas eiuſdem rationis,in qua fundatur illa æqualitas : ſed individua formaliter ſecundum differentias individuales præciſè nihil participant ejuſdem rationis, ſed potiùs per illas primò differunt , ergo nihil poſitivum accipiunt , per quod ſint æqualia , ergo non ſunt æqualia , niſi negativè.

Prob.3.Quia, licèt hæcceitas eſſet formalitas quanta, & importaret perfectionem , adhuc non pateretur inæqualitatem, quia eundem effectum formalem haberet in omnibus , ergo non afferret ullam inæqualitatem. Prob. ant. Totus effectus formalis hæcceitatis eſt reddere naturam unum quid certum , deſignabile , & incommunicabile : ſed hic effectus eſt æqualis in omnibus ; nec enim unum eſt magis individuum alio , ergo &c.

Prob. 4. Dantur aliqua individua unius ſpeciei prorsùs æqualia, ergo omnia ſunt æqualia . Ant. negari non poteſt in rebus homogeneis : nam , ſi aqua dividatur in plures aquas numero,omnes erunt prorsùs æquales, ut patet . Prob. conſeq. Non enim eſt major ratio de illis , quàm de aliis omnibus aliarum ſpecierum , ergo , &c. Prob. ant. In aliis omnibus individuatio idem præſtat , ut dicebamus: nihil aliud ſuper-

Digitized by Google

ſuperaddit naturæ ſpecificæ præter ultimam determinationem.

Dices. Diverſitas rationis petitur ex animabus rationalibus: hæ enim ſunt ejuſdem ſpeciei, & non ejuſdem perfectionis gradualis: una enim eſt perſpicacior, vegetior, ingenioſior alia, ex perfectiori autem operatione colligitur perfectio gradualis operantis.

Contra. Si hæc ratio valeret, ſequeretur, animas ipſas creſcere, & decreſcere, & mutari individualiter: falſum conſeq. ergo, &c. Prob. ſeq. Quia non minor cernitur inæqualitas in eodem homine ſecundum ætates diverſas infantiæ, v. g. virilitatis, & ſenectutis: vel ante, & poſt aliquot morbos, &c. ergo, ſi ex illis operationibus colligeretur inæqualitas animarum, & differentia illarum, anima eadem toties mutaretur individualiter, quoties iſtæ diverſitates acciderent: quod nullus ſomniavit.

Dicendum ergo, hanc inæqualitatem oriri non ex diverſitate differentiarum individualium, ſed ex differentia humorum, temperamentorum, & partium conformatione, ac organorum.

Confir. Quia hæc differentia operationum argueret potiùs diverſitatem naturarum, quàm individuorum: quia natura, non autem individuatio eſt principium operandi.

Prob. denique. Si individua ex prædicatis ſuis intrinſecis eſſent inæqualis perfectionis, potiùs dicerentur diverſæ ſpeciei, quàm individuationis, & ſic non eſſent ejuſdem ſpeciei infimæ: ſed hoc eſt contra ſuppoſitionem, ergo, &c. Prob. ſeq. Quia ideò dicimus, ſimiam, & hominem, aut mulum, & equum eſſe diverſæ ſpeciei, quia habent diverſas operationes ex prædicatis ſuis intrinſecis, ergo idem eſſet de animabus, ſi inæqualitas oriretur ex prædicatis earum intrinſecis: nam differrent pluſquàm numero, & notabiliter.

Objic. 1. cenſuram Pariſienſem, quæ videtur damnaſſe hanc propoſitionem, quòd *omnes animæ ſunt æquales*, ergo, &c.

Reſp. neg. ant. ſc. famoſam illam Univerſitatem damnaſſe talem propoſitionem in noſtro ſenſu; fortè damnavit eam, quatenus poſſet intelligi abſolutè de

omni

Digitized by Google

omni perfectione tam extrinſeca,& accidentali,quam entitativa, & intrinſeca; nos verò de hac poſteriori loquimur, & negamus eam poſſe venire purè, & directè à differentiis individualibus; idem dicendum de S. Thoma, & aliis inſignioribus Theologis, aut Patribus, quatenus viderentur aſſerere inæqualitatem animarum.

Inſt. 1. Sequeretur animam Chriſti non eſſe perfectiorem anima Judæ: ſed impium conſeq. ergo & antec.

Reſp. diſt. ſeq. In entitate ſubſtantiali, & quoad prædicata quidditativa, conc. ſeq. & neg. min. in perfectionibus accidentalibus, neg. ſeq. maj. Certè anima Chriſti quidditativè, & in ſubſtantia non ſolùm eſt ęqualis animæ Judæ, ſed etiam imperfectior anima Luciferi; quid inde? niſi quòd major elucet Chriſti humilitas, & Dei ſapientia, *qui exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens in ſimilitudinem, &c.*

Objic. 2. Genus contrahitur per differentias inæquales, ergo & ſpecies, ergo hæcceitates ſunt inæquales.

Reſp. neg. conſeq. & diſparitas eſt, quia ſic contrahi non repugnat generi, benè verò ſpeciebus.

Objic. 3. Cognitio, qua cognoſco Petrum, eſt ejuſdem ſpeciei cum ea, qua cognoſco Joannem, & Paulum ſimul: ſed una eſt entitativè perfectior altera, ergo datur inæqualitas inter individua ejuſdem ſpeciei.

Reſp. 1. falſum ſupponi in maj. ſc. Joannem, & Paulum cognoſci ſimul eodem actu, & ſic corruit argumentum.

Reſpondeo 2. diſt. min. Eſt perfectior extrinſecè, & extenſivè, conc. min. intrinſecè, neg. min. & conſeq. Perfectio enim extenſiva eſt accidentalis, alioqui potiùs dicendum eſſet, eam differre ſpecie, quatenus una eſſentialiter eſſet repræſentativa, & limitata ad ſolum Petrum repræſentandum, altera verò ad Paulum, & Joannem, ſeu ad duos, vel tres.

Objic. 4. Petrus, & Paulus ſunt individua ejuſdem ſpeciei, ſed differunt pluſquàm numero, ergo individua ejuſdem ſpeciei differunt pluſquam numero. Prob.

Digitized by Google

Prob. min . Petrus, & Paulus includunt uniones differentes pluſquàm numero , ergo & ipſi differunt pluſquàm numero . Prob. ant. Unio Petri eſt ita determinata ad materiam , & formam Petri , ut non poſſet unire materiam, & formam Pauli, & ita eſt de unione Pauli: ſed talis determinatio arguit differentiam majorem ,quàm numericam , ergo, &c.

Circa reſponſionem ad hoc argumentum acriter altercantur inſignes Scotiſtæ PP. Maſtrius , [1] & Poncius .

Reſp.cum iſto neg. min.1.argum.& ant.2.& min.3. Sicut enim hæcceitas materiæ, & formæ Petri præciſè non facit , ut differat pluſquam numero à Paulo, nec Paulus à Petro : ita nec hæcceitas unionis , quam includunt ; & ſi vel materia , vel forma Petri exigerent diverſam unionem ab unione Pauli ex ſe, eſſent etiam & ipſæ diverſæ , & quidem ſpecie , quia eſſentialiter exigerent diverſas relationes , & illas fundarent ; exigentia enim intrinſeca diverſorum modorum , & relationum arguit diverſitatem eſſentiarum .

Revera autem non puto , uniones illas differre pluſquàm numero , ſicut nec materiam , & formam , quas uniunt ; & ideò unionem Petri non poſſe eſſe in Paulo, quia eſt hæc, & Petrus hic : ſeu Petrus, & unio Pauli eſt hęc , & Paulus hic non eſt ille, nec alius . Negatur igitur minor , & antec.probationis ejus .

Inſt. 1. Petrus , & Paulus habentes diſtinctas numero materias plus differunt , quàm ſi haberent eandem numero , & tamen non ſunt ejuſdem ſpeciei , qualis eſſent tunc , ergo duo individua ejuſdem ſpeciei differunt pluſquam numero .

Reſp. diſt. ant. Plus diſtinguuntur ratione incluſionis plurium graduum entitatis materialis , & extenſivè , conc. ant. plus differunt alia diſſimilitudine perfectionis ſubſtantialis, neg.ant. & conſeq. Nam per hoc ſolùm differrent , quòd in 2. caſu non haberent tantum materiæ , quantum in primo ; quia duæ numero materiæ in ſingulis hominibus eſſent ejuſdem rationis , nec differrent , niſi ſolo numero .

Inſt.

[1] *Maſt.hìc d.10. q. 11. n.176. & Poncius d.4. n. addit. de princ.individ. p.964. col.2.*

Digitized by Google

Inſt. 2. Viſio unius albedinis magis differt à viſione alterius, quàm ab alia viſione ejuſdem albedinis. Item præſentia, ſive *ubi*, quo Petrus ponitur Romæ, magis differt ab eo, quo ponitur Camberii, quàm ab alio, quo poneretur etiam Romæ. Item duæ actiones, quibus ignis A, & B, poſſunt producere duos calores, magis differunt, quàm duę actiones, quibus producerent eundem numero calorem: ſed illæ omnes viſiones, illa *ubi*, & illæ actiones eſſent ejuſdem ſpeciei, & ſolo numero differrent, ergo datur major, & minor differentia ſubſtantialis inter res ejuſdem ſpeciei.

Reſp. ut ad præced. diſt. maj. Magis differunt extenſivè, & accidentaliter, conc. maj. ſubſtantialiter, & intrinſecè, neg. maj. & conſeq. Nam illæ actiones, & viſiones, & *ubi* in hoc ſolùm inæqualia ſunt, quia plures gradus materiæ, aut ſubjecti, aut termini habent, quàm alia, v. g. plura *ubi* Romana, poſito quòd non differant ſpecie ab *ubi* Camberiaco, niſi penes extrinſecam relationem ad diſtantiam centri, aut poli; ſic inter viſiones illas inæqualitas non eſt, niſi extenſiva, & extrinſeca, quatenùs duæ ad eandem numero albedinem terminantur, aliæ ad duas numero tantùm differentes, idem eſt de duabus actionibus.

DISPUTATIO VI.

De ſubſiſtentia, ſuppoſito, & perſonalitate.

SUbſiſtentia eſt ulterior terminus entis, quàm individuatio: addit enim individuationi novam incommunicabilitatem, & ejus cognitio maximi eſt momenti Philoſophis Chriſtianis: & adhuc à fortiori Theologis ad explicanda myſteria Sanctiſſimæ Trinitatis, ac Dominicæ Incarnationis. De illa hic agendum.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit ſubſiſtentia, ſuppoſitum, & perſonalitas.

SUbſiſtentiam hanc non noverunt antiqui Philoſophi, Chriſtianis hæc notitia propria eſt, quam hauſerunt ex revelatione, & fide myſteriorum SS. Trinitatis, & Incarnationis. *Subſiſtentia* eſt ultimum rei complementum, &, ut vox ſonat, ſignificat *Perſeitatem* quandam rei exiſtentis, & præcipuè in Subſtantia, quatenus eſt exiſtens independenter à quolibet ſuſtentante, & hoc ſenſu dicitur græcè *Hypoſtaſis*, latinè *Suppoſitum*, *aut perſona*. Hypoſtaſis olim ſumebatur pro prima ſubſtantia, quę per ſingularitatem redditur incommunicabilis ulteriùs, ut explicuimus ſupra, quæ confuſio nominis præbuit occaſionem Arrianis aſſerendi in Deo tres ſubſtantias, quia ibi ſunt tres perſonæ, ſuppoſita, ſeu hypoſtaſes; & apud Catholicos ſignificat ſolam perſonalitatem (ſeu ſuppoſitalitatem, & ſubſiſtentiam.

Porro *ſubſiſtere* idem eſt, ac per ſe exiſtere, & hoc dici poteſt 1. latiſſimè, pro exiſtentia independente ab omni alio quomodocunque, 2. paulò ſtrictè pro exiſtentia independente à ſubjecto inhæſionis; & talis eſt perſeitas ſubſtantiæ oppoſita inhærentiæ accidentis; convenitque omni, & ſoli ſubſtantiæ, ut dicemus. 3. ſtrictiſſimè, & propriiſſimè pro perſonalitate, ſeu ſuppoſitalitate, quam hic explicamus.

Rursùs *ſubſiſtentia* in hoc 3. ſenſu eſt nomen quaſi genericum, & commune *ſuppoſito*, & *perſonæ*, quæ differunt notabiliter: nam *ſuppoſitum* adhuc latiùs patet, quàm *perſona*; illud enim dicitur de omni ſubſiſtente, quodcumque ſit, *perſona* autem dicitur tantùm de natura rationali: unde omnis *perſona* eſt quidem *ſuppoſitum*, non è contra; non enim omne *ſuppoſitum* eſt *perſona*. Suppoſitum ergo ſe habet ad perſonam, ut quoddam ſuperius, & magis commune ad minùs commune: ſed tamen tota differentia eſt quaſi extrinſeca ſubſiſtentiæ, & ſe tenet ex parte rei,

Digitized by Google

in qua eſt, quæ, ſi eſt intellectualis, dicitur *perſona*, ſi non, dicitur *ſuppoſitum*, unde, quod dicetur de quidditate perſonalitatis, aut de ſubſiſtentia, ſeu ſuppoſitalitate, utrique conveniet quoad intrinſecam rationem.

Supponimus autem pro nunc ex omnium Philoſophorum Fidelium, & Theologorum conſenſu, dari hujuſmodi ſubſiſtentiam, quę eſt ultimum naturę ſubſtantialis complementum, illamque reddit ita in ſe ſubſiſtentem, ut non egeat communicari ulli alteri naturę ad ſui perfectionem ſubſtantialem; hoc enim, ut jam dicebamus, conſtat ex myſteriis Trinitatis, & Incarnationis. Quid autem ea ſit propriè, hic dicendũ.

CONCLUSIO I.

Subſiſtentia ſufficienter deſcribi poteſt, naturę ſubſtantialis incommunicabilis exiſtentia, & conſequenter, *perſona eſt rationalis naturæ incommunicabilis exiſtentia*. Eſt Richardi à S. Victore, [1] & eam communiter Philoſophi, & Theologi approbant.

Prob. 1. ex Doct. [2] qui dum examinat, an perſona, prout dicitur de Patre, Filio, & Spiritu Sancto, dicat aliquid præcisè ſecundæ intentionis, ſic reſolvit, *ad quæſt. reſp. quòd accipiendo definitionem perſonæ, quam ponit Richardus*, quòd eſt intellectualis naturæ incommunicabilis exiſtentia, *per quam definitionem exponitur, vel corrigitur definitio Boetii dicentis*, *quòd perſona* eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia .... *dico*, *quòd nihil propriè eſt in hac definitione Richardi*, *quod ſignificet intentionem ſecundam*, &c. & recipitur ab omnibus.

Quantum ad definitionem Boetii admittitur etiam prout coincidit cum iſta; quod ut faciat, nomine *ſubſtantiæ* intelligenda eſt natura completa, & nomine *individuæ ſubſtantiæ*, intelligenda eſt *incommunicabilis exiſtentia*: nam anima rationalis ſeparata non eſt perſona, & tamen illi conveniret illa definitio, niſi intelligeretur ~~de natura~~ completa, & incommunicabili.

Prob.

[1] *Lib.4. de Trin. c.* 22. [2] 1. *d.* 23. *q.* 1. *n.* 4. *L.*
[3] *Lib.. de duab. nat.*

Digitized by Google

Prob. autem ratione . Nam per hanc deſcriptionem ſufficienter explicatur quidditas ſubſiſtentiæ , prout hic ſumitur , dicitur 1. *naturæ exiſtentia*,quod ponitur loco generis: per hoc convenit cum exiſtentia , & cum omni ente ſubſiſtente . 2. *incommunicabilis*, & per hoc jam differt ab aliis ſubſtantiis ſingularibus, & exiſtentibus , ſed adhuc convenit cum ſuppoſitis , quæ exiſtunt incommunicabiliter . 3. *intellectualis*; & eſt ultima differentia perſonalitatis , quia convenit , & dicitur de ſola natura intellectuali, qualis eſt natura Dei , & Angeli, & hominis ; quid ſit autem ea incommunicabilitas , dicemus infrà .

CONCLUSIO II.

*Subſiſtentia creata eſt quid **reale** ſuperadditum naturæ ſubſtantiali ſingulari , ab eaque realiter diſtinctum* . Eſt communis omnium Philoſophorum Fidelium , & Theologorum .

Prob. 1.ex Scoto. Nam, [1] *patet*, inquit, *quòd non eodem formaliter*, *& ultimatè* (natura intellectualis) *eſt individuata* , *& perſonata hac perſonalitate creata* , *quia* , *ſecundum Damaſcen.* [2] *verbum aſſumpſit naturam in atomo* , *non tamen perſonatam* . Igitur probat ex myſterio Incarnationis diſtinctionem realem naturæ à ſuppoſito, ſeu ſubſiſtentia : nam de fide eſt , quòd Verbum Divinum aſsumpſit totam humanam naturam noſtram abſque perſonalitate humana , ita ut humanitas Chriſti ſit perſonata per ſolam perſonalitatem Verbi , non autem per humanam , ergo perſonalitas creata eſt ſeparabilis à natura , ergo ab ea diſtinguitur realiter : nam ſeparabilitas eſt certiſſimum argumentum diſtinctionis realis .

Objic. 1. Suppoſitum nihil eſt præter compoſitum ex hac materia , & forma; ſed tale compoſitum nihil importat ſuperadditū naturæ completæ, & ſingulari, ergo ſuppoſitum nihil addit naturæ completæ ſingulari. Prob. maj. Nihil excogitari poteſt ſubſtantiale, quod ſuperveniat tali compoſito ,ergo , &c.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. Nam excogitari poteſt & modus quidam ſubſtantialis, quo ultimatè termi-

[1] *in* 3.*d*.1.*q*.1. *D*.*n*.6. [2] *L*.3.*c*.11.

Digitized by Google

minatur, & incommunicabiliter, & hoc eſt perſonalitas. Debet, inquam, propter rationem allatam ex myſterio Incarnationis.

Objic. 2. Quæ eadem generatione generantur, & corruptione corrumpuntur, non diſtinguuntur realiter, ſed natura, & ſubſiſtentia ſic ſe habent, ergo, &c.

Reſp. d. maj. Si aliter non poſſunt eſse, conc. maj. & neg. min. ſi aliter poſſunt eſse, neg. maj. fateor quidem, eadem generatione naturam produci, & manare, ſeu reſultare ſubſiſtentiam, & ſimiliter corrumpi, ſed id non eſt adeò neceſsarium, quin Deo volente producatur natura ſine propria ſubſiſtentia, ut accidit de facto in Incarnatione Verbi, in qua humanitas Chriſti producta eſt ſine propria perſonalitate.

Objic. 3. Quod convenit individuis unius ſpeciei, pertinet ad naturam omnibus ſpecificam: ſed ſubſiſtentia convenit omnibus, &c. ergo pertinet ad naturam ſpecificam, & non eſt quid diſtinctum.

Reſp. neg. maj. abſolutè. Nam individualitas, & exiſtentia conveniunt omnibus individuis naturæ ſpecificę, nec tamen ſunt de illius quidditate: vel ſic diſt. ſi conveniat illis ratione naturæ, conc. maj. & neg. min. ſi aliunde, neg. maj. Subſiſtentia ergo non convenit naturæ ex ratione ejus ſpecifica, ſed aliundè, ut magis patebit.

Objic. 4. Natura ſingularis, & ſuppoſitum non magis diſtinguuntur, quàm concretum, & abſtractum, ſed concretum, & abſtractum non diſtinguuntur realiter: ſed idem ſunt, ergo ita eſt de ſubſiſtentia cum natura ſingulari. Prob. min. Nam album, & albedo non diſtinguuntur realiter, ergo, &c.

Reſp. neg. min. Nam concretum, v. g. album, duo ſignificat, ſc. ſubjectum, & formam, abſtractum verò ſolam formam; ſic concretum *perſonatum* ſignificat perſonalitatem, & naturam ſingularem, in qua eſt; *perſonalitas verò non*, ſed ſolam perſonalitatem.

Objic. denique Scotum, [1] qui videtur aſserere identitatem realem inter naturam, & ſubſiſtentiam, ergo &c. Prob. ant. Ait enim, *quòd aliqua natura habet*

[1] *Quodl.* 19. *M.* & *CC. n.* 11. & 12.

Digitized by Google

habet proprium per ſe ſuppoſitum, ſicut eſt natura ſubſtantialis, & ibi eſt identitas realis naturæ, & ſuppoſiti; & aſſerit infra, proprium ſuppoſitum dicere independentiam, ſeu incommunicabilitatem propter per ſe identitatem.

Reſp. n. ant. & ad textū illū dico cum Licheto [1] Scotū loqui non de ſubſiſtentia formali, & actuali ſed de radicali, ſeu aptitudinali, quatenus omnis natura per ſe, & ſingularis nata eſt habere per ſe propriam ſubſiſtentiam; & de facto per ſe ſubſiſtit, niſi actu dependeat, & communicetur alteri enti, per quod ſubſiſtat, & ulterius compleatur, & talis ſubſiſtentia radicalis eſt identificata propriæ naturę, non verò formalis.

CONCLUSIO III.

Subſiſtentia, de qua loquimur, diſtinguitur à perſeitate ſubſtantiæ. Eſt Doct. & aliorum communiter.

Prob. 1. ex Scoto ſic docente. [2] *Ens per ſe poteſt intelligi tripliciter. 1. intelligitur ens per ſe ſolitariè, ſic eſſe per ſe idem eſt, ac exiſtere ſolitariè, & ſine alio, & hoc modo accidens poteſt eſſe per ſe, quandò non eſt in ſubjecto. 2. modo dicitur ens per ſe, prout diſtinguitur contra ens in alio, & ſic per ſe ens idem eſt, quod non inhærens actualiter, nec aptitudinaliter, & hoc modo, quæcumque ſubſtantia, non tantùm compoſita)* ſeu totalis) *ſed etiam* (partialis) *materia, & forma eſt ens per ſe, quia inhærere dicit non per ſe informare, quia inhærens nec eſt actus ſimpliciter, ſed ſecundum quid, nec facit unum per ſe cum illo, cui inhæret, & oppoſita conveniunt ei, quod per ſe informat. 3. modo ens per ſe dicitur illud, quod habet actualitatem ultimatam, ita quòd non eſt per ſe ordinabile ad aliquem actum ſimpliciter ultra iſtum, quem habet, qui quidem actus poſterior poſſit eſſe actus ejus per ſe, & hoc primò, vel participativè; quod hoc modo eſt per ſe ens, communiter dicitur ſuppoſitum, & in natura intellectuali dicitur perſona*. Nihil clarius dici poteſt, ut puto, ad

[1] *Quodl*, 10. *M. & CC. n.* 11. & 22.
[2] *Lichet. ibi in comm. n.* 16. *v. nota.*

Digitized by Google

ad diſtinguendam rationem *ſubſiſtentiæ* à ratione *perſeitatis ſubſtantiæ*, ut ſic.

Prob.2. ex præced. Natura humana Chriſti exiſtit per ſe, ſecundum veram perſeitatem ſubſtantiæ; nec enim pendet à Verbo, velut à ſubjecto ſive inhæſionis, ſive informationis: & tamen non ſubſiſtit per propriam ſubſiſtentiam, ſed per divinam, ergo ſubſiſtentia eſt quid diſtinctum à perſeitate ſubſtantiæ completæ, & ſingularis.

Objic.1. Subſiſtentia opponitur inhærẽtiæ: ſed perſeitas ſubſtantiæ opponitur inhærentiæ, ergo ſubſiſtentia, & perſeitas ſubſtantiæ idem ſunt. Prob.maj. Nam per ſubſiſtentiam tam excluditur accidens, quàm per illam perſeitatem.

Reſp.diſt. maj. Opponitur inhærentiæ, & ſimul dependentiæ ab alio, tanquam à ſuſtentante, ſeu complente, conc. maj. & neg. min. opponitur tantummodò inhærentiæ: neg. maj. & conſeq. Quod enim ſubſiſtit, non ſolùm non inhæret alteri, ut ſubjecto, ſed etiam eſt ultimò in ſe terminatum, & completum, ac incommunicabile alteri, quod non dicit ſubſiſtentia, ſeu perſeitas ſubſtantiæ, ut ſic.

Objic.2. Subſiſtẽtia propriè dicit perſeitatem illam exiſtentiæ, qua ſubſtantia intelligitur independens à ſuſtentante: ſed hæc independentia nihil eſt aliud, quàm independentia à ſubjecto, cui innitatur; ergo ſubſiſtentia idem eſt cum perſeitate exiſtentiæ in ſubſtantia.

Reſp.diſt.maj. Independens à ſuſtentante, tanquàm ulterius terminante, & complente, conc.maj, & neg. min. tanquam à ſubjecto inhæſionis, aut informationis, neg.maj. & conſeq. Nam longè alia eſt independentia, quam importat ſubſiſtentia, ſeu ſuppoſitalitas, ſeu perſonalitas. Quæ autẽ illa ſit, patebit ex dicendis.

QUÆSTIO II.

Unde diſtinctio ſubſiſtentiæ à natura ſingulari, & completa probari poſſit; an naturali aliqua ratione.

Dicebamus hanc ſubſiſtentiam fuiſſe ignotam Philoſophis ethnicis, & ante Incarnationem Do-

Digitized by Google

minicam: ſed ut clarius hæc materia tota intelligatur, & ſciatur, quibus principiis innitatur, & defendenda ſit hæc veritas, id ſpecialiter examinandum.

CONCLUSIO I.

Non poteſt ulla ratione naturali, & ſecluſis principiis Fidei Chriſtianæ probari diſtinctio realis ſubſiſtentiæ creatæ. Eſt Doctoris, & aliorum communiter, pauciſſimis exceptis.

Prob. 1. ex Scoto, qui ubicumque loquitur de hac ſubſiſtentia, recurrit ad myſterium Trinitatis, & Incarnationis, ut patet ex textibus jam allatis, & adducendis.

Prob. 2. examinando rationes, quibus adverſarii probari prætendunt talem diſtinctionem: nam, ſi nulla ratio, vel auctoritas naturalis ſuppetat, ex ſolis principiis fidei neceſsario eſt probanda.

Objic. 1. ex Philoſopho, à quo habemus illud axioma, *actiones ſunt ſuppoſitorum,* [1] ergo Ariſtot. lumine naturali agnovit ſuppoſitalitatem. Idem colligitur ex aliis textibus ejuſdem Philoſophi, ut cùm dicit, quòd humanitas non *net*, *nec ambulat, ſed homo*. Sic enim diſtinguit *hominem*, qui eſt perſona, ab humanitate, quæ eſt natura completa. 3. cùm ait, *Subſtantiam duobus modis dici, & ipſum ultimum ſubjectum, quod non eſt in alio* (ſc. individuum) *& id, quod cùm ſit quod quid eſt, etiam ſeparabile fuerit, tale verò eſt cujuſcumque forma & ſpecies,* quod intelligi non poteſt, niſi de ſubſiſtentia, ſeu ſuppoſito, ergo agnovit ſeparabilitatem ſubſiſtentiæ per lumen naturale.

Reſp. neg. conſeq. Nam ex illis nihil colligitur de diſtinctione ſuppoſiti à natura: in 1. non dicit *ſuppoſitorum*, ſed *ſingularium*: & quamvis uteretur nomine ſuppoſiti, non tamen inde colligeretur iſta diſtinctio. Idem dico ad 2. ait enim, quòd actiones non competunt *animæ*, ſed *homini*, quod eſt verum, ſed longè diverſum ab eo, quod infertur, nempè diſtinctio ſuppoſiti à natura. Idem dicendum ad 3. nam, ut interpretatur Scotus, [2] ibi tantùm dicit,

[1] *L. 1. de An. t. 64. l. 5. metaph. c. 8. t. 15.*
[2] *ibid. n. 71. ad 3.*

Digitized by Google

cit, quòd ſubjectum *ultimum* , ideſt, *ſubſtantia prima* (ſive individuũ) *quæ ita ſubjicitur, ut non ampliùs prædicetur de alio* ; *& quod eſt hoc aliquid ens, quaſi per ſe exiſtens, & ſeparabile fuerit* , i. *diſtinctum ab omnibus aliis*, ergo, ex Scoto , id totum intelligitur de ſubſtantia ſingulari , non autem de ſubſiſtentia præcisè : nam quod addit , *tale verò eſt cujuſcumq; forma , & ſpecies* : non amplius ſpectat ad illum primum modum , ſc. ad ſubſtantiam primam , ſed ſenſus eſt, quod *alio modo dicitur ſubſtantia uniuſcujuſque forma , & ſpecies , in quo concludis* 2. *&* 4. *modum , nam tam forma partis , quàm forma totius dicitur forma , & ſpecies*, inquit Scotus.

Uno verbo, & ut notat Poncius , omnes intelligunt , Philoſophum ibi loqui de natura ſingulari , quæ eſt prima ſubſtantia , & quæ de nullo prædicatur , & de natura univerſali , quæ eſt ſubſtantia. 2. & quę dicitur, *quod quid eſt ſubſtantiæ primæ* , & ſeparabilis à prima , quatenùs reperiri poteſt in primis omnibus , de quibus prædicatur in *quod quid* eſt , ſeu eſsentialiter , & velut eſſentia , ſeu forma.

Objic 2. communem uſum loquendi , & concipiendi , omnes enim diſtinguunt ſuppoſitum à natura , & dicunt , naturam eſſe conſtitutivum ſuppoſiti : ſed inter conſtituens, & conſtitutum ineſt diſtinctio realis, ergo lumine naturali agnoſcitur illa diſtinctio.

Reſp. 1.neg. min. Nam homo metaphyſicè conſtituitur ex animali,& rationali , & humanitas ex animalitate, & rationalitate , & tamen nulla eſt ibi diſtinctio realis.

Reſp. 2. neg. maj. Nam concipiendo hominem , v.g. diſtinctè ab humanitate, nihil aliud faciunt , quam præſcindere naturam à ſingularitate , & tamen inter naturam , & ſingularitatem non datur diſtinctio realis.

Digitized by Google

CONCLUSIO II.

D*Iſtinctio realis naturæ à ſubſiſtentia cognoſcitur juxta principia fidei*. Hæc ſequitur ex præcedentibus.

Prob. 1. ex SS. PP. & ex B. Vigilio [1] dicente, quòd Neſtorius, & Eutyches errarunt circa myſterium Incarnationis, quia non cognoverunt hanc diſtinctionem, inde enim eſt, ut primus aſſeruerit in Chriſto duas perſonas, quia agnovit duas naturas: alter verò unicam naturam ex divina, & humana permixtam, & compoſitam, quia unicam agnovit in eodem perſonam.

2. ex D. Damaſc. [2] *hoc*, inquit, *hæreticos in errorem inducit, quòd naturam, & perſonam idem eſſe ſtatuant*, & ex D. Epiphan. *ideò hæretici errant*, inquit, *quia nihil aliud agunt, niſi ut oſtendant naturam, & hypoſtaſim idem eſſe, quæ ſanè inter ſe differre veri Eccleſiæ Catholicæ alumni cognoſcunt*, ergo ex principiis fidei, videlicet ex myſterio Incarnationis, in quo agnoſcimus duas naturas in unica Verbi divini perſona, agnoſcitur diſtinctio realis perſonalitatis à natura, nam oportet fateamur, naturam humanam Chriſti eſſe in eo ſine propria perſonalitate, ſed ſubſiſtentem perſonalitate ſola Verbi.

QUÆSTIO III.

An ſubſiſtentia dicat aliquid poſitivum; vel purè negativum.

CErtum eſt, ſubſiſtentiam importare plures negationes communicabilitatis, & dependentiæ, imò deſcribi ſolet *naturæ ſingularis incommunicabilis exiſtentia*, ſed quædam incommunicabilitas venit præcisè à ſingularitate, quædam à ſuppoſitalitate, v. g. incommunicabilitas pluribus inferioribus, in quibus natura ſpecifica multiplicatur realiter, & de quibus prædicatur in quid, venit ab individuatione, ut diximus; incommunicabilitas verò cum

[1] *L. 2. contra Eutychem.*
[2] *L. 3. de fide, c. 3. in 6. Synodo, n. 6.*

Digitized by Google

cum alia natura, vel ſubſtantia diſtincta, per quam ſuſtentetur, aut perficiatur, videtur venire præcisè à *ſubſiſtentia*: nam ſubſiſtentia dicitur à quaſi *in ſe ſiſtentia*, quatenus in tantum cenſetur res ſubſiſtere, quatenus ita in ſe ſiſtit, ut non ulteriùs tendat ad quærendum ſui complementum.

Suppoſitum igitur, ſeu *perſona*, dicit pro materiali aliquid poſitivum, ſc. naturam ſingularem in ſe poſitivè, & ſubſtantialiter completam, & pro formali importat negationem ulterioris complebilitatis, ſeu ulterioris communicabilitatis ulli ſubſtantiæ, à qua dependeat, velut à complemento actuali, vel poſſibili, & de hoc nulla eſt controverſia inter Philoſophos, vel Theologos: ſed tota lis eſt, an illud formale, & diſtinctum, quod addit ſubſiſtentia ſupra naturam illam ſic completam, conſiſtat in pura negatione, an verò in aliqua entitate poſitiva, ex qua ſequatur illa negatio.

Porrò, ſicut *communicabilitas* alia eſt, *ut quod*, qua natura univerſalis communicatur inferioribus; alia, *ut quo*, qua forma communicatur ſubjecto; ſic duplex eſt incommunicabilitas; alia eſt, *ut quod*, qua natura ſit incommunicabilis pluribus inferioribus, in quibus multiplicatur: & hæc, ut dixi, venit ab individuatione; alia eſt, *ut quo*, per quam natura ſit incommunicabilis alteri rei ſubſtantiali, ut forma, ſive totalis, ſive partialis, & hæc eſt propria naturæ ſubſiſtenti; & hanc accipit à ſubſiſtentia.

Alii triplicem diſtinguunt communicationem in natura ſubſtantiali, 1. eſt in ordine ad ſubjectum; à quo ſuſtentetur in genere cauſæ materialis; ſic forma communicatur materiæ: 2. in ordine ad totum, ſicut partes, per quas conſtituitur, & ipſæ partes inter ſe; 3. in ordine ad ſuppoſitum alienum, à quo natura dicitur ſuſtentari, ſicut humanitas Chriſti communicatur ſuppoſito Verbi, & ab eo ſuſtentatur. 1. tollitur per modum intrinſecum, qui dicitur *perſeitas*, de qua diximus ſupra. 2. per propriam entitatem entis completi, ſub qua repugnat rei communicari alteri per modum partis. 3. denique per ſubſiſtentiam, quę reddit naturam incommunicabilem alteri, ut ſuppoſito, & defectu hujus incommunicabilitatis humanitas Chriſti non habet propriam ſubſiſtentiam, &

Digitized by Google

dicitur communicabilis, *ut quo*, quia eſt communicatio, ſeu dependentia naturæ per modum formæ totius.

Rursùs, triplex diſtinguitur communicatio, 1. *actualis*, quandò natura aliqua de facto communicatur alteri ſuppoſito, ut humanitas Chriſti communicatur perſonæ Verbi, ab eoque actu dependet. 2. *aptitudinalis*, quandò natura apta eſt, & inclinata ad dependere, & communicari alicui ſuppoſito; ſic humanitas eadem Chriſti habet communicationem, ſeu dependentiam non actualem, ſed aptitudinalem ad propriam ſubſiſtentiam creatam. 3. *potentialis*, & eſt mera non repugnantia ad talem dependentiam, ſeu communicationem, & hanc habet eadem humanitas Chriſti ad dependere, ſeu communicari ſuppoſito Verbi. Huic autem triplici communicationi reſpondet triplex negatio, ſeu incommunicabilitas, *actualis*, *aptitudinalis*, & *potentialis*.

Ad rationem autem ſuppoſiti requiritur dup. illa incommunicabilitas, ſc. actualis, & aptitudinalis, nec enim ſufficit, ut natura non ſit actu communicata: ſed etiam ut non inclinetur ad communicari, & dependere ab alieno ſuppoſito: nam independentia actualis non ſufficit: alioqui anima ſeparata eſſet perſona, non enim communicatur actualiter corpori: ſed apta eſt communicari, & ad hoc inclinatur, nec ſufficit ſola negatio communicationis aptitudinalis; humanitas enim Chriſti habet negationem illam aptitudinalis communicationis naturalis ad ſubſiſtentiam divinam, ſed non propriam, & tamen in Chriſto non eſt perſona humana, ſeu non habet propriam perſonalitatem creatam, ergo, ut natura aliqua dicatur ſuppoſitum, ſeu ſubſiſtens, requiritur utraque illa negatio, communicationis ſimul, ſc. actualis, & aptitudinalis.

Non requiritur autem negatio communicationis, ſeu dependentiæ potentialis, quia nullum eſt ſuppoſitū creatum, quod habeat repugnantiam ad communicari cum ſuppoſito alterius naturæ, ſaltem divinæ, ut patet ex facto; omnis enim creatura eſt in potentia perfectè obedientiali ad Deum: ideo communicabilitas potentialis non impedit, quin natura creata dicatur ſuppoſita per propriam ſubſiſtentiam,

modò

Digitized by Google

modò adſint duę illæ priores incommunicabilitates. Dico, *creata*: nam perſonalitas divina tertiam quoque incommunicabilitatem importat, inquit Doctor. [1]

Conveniunt autem omnes, quòd ſubſiſtentia, de qua hìc agimus, importat duplicem illam incommunicabilitatem: ſed difficultas eſt, an importet prætereà aliquid poſitivum à natura ſubſtantiali, & ſingulari realiter diſtinctum, in quo fundetur.

CONCLUSIO.

Probabilius eſt, ſubſiſtentiam creatam conſiſtere in purè negativo. Eſt Doctoris, & ſuorum contra Thomiſtas, & recentiores communiùs.

Dico, *Probabilius*, ut cum Scoto ſignificem contrariam ſententiam de poſitivo non carere probabilitate: quidquid dicant aliqui inſignes Scotiſtæ. Nam ubique loquitur cum aliqua formidine, ſeu propenſione in contrariam. 1. Id patet ex his verbis. *Quid autem ſit illud proprium, quo natura eſt perſonata, duæ videntur viæ probabiles, una, quòd perſona ſit perſona per aliquid poſitivum. ... alia, quòd per ſolam negationem*, &c. tum proponit rationes in utramque partem. 2. Proponens propriam opinionem ait: [2] *non aſſerendo, poteſt mediari inter iſtas vias, nec concedendo cum prima via aliquam entitatem poſitivam eſſe in natura intellectuali creata, cui repugnet contradictoriè communicari communicatione aliqua repugnante perſonæ.... nec cum 2. concedendum eſt, quòd ſola nagatio dependentiæ ad perſonam extrinſecam, & completivum formale in ratione perſonæ creatæ*, &c. *& ecce viam illam mediam; licèt igitur ſola negatio actualis dependentiæ non ſufficiat ad rationem perſonæ, neque independentia* 3.(potentialis) *poſſet poni in natura creata ad Verbum. ... tamen negatio dependentiæ aptitudinalis poteſt concedi in natura creata, perſonata in ſe ad Verbum*, &c. *& ita negatio, ſc. independentia non quidem actualis tantùm, ſed etiam actualis, & aptitudinalis complet rationem perſonæ in natura intellectuali*, &c.

Vides ergò, 1. quòd Scotus facit conſiſtere perſona-

[1] 3.*d*.1.*q*.1.*n*.9. *D*. [2] *ibid.n.*

Digitized by Google

ſonalitatem in duplici negatione communicationis, ſeu dependentiæ, ſc. actualis aptitudinalis ad aliud; & 2. quòd id aſſerit non abſolutè, ſed velut probabilius: id enim ſignificat per verba illa, *videntur duæ viæ probabiles*, & *non aſſerendo*, & *poteſt concedi*, &c. &, ut loquitur in quodlibeto, *ergo poteſt dici*, &c. jam probanda eſt noſtra opinio, ad quam magis inclinat.

Prob. 1. ex Scoto [1] poſitivè, & abſolutè dicente, quòd *ſubſiſtere præſupponit perfectè eſſe, ſed non formaliter includit, ſed tantùm addit incommunicabilitatem ſupra per ſe eſſe... & illud ſic eſt ratio ſubſiſtendi, quod eſt ratio incommunicabiliter per ſe eſſendi ... ratio incommunicabiliter eſſendi non eſt ratio perfectiſſimè eſſendi*, *eſt tantùm terminus*, igitur ibi non loquitur problematicè, ergo magis inclinat in hanc partem. Quod ex aliis textibus plurimis colligere licet, ut notat Maſtrius; nam, ubi difficultates emergunt in hac materia, ſemper eas reſolvit ex ſuppoſitione ſententiæ de negativo, & ſuppoſitum explicat per incommunicabilitatem ſupradictam, & ita eum ſequuntur omnes Scotiſtæ, tribus, aut quatuor exceptis.

Prob. 2. rationibus ejuſdem Scoti, & 1. ex inconvenientibus. Nam, ſi perſonalitas eſſet quid poſitivum in natura, ſequeretur dari in hominibus aliquid poſitivum inaſſumptibile à Deo, ſed conſeq. eſt falſum, ergo, &c. Maj. patet. Non enim aſſumere poſſet Deus illud poſitivum perſonalitatis humanæ. Prob. min. ex SS.PP. nam ex D. Damaſc. quod eſt inaſſumptibile eſt incurabile; [2] *totum quippe me totus aſſumpſit, totus toti unitus, ut toti ſalutem afferret: nam alioqui nec medicina ei allata eſt; quod aſſumptum non eſt*: ſed totus homo ſanatus eſt, ergo & aſſumptus.

Dices, hoc eſſe verum de omni poſitivo ſpectante ad naturam, non de poſitivo ſpectante ad perſonam.

Contra 1. Quia ſemper iſtud poſitivum ſpectaret ad complementum hominis, & quidem ſubſtantiale, ergo malè excluditur à propoſitione univerſali SS. PP.

[1] *Quodlib. 5. V. n. 23. quodlib. 19. n. 15.*
[2] *L. 3. de fide, c. 6.*

Digitized by Google

PP. & abſque ullo fundamento ſupponeretur inaſſumptibile, & incurabile. Quod tantò verius eſt, quòd Damaſcenus ſic loquitur, ut probet contra hæreticos, Verbum non ſolùm corpus humanum aſſumpſiſſe, ſed etiam animam, & contra alios, qui negabant, aſſumptum eſſe corpus.

Prob. 3. alio inconvenienti. Nam Chriſtus careret aliqua perfectione ſubſtantiali, & connaturali naturæ humanæ, ſed conſeq. eſt falſum, & inconveniens ex SS. PP. imò ex Scriptura, & Conciliis, ergo, &c. Maj. patet. Licèt enim illud poſitivum diſtingueretur realiter, & eſset extra eſsentiam hominis, adhuc exigeretur naturaliter ab eo, veluti complementum naturale. Prob. min. 1. ex eod. Damaſc. *Neque enim Deus Verbum quidquam eorum, quæ, cùm nos initio fingeret, naturæ noſtræ inſeruit, prætermiſit, ſed omnia aſſumpſit*, ſed ab initio, & per creationem inſeruit illud poſitivum naturæ hominis, ergo Verbum aſſumpſiſset illud.

Item. Humanitas Chriſti non eſset noſtræ omninò ſimilis in ſubſtantialibus, nam careret illo poſitivo: ſed eſt contra Apoſt. dicentem: *Apprehendit ſemen Abrahæ, unde debuit per omnia fratribus aſſimilari*: quem Locum ſic exponit Concilium Chalcedonenſe, dicens, [1] ***Jedocemus eundem ſecundum humanitatem in humanitate per omnia ſimilem nobis abſque ſorde peccati***, & Agatho Papa [2] ***omnes edocemus (J.C.) conſubſtantialem Patri ſecundum Deitatem, & conſubſtantialem nobis ſecundum humanitatem, & per omnia nobis ſimilem abſque peccato.***

Dices, eſſe ſimilem in omnibus, quæ ſunt eſſentialia naturæ, qualis non eſt entitas poſitiva perſonalitatis.

Contra. Non eſt *per omnia* ſimilis, quandiu deeſt illi aliqua pars ſubſtantialis, v. g. brachium, ut notat Doct. talis eſſet illa entitas ſubſtantialis, ut Deus mereretur illam de novo creare in humanitate Chriſti, caſu quo illa dimitteretur à Verbo, & hoc eſt aliud inconveniens.

3. Quia poſſet produci, & conſervari natura ſingularis completa ſine ſubſiſtentia ulla: ſed hoc abſurdū eſt, ergo, &c. Patet maj. Nam illa natura eſſet quid in

N 5 ſecom-

[1] *Hab 1, act. 5.* [2] *ep. ad 6. Synod. quæ hab. act. 1.*

Digitized by Google

ſe completum, & ſubſiſtentia omnis eſt diſtincta realiter, & ſeparabilis à natura. Prob.min. Nam natura illa ſine omni ſubſiſtentia haberet ſuas operationes, vel non: ſed neutrum dici poteſt, ergo,&c. Prob. min. 1. ſi haberet omnes ſuas operationes, ſubſiſtentia omnis eſſet fruſtra. 2. ſi non poſſet eas habere, non eſſet ſubſtantialiter completa, quod eſt contra ſuppoſitionem, ergo, &c.

Dices 2. Deſerviret ad reddendam illam incommunicabilem.

Contra 1. Cur reddenda eſſet incommunicabilis, ſi illa incommunicabilitas nihil poſitivum illi conferret? 2. Quia incommunicabilitas eſt effectus negativus, ergo ad eam non requiritur entitas poſitiva.

Dices 3. quòd natura illa non poſſet ſine ſubſiſtentia habere ſuas operationes defectu conditionis, quia ſubſiſtentia ſe habet, ut conditio.

Contra 2. Quia operationes naturæ non magis pendent ab ea conditione, quàm ipſa natura: ſed hæc non dependet, ergo neque operationes. 2. Gratis aſſeritur, naturam ſubſtantialiter in ſe completam non poſſe habere ſuas operationes ſine aliquo externo, & diſtincto. 3. Quia anima ſeparata non eſt perſonata, & tamen habet ſuas operationes, ergo & illa natura.

Prob. 4. ex eod. Scoto. [1] Si perſonalitas eſſet quid poſitivum diſtinctum à natura, eſſet ſubſtantia, vel accidens: ſed neutrum dici poteſt, ergo, &c. Prob. min. 1. Non eſt accidens, alioqui perſona eſſet unum per accidens, ſicut album, & non eſſet complementum ſubſtantiale naturæ: ſed hoc eſt contra omnes, ergo, &c. 2. non ſubſtantia: nam eſset vel materia, vel forma, vel utraque: ſed nullum horum dici poteſt, ergo, &c. Maj. patet. Quia omnis ſubſtantia, quæ eſt in natura, eſt vel materia, vel forma, vel utraque.

Dices 1. cum Capreolo, & aliis Thomiſtis eſſe exiſtentiam. [2]

Contra. Quia, ut probatum eſt ſuprà, eſſentia, & exiſtentia non diſtinguuntur realiter, bene verò eſſentia, & ſubſiſtentia, ergo, &c.

Dices 2. eſse aggregatum ex omnibus accidentibus parti-

[1] *in 3. d. 5. q. 3. a. 3. ad 1.*

Digitized by Google

particularibus cujuslibet naturę ſingularis, ſeu eſſe characteriſticas proprietates ejus. [1]

Contra. 1. Quia ſic ſuppoſitum non eſſet ens per ſe, ſed per accidens. 2. Accidentia non habent incommunicabilitatem, niſi ratione ſubjecti. 3. Quia nullum eſt accidens proprium naturę humanæ, quod natura humana Chriſti non habeat, ergo, &c.

Dices. 3. cum aliis eſſe modum poſitivum.

Contra. Quia haberet aliquem effectum formalem poſitivum; ſed nullus talis effectus poteſt aſſignari, ergo non eſt modus.

Prob. 5. Quia definitiones Richardi, & Boetii de ſuppoſito, ſeu perſona ab omnibus receptæ nihil indicant, niſi puram negationem communicabilitatis, ergo perſonalitas nihil aliud importat.

Prob. 6. Quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate: ſed nulla eſt neceſſitas aſſerendi aliquid poſitivum, in quo conſiſtat ſubſiſtentia, ergo, &c. Min. patebit ex ſolutione objectionum, quibus probare contendunt adverſarii, ſubſiſtentiam dicere quid poſitivum.

Solvuntur objectiones.

Objic. 1. ex Theologis; & myſterio Trinitatis. Perſonalitas divina importat aliquid poſitivum; ergo & in creatis. Ant. patet, & admittitur à nobis. Prob. conſeq. Perſonalitas creata eſt quædam participatio divinæ, ergo ſi divina eſt quid poſitivum, ita & creata.

Reſp. neg. conſeq. & ratio diſp. eſt. Quia perſonalitas creata dicit repugnantiam ad communicari, quæ eſt 3. negatio communicabilitatis, & ideò ſupponit quid poſitivum, in quo radicetur, non ita eſt de perſona creata.

Inſt. 1. Licèt natura divina ſit per ſe, & eſſentialiter ſubſiſtens, tamen additur ei aliquid poſitivum, ſaltem ratione diſtinctum, quo fit incommunicabilis, ergo à fortiori natura creata, quæ non eſt eſſentialiter ſubſiſtens.

Reſp. diſt. ant. Additur poſitivum, ut fiat incommunicabilis, conc. ant. ut ſubſiſtat, neg. ant. & conſ. Nam eſſentia divina per ſe quidem, & eſſentialiter ſubſiſtit, ſed non incommunicabiliter, communi-

N 6 catur

[1] *Herm. quodl. 3. q. 6.*

Digitized by Google

catur enim ex infinitate perfectionis, & non ex defectu, aut limitatione; ut natura creata : redditur verò incommunicabilis per tres perſonalitates, quæ ideò ſunt quid poſitivum.

Inſt. 2. Natura divina eſt ſummè ſimplex, ergo magis illi repugnat additio alicujus poſitivi, per quod fiat incommunicabilis, quàm naturæ creatæ, cui non repugnat compoſitio. Prob. conſeq. Nam illud poſitivum ſuperadditum induceret aliquam compoſitionem cum eſsentia.

Reſp. neg. conſeq. Quia perſonalitas nullam inducit compoſitionem in eſsentiam, quia nullam invehit novam perfectionem in illam.

Inſt. 3. Perſona dicitur univocè de creata, & divina, ergo, ſi divina dicit quid poſitivum, ita & creata. Prob. conſeq. Nihil enim eſt univocum enti reali poſitivo, & negativo.

Reſp. diſt. ant. Univoce dicitur quantum ad duplicem negationem actualis, & aptitudinalis communicationis, conc. ant. abſolutè, & quoad potentialitatem, neg. ant. & conſeq. Ideò perſona divina importat quid poſitivum, in quo iſta radicetur, & quoad iſtud perſona non dicitur univocè de utraque.

Inſt. 4. Natura divina, præciſis relationibus, non habet dependentiam, ſed potiùs independentiam, & incommunicabilitatem actualem, & aptitudinalem ad omne aliud: ſed in illa præciſione non eſt ſuppoſitum, ergo ſuppoſitum non conſtituitur per illam negationem dependentiæ, ſeu communicationis.

Reſp. nomen *dependentiæ* hìc idem ſignificare, ac communicationem, ſeu communicabilitatem, quod notandum eſt. Hoc ſuppoſito diſt. maj. Independentiam ab alieno ſuppoſito, conc. maj. à proprio ſuppoſito, neg. maj. Nam ſic præciſa eſt aptitudinaliter communicabilis, & à parte rei eſt actu communicata propriis perſonalitatibus, quæ licèt ſint in ſe quid poſitivum, important tamen triplicem negationem prædictam.

Reſp. 2. neg. aſſumptum, quia ſic eſt communicabilis proprio ſuppoſito, quod ſufficit ad impediendam veram perſonationem.

Objic. 2 *ex myſt. Incarn.* Concilia, & SS. PP. docent

Digitized by Google

cent, perſonam Verbi ſupplere in Chriſto perſonalitatem creatam, ſed hoc non eſset verum, ſi perſonalitas iſta diceret puram negationem, ergo, &c. Prob. min. Nihil ſuppleret, quia negatio eſt purum nihil, ergo, &c.

Reſp. d. maj. Supplet, quatenus ultimò terminat humanitatem Chriſti, adeò ut unita Verbo ſit ultimatè completa in ordine ad ſuas operationes, perinde ac ſi eſſet terminata per propriam perſonalitatem, conc. maj. & n. min. quatenus perſonalitas Verbi reddat illam incommunicatam, & incommunicabilem alieno ſuppoſito, neg. maj. nam potiùs eam facit de facto communicatam alieno ſuppoſito, ſc. ſibi, nec PP. & Concilia volunt aliud per modum illum loquendi, & hoc eodem ſenſu dicunt, perſonam Verbi conſumpſiſſe perſonalitatem humanam, quatenus per ſuam unionem impedivit reſultantiam propriæ perſonalitatis.

Inſt. 1. Si per unionem hypoſtaticam Verbum nihil aliud præſtaret humanitati Chriſti, vanæ, & ridiculæ redderentur illæ multę loquutiones Patrum, & Conciliorum: ſed hoc non debet tolerari, ergo, &c. Prob. ſeq. Nam, cùm dicunt: *Verbum aſſumpſit naturam, non perſonam*, & ſimilia, idem eſſet, ac ſi dicerent, univit ſibi illam, non permiſit illam eſſe incommunicabilem alieno ſuppoſito, &c. quæ omnia vana ſunt, nec unquam Neſtorius, aut alius hæreticus id negaſset.

Reſp. neg. maj. & ad prob. dico, ex noſtra ſententia meliùs explicari talia dicta Patrum, & Conciliorum contra Neſtorium, & alios hæreticos. Nam Neſtorius negabat phyſicam unionem humanitatis ad Verbum, & aſſerebat illam eſſe moralem, qualis eſt inter duos amicos, qui dicuntur unus ob vinculum amicitiæ: & perſonalitas non dicit negationem talis communicationis, ſed tantùm unionis hypoſtaticæ, ideò Neſtorius poterat ſuſtinere duas perſonas ſuppoſito illo alio errore de unione tantùm morali, at in ſententia Patrum, & Conciliorum unio eſt phyſica, & in ſententia noſtra inde ſalvatur optimè, quomodò Verbũ non aſſumpſerit perſonam, quia per illam aſſumptionẽ, & unitatẽ phyſicam impedita fuit reſultantia perſonalitatis humanæ, quæ conſiſtit

in

in negatione talis communicationis: imò humanitatem illam phyſicè communicari ſuppoſito Verbi, & per illud ſuppoſitari: quod non adeò clarum eſt in ſententia ponente ſubſiſtentiam in entitate poſitiva; quia non tam clarè conſtat, humanitatem ſpoliatam eſſe debere entitate illa ſubſtantiali poſitiva.

Inſt. 2. Iidem Patres dicunt, humanitatem à Verbo fuiſſe exaltatam: ſed hoc non eſſet verum, ſi ſubſiſtentia eſſet purè negatio, ergo, &c. Prob. min. Eſſet enim potiùs humiliata, quia fieret dependens à Verbo impediente proprium ſuppoſitum, quo fieret independens, ergo, &c.

Reſp. 1. Idem argumentum urgere adverſarios: quia ſive ſubſiſtentia ſit quid poſitivum, aut negativum, ſemper importat illam independentiam ab alieno ſuppoſito, & per unionem cum Verbo fieret ſic dependens.

Reſp. 2. n. min. & conſeq. prob. Per illam enim dependentiam à Verbo humanitas mirabiliter exaltatur, quia ſuppoſitum Verbi, cui communicatur, eſt infinitè propria ſubſiſtentia nobilius, qualiſcumque ſit, imò magis patet exaltatio ex negatione, quia plus humiliaretur, ſi ſpoliaretur entitate poſitiva, & ſubſtantiali, quàm ex eo, quòd ſpolietur, ſeu impediatur reſultantia puræ negationis.

Objic. 3. Si perſonalitas diceret tantùm puram negationem, humanitas Chriſti eſſet tam completa ſubſtantialiter, quàm ulla perſona purè humana, v. g. quàm Petrus, & Paulus: ſed hoc eſt falſum, ergo, &c. Maj. patet. Nulla enim illi deeſſet perfectio poſitiva, & ſubſtantialis. Prob. min. Quia ſi eſſet ſic completa, non faceret unum per ſe, ſed per accidens cum Verbo: Chriſtus enim coaleſceret ex duobus per ſe completis: ſed hoc eſt abſurdum, ergo, &c.

Reſp. neg. min. Imò id eſt prorsùs neceſſarium, ut ſc. totam humanitatem Deus aſſumpſerit, ut totam ſanaret, inquiunt SS. Patres, nullum ſequitur hinc abſurdum, ad prob. d. maj. fieret unum per accidens, ſi attendatur ratio compoſitionis eſſentialis, conc. maj. & neg. min. Nam, ut ſuppono ex Theologia, in Chriſto non eſt vera compoſitio eſſentialis ex actu, & potentia in ratione perſonæ, neg. maj. Nam ad hoc non requiritur, ut natura, quæ ſuppoſitatur, ſit

ſub-

Digitized by Google

ſubſtantialiter incompleta, imò non poſſet perſonari, niſi eſſet ſic completa.

Addo, iſtud argumentum urgere ipſos adverſarios: nam ad compoſitionem requiritur, utramque partem eſſe incompletam, ut ſunt materia, & forma, &, quidquid advenit enti per ſe completo, facit unum per accidens cum illo, ergo ſemper humanitas Chriſti adveniens Verbo Divino faceret cum illo unum per accidens, quantumvis incompleta eſſet.

Inſt. 1. Sequeretur, Verbum ipſum ceſſare eſſe perſonam per illam unionem: ſed hoc eſt falſiſſimum, ergo, &c. Prob. ſeq. Nam ceſſaret eſſe incommunicabile, *ut quo*, & *ut quod*; ergo amitteret negationem utramque, in qua negatione conſiſtit perſonalitas, ergo ceſſaret eſſe perſona.

Reſp. 1. Hoc etiam premere adverſarios, tum quia illud poſitivum, in quo ponunt ſubſiſtentiam, ſaltem ſecundariò importat illam negationem communicationis, quæ ceſſaret in Verbo æquè, ac in humanitate. Diſparitas facilis eſt in noſtra ſententia: dicimus enim ceſſare, ſeu impediri in humanitate, quia conſiſtit in pura negatione communicabilitatis, & non ceſſare in Verbo, quia conſiſtit in poſitivo.

Inſt. 2. Saltē ſequeretur, humanitatem eſſe adhuc perſonatam: ſed hoc eſt contra fidem, ergo, &c. Prob. ſeq. Retineret utramque illam negationem, 1. .n. adhuc habet negationem aptitudinalis communicationis; adhuc apta eſt perſonari propria perſonalitate, & per ſe exiſtere: habet etiam actualem, quia habet omnia eadem poſitiva, & conceptus, quos haberet, ſi dimitteretur à Verbo, ergo adhuc eſſet perſonata.

Reſp. neg. ſeq. & 2. partem prob. Nam actu communicatur, & dependet à Verbo, & ſic non habet negationem actualis communicationis, ac dependentiæ, quæ eſt neceſſaria ad perſonalitatem.

Inſt. 3. Non magis nunc dependet à Verbo, quàm dependeret à propria ſubſtantia: ſed non dependet ab iſta, ergo nec ab illa. Prob. min. Ens poſitivum, & ſubſtantiale non poteſt dependere realiter à pura negatione: ſed humanitas eſt ens poſitivum, & ſubſtantiale, & perſonalitas negatio per nos, ergo, &c.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. diſt. min. & prob. ſi ſermo ſit de vera, & reali dependentia, quæ conſiſtit in vera, & reali cauſalitate arguente imperfectionem in eo, quod dependet, conc. min. & prob. ejus: de impropria autem, quæ conſiſtit in quadam unione, & communicatione unius ad alterum, neg. min. & prob. Nam natura omnis creata verè unitur, & communicatur proprio ſuppoſito, & per illud fit incommunicata, & incommunicabilis alieno, ſed hæc dependentia eſt impropria, & indirecta.

Quantum ad 1. maj. etiam falſa eſt. Nam quia magis perficitur, & poſitivè per unionem ad Verbum, ideò longè nobilius, & magis pendet à perſona Verbi, quàm dependeret, aut perficeretur à propria perſonalitate, à qua non haberet aliam perfectionem, quàm negativam.

Inſt. 4. Si humanitas illa jam dimitteretur à Verbo, eſset alia perſona à Verbo, ergo adveniret illi alia ſubſtantia, ergo adveniret illi aliquid ſubſtantiale poſitivum, quod modò non habet, ergo perſonalitas eſt quid poſitivum.

Reſp. neg. 2. conſeq. & 3. Cum enim nunc ſit alia ſubſtantia naturalis, & quidditativa, quàm Verbum, ita & in caſu ſeparationis, ſed tunc eſset præterea alia ſubſtantia perſonalis propter adventum puræ negationis, communicationis actualis, & aptitudinalis.

Objic. 4. Si perſonalitas eſt quid purè negativum, ſequitur 1. quòd Deus non redemit nos. 2. quòd actiones Chriſti non ſunt infiniti valoris, & 3. quòd inter human tatem Chriſti, & Verbum non ſit communicatio idiomatum: ſed hęc abſurda ſunt, & errores in fide, ergo, &c. Prob. ſeq. 1. enim Verbum non ſuppleret in humanitate, niſi puram negationem, & ſic non influeret in actiones ejus dignitatem, nec valorem infinitum. negationes enim non influunt; & ſic Deus non redimeret nos; non diceretur mortuus per communicationem idiomatum, ergo, &c.

Reſp. neg. ſeq. iſtas, & ant. prob. quatenus ſupponit, quòd ſubſiſtentia influat phyſicè, nec *ut quo*, nec *ut quod* in actiones, niſi denominativè, quatenus ultimò terminans naturam, quę eſt principium phyſicum actio-

Digitized by Google

actionum, & illam conſtituens in ratione ſuppoſiti eſt velut conditio ultimata, ut denominetur agere, & in hoc ſenſu actiones humanæ Chriſti tribuuntur ſuppoſito Verbi, & ſic dignificantur, & Theandricę ſunt, quia procedunt à natura verè unita, & habente ſuppoſitum divinum.

Inſt. Humanitas Chriſti in hoc caſu haberet omnia poſitiva, quæ habent aliæ perſonæ purè humanæ, ergo eodem modo diceretur agens, & illi tribuerentur omnes actiones Chriſti, ergo Verbum nihil influeret.

Reſp. conc. ant. quòd habeat omnia poſitiva, excepta perſonalitate, & hoc poſito, n. conſeq. vel ſic diſt. Nihil influeret elicitivè, & efficienter. conc. ant. antecedenter, & velut concomitanter, & denominativè, tanquàm à ſuppoſitante, ſuſtentante, & dignificante, neg. conſeq. quod ſuo loco magis patebit, ubi examinabimus, an actiones ſint ſuppoſitorum.

Objic. 5. Ex principiis Philoſophicis, ex omnium uſu *perſona*, & *ſuppoſitum* ſignificant ſubſtantiam, ergo & aliquid poſitivum: negationes enim non ſunt quid ſubſtantiale.

Reſp. diſt. ant. Significant ſubſtantiam, quia hæc verè importatur per illas voces, conc. ant. quia illæ important formaliter ſubſtantiam, neg. ant. & conſeq. His vocibus duo importantur, ſc. natura, & ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas, illa habet rationem determinabilis, ſeu determinati: hæc determinantis, ſeu determinativi; quia determinat naturam ad eſse perſonæ. Nota autem, quod quidam volunt, quòd hæc nomina importent æquè primò, & directè naturam, & hypoſtaſim, ſicut vox, *homo*, dicit animalitatem, & rationalitatem æqualiter: alii volunt importare materialiter naturam, & formaliter hypoſtaſim, ut album dicit parietē pro materiali, & albedinē pro formali; alii, quòd in recto dicant perſonalitatem, & naturam in obliquo. Quinam melius philoſophentur, viderint; ſufficit nobis pro nunc, quòd ſemper hæc nomina important naturam, vel æquè 1. vel pro materiali, vel in recto, vel in obliquo, & ſic falſum eſt, quòd important perſonalitatem formaliter, velut quid poſitivum.

Inſt. 1. Perſonę creatæ ſunt 1. ſubſtantiæ, ergo non importāt negationes puras pro formali perſonalitate.

Reſp.

Reſp. neg.conſeq. quidquid ſit de ant. quod abſolute non eſt verum : aliud enim eſt ſingulare , quod eſt prima ſubſtantia propriè : aliud ſuppoſitum,quod non agnovit Ariſtoteles, qui nomen primæ ſubſtantiæ dedit individuis . Ratio negati eſt , quia, licèt perſonalitas ſupponat ſingularitatem , non ſequitur , quod ſit idem , nec quod conſiſtat in poſitivo .

Inſt. 2. Suppoſitum eſt ens per ſe unum , ergo non conſtituitur formaliter per negationem . Prob. conſeq. Ex negatione , & ſubſtantia non fit unum per ſe , ergo , &c.

Reſp. diſt. ant. Eſt per ſe unum quoad omnia poſitiva , & ſubſtantialia , quæ includit , conc. ant. quoad perſonalitatem præcisè , & formaliter , neg. ant. & conſeq.

Objic.6. Omnis negatio fundatur in aliquo poſitivo, ergo incommunicabilitas, quam dicit perſonalitas , dicit prius quid poſitivum . Patet ant. ex principiis Scoti, qui per hoc argumentum probare intendit, quòd ſingularitas ſit quid poſitivum , licèt importet negationem diviſibilitatis .

Reſp.diſt.ant. Omnis negatio neceſſaria,& inſeparabilis , conc.ant. negatio non neceſſaria , & ſeparabilis; ~~neg.ant. &~~conſeq. ſubſiſtentia eſt ſeparabilis , ut patet . Ratio autem diſtinctionis eſt,quia negatio albedinis in pariete non ſupponit ullum poſitivum in illo , ad quod ſequatur , & quod tollatur per adventum albedinis ; non ita eſt de negatione albedinis in nive, & lacte , à quo , ut ſuppono , eſt inſeparabilis. Ita eſt de negatione diviſibilitatis in natura ſingulari , quia eſt neceſſaria , & inſeparabilis etiam divinitùs.

Objic.7. Suppoſitum creatum eſt perfectius natura ſingulari , ergo ſuppoſitalitas non eſt pura negatio : hæc enim non dicit perfectionem , ergo , &c.

Reſp. neg. conſeq. & diſt. prob. Non dicit perfectionem poſitivam, conc. ant. negativam , neg. ant. quandò enim negat imperfectionem, eſt perfectio ; ſic ſubſiſtentia negat dependentiam in natura ſingulari ab alieno ſuppoſito .

Reſp.2.neg.ant. Nam abſolutè loquendo , & ratione ſubſiſtentiæ, ſuppoſitum creatum nullam addit perfectionem naturæ ſingulari ; unde Scotus ab-

ſolutè

Digitized by Google

ſolutè docet, quòd *entitas hypoſtatica non eſt ſimpliciter perfecta, vel ſimpliciter perfectio*. Eſt ergo perfectio præſuppoſitivè, & fundamentaliter, ſc. ratione naturæ ſingularis, quam ſupponit completam in genere ſubſtantiæ, non verò formaliter.

Inſt. Subſiſtere eſt maxima perfectio, ergo ſubſiſtentia importat perfectionem.

Reſp. diſt. ant. Subſiſtere, id eſt, eſſe per ſe, ut eſt omnis ſubſtantia, conc. antec. id eſt, exiſtere incommunicabiliter, in quo conſiſtit ratio formalis perſonalitatis, neg. ant.

Objic. 8. Sequeretur modum esſendi accidentis eſſe nobilius modo ſubſiſtendi in ſubſtantia, falſum conſeq. ergo, &c. Prob. ſeq. Modus enim esſendi accidentis eſt quid poſitivum, & modus ſubſiſtendi eſset negatio: ſed poſitivum eſt nobilius negativo, ergo, &c.

Reſp. neg. ſeq. & diſt. maj. quoad 2. p. Modus ſubſiſtendi incommunicabiliter ad ſuppoſitum alienum, conc. illam partem maj. modus esſendi independenter à ſubjecto inhæſionis, neg. maj. & conſeq. Illa enim longè diverſa ſunt.

Inſt. Accidens dependet ultimatè à ſuppoſito ſubſtantiæ, ergo ſuppoſitum ſubſtantiæ dicit quid poſitivum. Patet ant. Nam dependentia accidentis eſt rei communicabilis, quæ nequit terminari niſi ad incommunicabile. Prob. conſeq. Terminus dependentiæ realis debet eſse realis, ergo eſt quid poſitivum.

Reſp. neg. conſeq. & d. ant. prob. Terminus dependentiæ abſolutè, conc. ant. talis dependentiæ, & quoad talem modum, neg. ant. Terminus dependentiæ accidentis abſolutè eſt ipſa ſubſtantia, ſeu natura perſonata; terminus verò talis, & quoad modum, ſc. ultimationis, ita ut nihil ulterius terminet, eſt ſubſtantia, ut ſuppoſitata, & ad hoc non requiritur quid poſitivum.

Objic. 9. Scotus putat, ſuppoſitum creatum poſse ſuſtentare alienam naturam, ſicut perſona Verbi ſuſtentat humanitatem: ſed id non poſset dicere, ſi putaret ſuppoſitum creatum importare puram negationem, ergo, &c. Prob. min. Nam illud ſuppoſitum tunc non haberet negationem ullam communicationis, ſed è contra, ergo vel non eſset ſuppoſitum,

Digitized by Google

tum , vel id eſset per aliquid poſitivum , ut diximus de Verbo Divino ſuſtentante humanitatem Chriſti.

Reſpondeo,Scotum hoc dicere ex ſuppoſitione ſententiæ de conſtitutivo ſuppoſiti per aliquid poſitivum, quam , ut dixi , probabilem putat , ergo nihil inde aliud inferri poteſt , quàm quòd aliquantulum in eam partem inclinaverit.

Concedendum ergo eſt , ſubſiſtentiam formaliter, & præciſè non ſuperaddere naturæ completæ, ac ſingulari , niſi negationem communicationis , vel communicabilitatis *ut quo* , & *ut quod* , unde propter communicationem *ut quo* , natura divina præciſè à tribus perſonalitatibus divinis non eſt perſonata , quia communicatur illis , *ut quo* , ſeu tanquam forma totalis, & propter communicationem , *ut quod* , humanitas Chriſti caret propria ſubſiſtentia , quia ſuppoſitum Verbi Divini communicatur illi , *ut quod* , ſeu per modum ſuppoſiti ſuſtentantis.

QUÆSTIO IV.

Num ſubſiſtentia ſit ſimplex , an compoſita.

QUæſtio procedit de ſubſiſtentia rerum materialium, & compoſitarum , & quidem compoſitarum ex partibus , ſive eſsentialibus , ut materia , & forma , ſive integralibus heterogeneis , ut corpus ex capite, & brachio , vel homogeneis , ut aqua ex pluribus aquis ; & quæritur, an ſubſiſtentia hominis, verbi gratia , ſit una totalis compoſita ex pluribus ſubſiſtentiis partialibus , correſpondentibus ſingulis, partibus ejus eſsentialibus , ſcilicet corpori , & animæ , & integrantibus , ſcilicet capiti , & pedibus . Deciſio dubii non tam difficilis eſt ponentibus ſubſiſtentiam in poſitivo , quàm ponentibus eam in negativo , ut nos ponimus.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO I.

PRobabilius eſt, ſubſiſtentiam rerum materialium eſſe integraliter compoſitam. Eſt Scotiſtarum, & conformis Scoto.

Prob. 1. ex Doct. [1] *Nam ens per ſe, ſeu ſubſiſtens, dicitur illud, quod habet actualitatem ultimatam, ita quòd non eſt per ſe ordinabile ad aliquem actum ſimpliciter ultra iſtum, quem habet, qui quidem actus ulterior poſſit eſſe actus ejus per ſe... quod hoc modo eſt per ſe ens, dicitur ſuppoſitum*: ſed quælibet pars compoſiti integralis, & maximè homogenei, v.g. aquæ, eſt hujuſmodi, ergo quælibet habet ſubſiſtentiam propriam, & partialem. Prob. min. Nulla enim pars talis compoſiti eſt ordinabilis per ſe ad ullum actum ulteriorem, à quo perficiatur; quælibet habet ultimatam perfectionem ſuam entitativam: nam una gutta aquæ tam perfecta eſt aqua, quàm totum mare: totum enim mare non eſt quid unum per ſe diſtinctum à partibus ſuis homogeneis, non eſt aliud, quàm ipſæ aquæ omnes ſimul ſumptæ.

Objic. 1. Partes aquæ non habent incommunicationem, nec incommunicabilitatem, ergo non ſubſiſtunt ſive ſeorſim, ſive unitæ. Prob. ant. Nam in tota aqua actu uniuntur, & ſeparatæ ſunt unibiles, ſeu communicabiles, ergo, &c.

Reſp. neg. conſeq. Non enim quælibet communicatio impedit ſuppoſitalitatem (inquit Doctor) ſed illa, qua unum ordinatur ad aliud, velut ſuſtentans, & terminans dependentiam ejus ad perfici ulterius, hæc autem communicatio non reperitur inter partes homogeneas totius integralis: illæ enim non ſic ordinantur ad ſe invicem.

Objic. 2. Si darentur illę ſubſiſtentiæ partiales, deberent uniri inter ſe per tot uniones diſtinctas, & ſic multiplicarentur abſque neceſſitate innumeræ entitates, ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Deberent uniri per uniones ſubjectorum, ſeu partium, conc. ant. per proprias, neg. ant. nam, cùm illæ ſubſiſtentiæ non ſint, niſi negationes, nō ſunt entitates per ſe exiſtentes, nec unibiles,

CON-

[1] *Q.9. A.n.1.*

Digitized by Google

CONCLUSIO II.

P*Robabilius eſt ſubſiſtentiam rerum earundem materialium non eſſe eſſentialiter compoſitam, ſc. ex una partiali, quæ correſpondeat materiæ, & altera formæ*. Eſt conformior principiis Scoti, & Scotiſtarum.

Prob. 1. ex Scoto cit. Nam partes eſſentiales non *habent actualitatem ultimatam*: ſed per ſe ordinabiles ſunt ad ſe invicem; materia enim reſpicit formam, ut potentia actum, à quo perficiatur, & forma materiam, ut ſubjectum, à quo ſuſtineatur, & cum quo faciat unum per ſe compoſitum, ergo ex illo principio Scoti materia, & forma non habent proprias ſubſiſtentias partiales.

Prob. 2. ex eod. [1] *In inſtanti naturæ, in quo materia præcedit totum, vel forma: neutrum natum eſt eſſe perſona in ſe: ſed tunc primò quandò ex iſtis unitis eſt tota natura, tunc ipſa tota eſt perſona in ſe, ſi non impediatur ab aſſumente*: ſed hoc eſſet falſum, ſi partibus illis reſponderet propria ſubſiſtentia partialis, ergo ſubſiſtentia totius compoſiti eſſentialis non eſt diviſibilis in partes eſſentiales. Prob. min. Quia in inſtanti illo priori materia, & forma ſupponerentur ſubſiſtentes ſuis partialibus ſubſiſtentiis, ergo, &c.

Prob. 3. quia in noſtra ſententia diſtinguente realiter totum à partibus ſimul ſumptis, & unitis, illa tertia entitas totius eſt ſufficiens ſubjectum unius totalis, & ſimplicis ſubſiſtentiæ, quæ ſola ſufficit, ut totum dicatur ſubſiſtere eo modo, quo natura ſingularis completa debet ſubſiſtere, ergo fruſtra multiplicarentur aliæ ſubſiſtentiæ partiales, ſed hoc magis patebit ex dicendis in Phyſica.

Objicies. Deſtructa unione totius humanitatis ad Verbum, deſiit ſubſiſtere per illud, & partes, nempè corpus, & anima non deſierunt ſubſiſtere per illud in triduo mortis, ergo materia, & forma habent proprias ſubſiſtentias diſtinctas à ſubſiſtentia totius, ſeu ex quibus totalis ſubſiſtentia componitur.

Reſp.

[1] *in 3. d. 2. q. 2. A. n. 5.*

Digitized by Google

Reſp. diſt. ant. Manſerunt unitæ hypoſtaticè, & ſubſiſtentes per novam unionem, conc. ant. per eandem, qua uniebantur in tota humanitate, neg. ant. & conſeq. unde quia ſeparatæ haberent propriam ſubſiſtentiam diſtinctam à totali, qua ſubſiſtant in toto, ita & nova unione in Verbo ſubſtiterunt. Ideò ſit

CONCLUSIO III.

Partes eſſentiales compoſiti ſubſtantialis ſeparatæ habent proprias ſubſiſtentias. Eſt communis.

Et prob. ex modò dictis, nam in triduo mortis Chriſti corpus, & anima ejus unita manſerunt Verbo, ergo ſeparatim ſubſtiterunt, ergo ſeparata habent propriam ſubſiſtentiam: Verbum enim ſupplevit eam, quam habuiſſent, ſi ſibi relicta fuiſſent.

Prob. 2. ex dictis. Quia in eo ſtatu anima, & corpus exiſtunt incommunicabiliter alieno ſuppoſito, ergo ſubſiſtunt, quod maximè verum eſt de anima rationali.

QUÆSTIO V.

Quomodo ſubſiſtentia influat in actiones, id eſt, quo ſenſu dicatur, quòd actiones ſunt ſuppoſitorum.

Commune fert axioma, quòd *actiones ſunt ſuppoſitorum* & illud tribuitur Ariſtoteli, ut diximus ſupra, ſed immeritò, ut notat Scotus, [1] quærimus hìc, quo ſenſu id verum ſit, an ſubſiſtentia influat effectivè ad operationes, quas elicit perſona, v.g. Chriſtus homo.

Nullus negat, quin actiones multæ ſint, quæ non dependent à ſuppoſito, prout ſignificat naturam ſingularem, & completam incommunicabiliter exiſtentem, nam anima rationalis ſeparata non eſt tale ſuppoſitum, & tamen agit, intelligit, amat, &c. Eſſentia divina in illo priori, quo intelligitur ſine perſonalitatibus, habet operationes, quas Theologi vocant eſſentiales, ſed quæſtio eſt de natura, quæ eſt ſuppoſitata, an ſuppoſitalitas influat phyſicè in ejus actiones, ſicut tribui ſolent ſuppoſito, veluti prin-

[1] *in 4.d.12. q.2. A a n.34.*

principio *quod*; Naturæ autem ſicut principio *quo*: quia natura ſe habet per modum formæ, ſeu partis: ſuppoſitum verò, ut totum ex natura, & ſubſiſtentia coaleſcens. Quid ſentiendum ſit, expono breviter.

CONCLUSIO I.

Subſiſtentia creata non influit propriè, & immediate in actiones ſuppoſiti, nec totaliter, nec partialiter. Eſt Doctoris, & ſuorum communiter contra Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quòd iſta propoſitio (actio eſt tantùm ſuppoſiti) non habetur à Philoſopho... ſed ibi habetur, quòd actio eſt circa ſingularia .... ſi ergo accipitur iſta propoſitio* (actio eſt ſuppoſiti) *ſumitur aliunde, quàm à Philoſopho, ſaltem hic. Actio tamen eſt ſuppoſiti, ut ultimatè denominati ab actione, ſed non ut ſolius denominati ab ipſa .... & concedo, quòd quantumcumque formæ denominentur ab actione, cùm iſta forma* (ſc. natura) *nata ſit eſſe in ſuppoſito, poſſet ulteriori denominatione ſuppoſitum denominari ab actione*, &c. ergo ex Scoto, ſubſiſtentia non influit in actiones, & iſtæ non ſunt ſuppoſitorum, niſi denominativè, *quia dependentia actionis eſt ad ipſum, ut ad ultimatum terminum, ſeu principium in eſſe, & denominari*, inquit commentator Scoti, quòd alibi ſæpè Doct. ſubt. declarat, dicens, quòd *actio non denominat ultima denominatione niſi ſuppoſitum, vel habens modum ſuppoſiti*. Dico modum ſuppoſiti, *pro anima ſeparata, & pro* accidentibus ſeparatis per miraculum, &c.

Prob. 2. In omni actione reali principium agendi eſt natura, ergo non eſt ſubſiſtentia. Prob. ant. Illud eſt principium agendi, in quo agens aſſimilat ſibi paſſum: ſed agens aſſimilat ſibi paſſum in natura, non in ſubſiſtentia, ergo, &c. unde Philoſophi excludunt à principio agendi ſingularitatem, ergo à fortiori ſubſiſtentiam, quæ eſt poſterior in natura, & magis extra illam, utraque ergo eſt ſolùm conditio, ſine qua natura non ageret.

Prob. 2. Quia ſubſiſtentia creata eſt modus quidam quaſi extrinſecus naturę, quia illam ſupponit in ſuo eſſe

[1] *ibid.*

Digitized by Google

eſſe completo, ergo ipſa de ſe eſt principium totale agendi, non verò ſubſiſtentia.

Confirm. Quia ſingularitas, & exiſtentia ſunt intimiores naturæ, quàm ſubſiſtentia, & tamen non dicuntur principia effectiva agendi, ergo multò minùs ſubſiſtentia.

Probatur denique. Quia, ut probatum eſt, ſubſiſtentia dicit puram negationem: ſed negatio eſt non ens, ergo non eſt activa, ergo nec ſubſiſtentia.

Objicies 1. prædictum axioma, *actiones ſunt ſuppoſitorum*, quod non ſolùm Philoſophi auctoritate fulcitur, ſed etiam D. Damaſceni, [1] & Concilii Florent. ille ſiquidem docet, *agens*, *quod operatur*, *eſſe perſonam*, iſtud verò [2] reddens rationem, cur Pater generat, & non eſſentia, dicit, *Actiones ſunt ſuppoſitorum*, *ſicut univerſa clamat Philoſophia*, ergo ſubſiſtentia habet rationem principii activi.

Reſp. neg. conſeq. Nam id non ſequitur ex allatis auctoritatibus benè intellectis: ut diximus cum Scoto, [3] quidquid velit Ariſtoteles, Damaſceni verba admittimus in ſenſu literali, & fatemur ultrò, quòd omnis operans eſt perſona, ſeu ſuppoſitum, nec enim natura unquam operatur, niſi ſit ultimo terminata per ſubſiſtentiam; & hic eſt etiam ſenſus alterius auctoritatis ex Joanne Theologo in Concilio Florent. Quia ergo ſubſiſtentia ultimò terminat naturam, actiones in ultimam denominationem refunduntur, & denominant ſuppoſitum, quamvis elicitivè, & *ut quod*, ſint à natura, quæ reſpectu ſuppoſiti in concretis habet rationem formæ, ſed de hoc ex profeſso dicetur in Theologia.

Objic. 2. Operari ſequitur eſſe: ſed res non habent eſſe *ut quod* ab eſſentia, ſed à ſuppoſito, ergo operari *ut quod* habebunt à ſuppoſito. Prob. min. Natura habet rationem formæ, ſed forma non dat eſſe, niſi *ut quod*, ergo & agere.

Reſp. diſt. min. Habet eſſe *ut quod* à ſuppoſito, tanquam ab ultimo terminante, conc. min. tanquàm aliquo intrinſecè, & eſſentialiter conſtituente, neg. min. & diſt.

[1] *L.* 3. *de fine*, *c.* 15.
[2] *Joan. Theologus ibi SS.* 18. *&* 19.
[3] *Scotus cit. in* 1. *d.* 12. *q.* 3. *& in* 4. *n.* 5.

Digitized by Google

& diſt. utramque conſeq. operari *ut quod*, à ſuppoſito, tanquam ab ultimo denominato, conc.conſeq. tanquam à principio activo, neg. conſeq. & ratio patet ex dictis.

Objic. 3. Omne agens agit, ſecundum quod eſt in actu: ſed omne agens eſt in actu per ſuppoſitum, ergo agit per ſuppoſitum, per quod conſtituitur. Prob.min. Actus, per quem ſuppoſitum conſtituitur in eſſe ſuppoſiti, eſt exiſtentia per ſe una cum natura totali, & completa: ſed illa exiſtentia eſt perfectivus actus, ergo, &c.

Reſp. neg.min. & ant. prob. Nam falſum eſt, agens conſtitui in actu per ſuppoſitum: nam totum munus ejus eſt reddere naturam, non actuatam, nec exiſtentem, ſed incommunicabilem, ut diximus, & malè confunditur ſubſiſtentiæ munus cum exiſtentia, & cum perſeitate ſubſtantiæ, & quamvis id concederetur, adhuc nec ipſa exiſtentia eſt principium activum, ſed pura conditio requiſita in natura ad agendum.

Objic. 4. Si ſuppoſitum non agit, Chriſti ſuppoſitum non redemit nos, ſed conſeq. eſt erroneum, & impium, ergo, &c. Prob ſeq. Quia non influxiſſet in opera Redemptionis: ſed opus non poteſt tribui ei, quod nihil prorsùs contribuit, ergo, &c.

Reſp. 1. Iſtud argumentum, quod eſt præcipuum fundamentum Thomiſtarum, nimis probare, & retorqueri poſſe in adverſarios: ſequitur enim non tantùm actiones, ſed etiam paſſiones Chriſti refundendas eſſe in ſuppoſitum divinum: ſic enim arguerem: Chriſtus redemit nos tam patiendo, & moriendo, quàm agendo, ergo paſſiones, & mors Chriſti ſunt à ſuppoſito divino.

Reſp. 2. n. ſeq. & d. maj. prob. Non influxiſſet activè, conc. maj. & neg. min. terminativè, & ſuſtentativè, quatenus terminabat dependentiam humanitatis, eamque ſuſtentabat, & dignificabat, neg. maj. inde enim oritur valor actionum humanarum Chriſti, ſicut & paſſionum, nec plus requiritur ad valorem illarum, quàm iſtarum, ergo, ſicut ad valorem paſſionum ſufficit, quòd illi tribuantur denominativè propter illam unionem, ita & actionum.

Inſt. Suppoſitum Verbi non eſt patibile, ſicut eſt acti-

activum, ergo hæc paritas, & ratio non valet de paſſionibus, ſicut de actionibus.

Reſp. neg. ant. quoad 2. p. & conſeq. Non enim illud agere plus repugnat ſuppoſito Verbi, quàm illud pati, primò quia, ut tale, non erat principium meriti, ergo neque actionum humanarum Chriſti. 2. quia actiones ad extra ſunt communes toti Trinitati, non autem ab una perſona elicitivè, ergo illæ actiones Chriſti non erant, nec eſſe poterant elicitivè à perſona Verbi, quæ ſola formaliter, & præcisè ſuſtentabat naturam humanam Chriſti. Neceſſe eſt ergo dicere, actiones illas eſſe denominativè, & terminativè à Verbo, non elicitivè.

Objic. 5. Si ſuppoſitum non influit activè in actiones, ruit myſterium Trinitatis: ſed hoc eſt hæreticum, ergo, &c. Prob. ſeq. Ceſſat diſtinctio realis perſonarum divinarum, ergo, &c. Prob. ant. Diſtinctio realis perſonarum fundatur in hoc, quòd una procedat, & producatur ab alia, ſed una non produceretur ab alia, niſi ſuppoſitum ageret, ſola enim eſſentia generaret, & ſpiraret activè, Pater verò non generaret, niſi denominativè, ita de Patre, & Filio quoad ſpirationem. Eſt autem de fide, quòd eſſentia non generat, nec ſpirat, ex Concil. Lateran. ſub Innocentio III. [1]

Reſp. 1. pro nunc. neg. maj. 1. argumenti, ant. 2. & min. 3. Alia enim ratio eſt de ſuppoſito divino, & de creato: iſtud conſiſtit in negativo, non in poſitivo, & ſuppoſita creata non conſtituuntur, nec diſtinguuntur per ſubſiſtentias, ſed per naturas ſingulares; benè verò ſuppoſita divina; hæc enim conſtituuntur per ſubſiſtentias poſitivas, & per illas conſtituuntur in eſſe diſtincto.

Reſp. 2. Adhuc negari poſſe eaſdem propoſitiones ex alio fundamento eorum, qui tenent, neque etiam in divinis relationes, ſeu proprietates purè perſonales eſſe præcisè, & formaliter activas. Nam ſufficit, quòd eſſentia non poſſit communicari Filio, niſi, ut determinata, & ſubſiſtens in ſuppoſito Patris, nec Spiritui Sancto, niſi ut determinata, & ſubſiſtens in ſuppoſitis Patris, & Filii, ſufficit, inquam: Nam diſtinctio realis eſt inter principia *Quæ*, non in

O 2

[1] *Concil. Later. 3. c. damnamus de SS. Trin.*

in principio *quo*, nempe eſſentia: eo vel maximè, quia eſſentia, quæ communicatur, & eſt principium, quo non poteſt multiplicari in productis propter infinitatem ſuam, producens ergo *quod* ſemper diſtinguitur à producente *quo*, ſaltem formaliter, ſed hæc ſufficiant Philoſopho.

CONCLUSIO II.

Subſiſtentia in natura ſuppoſitata, vel ſuppoſitabili ſe habet ut conditio, ſine qua natura illa non ageret. Sequitur ex dictis.

Prob. Nam certum eſt, quòd aliquo modo concurrit, & quidem neceſſariò ad actiones, ergo ſi non concurrit, ut principium activum, debet ſaltem concurrere, ut conditio.

Dixi, *in natura ſuppoſitata, vel ſuppoſitabili*. Nam in illis naturis, quæ ſunt incapaces ſuppoſitabilitatis, ut accidentia ſeparata, talis conditio non eſt neceſſaria.

DISPUTATIO VII.

De ſpeciebus entis, & primò de ſubſtantia.

IAm diximus in Logica, quid ſit ſubſtantia, examinavimus definitionem ejus, & ſub illa, ut ſupremo genere prædicamenti Angelos comprehendi concluſimus, imò & cætera, quæ ſpectant ad hanc ſpeciem entis, & ad accidens in communi, & ad quantitatem, qualitatem, & relationes, quæ prædicamenta vocantur, ibidem tractabamus, ſed quia excreſcebat primus ille tomus, coacti ſumus illa huc transferre.

QUÆSTIO I.

De Perſeitate ſubſtantiæ.

QUia definivimus in Logica ſubſtantiam *ens per ſe exiſtens*, reſtat paulò ſtudioſius examinandum, quid ſit illa perſeitas, an conſiſtat in aptitudine ad ſubſtandum accidentibus, an in nega-

tione

Digitized by Google

tione exiſtentiæ in alio; an in perfectione poſitiva ſubſiſtendi per ſe; & quid illa ſit. Certum eſt, quòd ſolet à Philoſophis explicari ſub tribus illis modis, ſcilicet ſub illa aptitudine, & ſub illa negatione, & ſub hac perfectione certum etiam eſt, hæc omnia convenire illi.

CONCLUSIO.

Subſtantiæ ratio formalis conſtitutiva non conſiſtit præcisè in illa aptitudine ſubſtandi accidentibus, nec in negatione aptitudinis ad inhærendum, ſed in entitate, ſeu perfectione poſitiva, ex qua ſequuntur aptitudo, & ineptitudo. Ita Scotiſtæ ex principiis Doctoris, [1] qui docet, omnem ſubſtantiam eſſe ens per ſe: *prout diſtinguitur contra ens in alio, & ſic per ſe ens eſt idem, quod non inhærens actualiter, nec aptitudinaliter, &c.*

Prob. 1. p. Quia illa aptitudo formaliter eſt quid relativum, ergo non poteſt eſſe præciſa ratio formalis conſtitutiva ſubſtantiæ. Antec. patet ex terminis: dicit enim ordinem ad aliud. Probatur conſeq. ex eodem Scoto. [2] Omne ens abſolutum debet conſtitui formaliter per quid abſolutum: ſed ſubſtantia eſt ens abſolutum, & aptitudo illa eſt quid relativum, ergo ſubſtantia nequit conſtitui formaliter in ſuo eſſe ſubſtantiæ per illam aptitudinem.

Probatur 2. Quia ſubſtare accidentibus præcisè convenit etiam aliquibus aliis accidentibus; nam plura reperiuntur immediatè in quantitate, ut qualitates materiales, & in qualitatibus relationes, ergo, &c.

Probatur 3. Quia Deus habet verum conceptum ſubſtantiæ, licèt non ſubſit prædicamento, & tamen non ſubſtat accidentibus: ergo aptitudo ſubſtandi accidentibus non eſt ratio prima conſtitutiva ſubſtantiæ.

Prob. 4. ex Doct. [3] Quia ratio per ſe exiſtendi, ſeu ſubſiſtẽdi eſt prior ratione ſubſtandi, ſeu ſubſtentandi. Prius eſt enim rem ſubſiſtere in ſe, quàm ſubſtẽtare alia, nec enim iſtud poſſet, niſi & illud haberet,

[1] *Quod. 9. n. 3.* [2] *L. 7. Metaph. q. 1. n. 3. in* 4. 12. *F. n. 14.* [3] *Loco cit. Metaph.*

Digitized by Google

ergo perſeitas ſubſtantiæ dicit aliquid prius illa aptitudine.

Prob.2.p.ſimili ratione. Quia omne ens poſitivum debet conſtitui in tali eſſe per quid poſitivum, non verò per negativum: ſed ſubſtantia eſt ens poſitivum, ergo non poteſt conſtitui per illam negationem, ſed per aliquid poſitivum. Major eſt evidens, & min. eſt certa quoad utramque partem.

Prob.2. Quia omnis negatio neceſſaria, & inſeparabilis ab ente poſitivo ſupponit aliquid poſitivum, à quo fluat, aut in quo ſubſiſtat: ſed negatio inhærentiæ aptitudinalis eſt neceſſaria, & inſeparabilis à ſubſtantia; ergo ſupponit aliquid prius in ſubſtantia, ergo illa negatio non eſt formalis ratio conſtitutiva ſubſtantiæ, quia, quod prius eſt in re, prius conſtituit rem, ergo illud poſitivum, à quo manat illa negatio, erit ratio formalis conſtitutiva ſubſtantiæ.

Confirm. Quia debet dari ratio poſitiva, cur repugnet ſubſtantiæ potiùs, quàm accidenti, inhærere alteri, & illa erit primariò diſtinctiva ſubſtantię ab accidente. Prob.ant. quia illa repugnantia, ſive negatio aptitudinis manaret immediatè à gradu entis: eſſet etiam in accidente, quia ratio entis eſt eadem in ſubſtantia, & accidente, ergo, &c.

Prob.3.p. ex dictis pro duabus primis. Nam illa entitas, ſeu conceptus poſitivus, qui eſt radix illius aptitudinis ad ſuſtentandum, vel repugnantiæ ad inhærendum eſt primaria diſtinctio ſubſtantiæ ab accidente, ergo & primaria ratio conſtitutiva. Nam idem eſt principium conſtitutivum primarium, ac diſtinctivum.

Confirm. Quia hoc ipſo, quod concipimus aliquid, ratione cujus repugnat enti inhærere alteri enti diverſæ rationis, imò convenit illi ſuſtętare alia, habemus verum, & proprium conceptum ſubſtantiæ, prout diſtinguitur ab accidente, ergo, &c.

Objic. contra 1. p. Eſſentia ſubſtantiæ non poteſt explicari ſine illa relatione aptitudinis, ergo per illam conſtituitur.

Reſp.1. neg. ant. Nam poſſet explicari, ut multi faciunt, per negationem inhærentiæ abſque recurſu ad relationem poſitivam aptitudinis illius ad ſuſtentādum,

Digitized by Google

cum, & tamen non ſequitur, quòd per illam negationem conſtituatur.

Reſp. 2. neg.conſeq. Quia multa ſunt abſoluta in ſe,quæ tamen non ſolent, aut poſſunt benè explicari, niſi per relationes.

Inſt. 1. Subſtantia verè importat illum reſpectum aptitudinalem; ergo poteſt per illum explicari, & verè conſtitui.

Reſp. diſt.ant. Importat ſecundariò, & velut proprietatem, conc. ant. primariò, & velut differentiam, conſtitutivam;, neg.ant. & conſeq. Nam illa aptitudo ad ſuſtentanda accidentia, & quidem ultimatè, ſupponit ſubſtantiam priùs in ſe conſiſtentem per aliquid, ex quo manat illa aptitudo ſuſtentandi ultimatè alia, & illud aliquid erit primariò conſtitutivum ſubſtantiæ

Objic. contra 2. p. Non poteſt explicari ratio formalis ſubſtantiæ, niſi per negationem inhærentiæ aptitudinalis, ergo illa negatio eſt de illius ratione formali conſtitutiva, & diſtinctiva. Prob.conſeq. Unde enim fieret impoſſibilitas talis explicationis, ſi negatio illa non eſset vera ejus differentia conſtitutiva?

Reſp.neg.conſeq. & prob. ejus. Multa enim ſunt, quæ nequeunt explicari, niſi per negationes,aut relationes ad alia,quæ tamen in ſe ſunt verè poſitiva, & abſoluta, v.g. differentiam bruti explicamus per irrationalitatem, quæ eſt negatio rationalitatis, & tamen certum eſt, quòd differentia conſtitutiva bruti eſt quid poſitivum.

Objic.2. Si ratio conſtitutiva ſubſtantiæ,ut ſic,eſſet quid poſitivum ſuperadditum enti, illud eſſet reale, vel rationis, ſed neutrum dici poteſt, ergo non eſt quid poſitivum. Probatur min. 1. quod non ſit quid rationis. Quia ens rationis non poteſt conſtituere, nec diſtinguere ens reale. 2. Non eſt quid reale, quia eſſet ens, ergo non eſſet ſuperadditum enti.

Reſp. 1. idem argumentum fieri poſſe de differentia, & ratione conſtitutiva entis,& de omnibus aliis, &. ideò nimis probat.

Reſp. 2.idem dicendum de hac differentia, quod de aliis omnibus differentiis metaphyſicis, ſcil. quòd

Digitized by Google

non ſit formaliter ens reale, ſed aliquid entis. Sed de hoc melius patebit, cùm agitabimus, utrum differentiæ inferiores includant gradus ſuperiores. Thomiſtæ reſpondent, eſſe quidem ens, ſed cum aliquo conceptu explicito, qui non involvebatur in conceptu preciſo entis, ut ſic. Hæc magis patebunt ex dicendis.

QUÆSTIO II.

De Diviſionibus ſubſtantiæ in primam, & ſecundam, & de aliis.

PEr *primam* ſubſtantiam intellige ſingularem, quæ neque eſt in ſubjecto, cui inhæreat, neque de ullo ſubjecto prædicatur, tanquam de inferiori, ut *Petrus*, per *ſecundam* intellige ſubſtantiam univerſalem, quæ non ineſt quidem ſubjecto inheſionis, ſed de ſubjecto prædicatur formaliter, & in quid, velut de inferiori, ut *homo*, *animal*, &c. Idem igitur eſt ſubſtantia *prima*, ac ſubſtantia ſingularis, & *ſecunda* eſt ſubſtantia communis, ſeu univerſalis tam logicè, quàm metaphyſicè.

Quæritur ergo hìc, qualis ſit illa diviſio; an rigoroſa, & propria, & an conveniat ſubſtantię ſumptæ primò intentionaliter, ſeu metaphyſicè, an ſecundò intentionaliter, ſeu logicè?

CONCLUSIO.

P*Robabilius eſt*, *hanc diviſionem non eſſe exactam.* Ita permulti Philoſophi.

Prob. Quia omnis bona, & exacta diviſio eſt aut totius actualis in ſuas partes eſſentiales, vel integrantes, aut totius potentialis in partes ſubjectivas, aut accidentis in ſubjecta, aut accidentis in accidentia: ſed diviſio ſubſtantiæ, ut ſic, in primam, & ſecundam, non pertinet ad ullam ex his, ergo non eſt bona. Probatur min. Et quidem de prima non eſt dubium: nam neutrum membrum hujus diviſionis eſt pars eſſentialis, vel integralis. 2. de toto potentiali; nam ipſamet ſubſtantia, ut ſic, continetur in uno membrorum dividētium: eſt enim ſubſtantia ſecun-

ſecunda, & univerſalis, etiam quatenus totum potentiale, ergo eſt ſimul dividens, & diviſum, 3. de toto accidentali in ſubjecta: nam non fit mentio de ullo accidente communi, nec in toto diviſo, nec in membris dividẽtibus: totum diviſum eſt ſubſtantia, ut ſic, prout diſtincta ab accidente; & prima ſubſtantia non involvit ullum accidens, idem eſt de ſecunda, ergo, &c. 4. à fortiori patet de accidente in accidentia ob eandem rationem, ergo hæc diviſio non eſt bona in ullo genere diviſionis.

Prob. 2. Quia non benè diceretur, quòd homo dividitur in communem, & in particularem, quia homo communis eſt ipſum diviſum, ergo idem eſt de ſubſtantia, nam ea, quæ dicitur ſecunda, eſt ipſamet ſubſtantia ut ſic, & communis, nec poteſt dici, quòd in illa abſtractione dicat ullam formalitatem, vel reſpectum, qui non conveniat illi, ut ſecunda eſt, nec ullo modo multiplicatur in membris illis dividentibus, ſed eſt prorsùs eadem.

Dices. Quo ergo ſenſu Ariſtoteles potuit referre iſtam diviſionem?

Reſp. illam attuliſſe, velut enumerationem plurium formalitatum, ſub quibus eadem prorsus ſubſtantia conſiderari poteſt, & diverſorum accidentium, quæ illi competunt ſecundum illas formalitates, ſcil. ſubſtantia in ſtatu abſtractionis, & ut ſic eſt prædicabilis de pluribus cum ſui diviſione, & multiplicatione, & denominatur *genus*, aut *ſpecies*, &c. in ſtatu verò contractionis, & ut ſingularis, ſubjacet aliis accidentibus, proprietatibus, & denominationibus, v.g. de nullo prædicari poteſt in quid, & ut ſuperius, eſt incommunicabilis, &c.

CONCLUSIO II.

H*Æc diviſio convenit ſubſtantiæ tam logicè, quàm metaphyſicè ſumptæ, ſeu tam ſecundò, quàm primò intentionaliter ſumptæ*. Ita communiter.

Prob. ex ipſis deſcriptionibus Ariſtotelis. Nam cùm dicitur *de prima*, quòd de nullo prædicari poteſt, id illi competit logicè, & ſecundò intentionaliter, quia Logicus conſiderat res prout de ſe invicem

Digitized by Google

ſunt prædicabiles, & prædicabilitas, & ſubjicibilitas ſunt ſecundæ intentiones, ut ſuppono ex dictis. Et cùm dicitur, quòd neque in ſubjecto eſt, id eſt, non poteſt eſſe in alio tanquam in ſubjecto inhæſionis, id ſubſtantiæ convenit realiter metaphyſicè, & primò intentionaliter.

Quæres, quo ſenſu Philoſophus dixerit, primam eſſe magis ſubſtantiam, quàm ſecundam?

Reſp. hoc dici, quia, cùm ſubſtantia maximè dicatur à ſubſtando, magis ſubſtat prima, quàm ſecunda, quia ſubſtantia ſingularis per ſe immediatè, & realiter exiſtit, & recipit omnia accidentia, & ſubſtat etiam ultimatè omnibus prædicatis, quæ de illa poſſunt enunciari; ſubſtantia verò ſecunda tantò paucioribus prædicatis ſubjacet, quantò eſt ſuperior, & univerſalior, & non ſubſtat accidentibus realibus, & phyſicis, imò nec pluribus metaphyſicis, niſi mediante exiſtentia, & ſingularitate: nec enim dicitut de ſubſtantia, ut ſic, & in ſummo genere, quòd ſit corpus, vivens, ſenſitiva, rationalis, ſingularis, calida, humida, & quæ omnia dicuntur de ſubſtantia ſingulari: hæc enim eſt velut baſis, & fundamentum ſuſtinens totam columnam, & ædificium prædicamentale.

Quantum ad alias diviſiones ſubſtantiæ, faciles ſunt ex ſiſtemate nuper exhibito, & rursùs hìc apponendo. Nam dividitur 1. in corpoream, & incorpoream. 2. corporea in corruptibilem, & in incorruptibilem, ex ſuppoſitione, quòd dentur corpora incorruptibilia, ut aliqui volunt de corporibus cœleſtibus. 3. corporea corruptibilis dividitur in ſimplicem, & mixtam. 4. hæc iterum in viventem, & non viventem. 5. vivens, in ſenſitivam, & non ſenſitivam. 6. ſenſitiva, ſeu animalis, in rationalem, quæ eſt homo, & irrationalem, quæ eſt brutum. 7. homo denique, in individua, quæ ſunt Adam, Cain, Abel, & hæc eſt ſeries ſubſtantiæ corporeæ quoad unam lineam, nam ſingula genera, ſeu ſpecies ſubalternę ſubdiviſiones alias admittunt.

Incorporea item ſuos habet ramos, nam dividitur in completam, ut ſunt Angeli, & incompletam, ut ſunt animæ rationales. Angeli verò in ſua fortè genera, & ſpecies, & individua, de qua nunc non curamus.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO IV.

De Proprietatibus Subſtantiæ .

ARiſtoteles ſex aſſignat proprietates ſubſtantiæ, [1] 1. eſt, quòd in nullo ſubjecto ſit, hoc eſt, in nullo ſubjecto inhæſionis; nam triplex eſt ſubjectum.

1. *Inhæſionis*, quod eſt proprium ſubſtantiæ reſpectu accidentis, quippe inhærere, ex Scoto, id dicitur. quod eſt in ſubjecto, quod per ſe non informat, & cum quo non facit unum per ſe compoſitum, ſed per accidens, ſed dat eſſe, vel actum ſecundum quid rei, quæ jam eſt ens per ſe. 2. *informationis*, ut materia reſpectu formæ ſubſtantialis, cum qua facit unum ens per ſe compoſitum, & 3. ſubjectum *prædicationis*, & ſic ſubſtantiæ omnes primæ ſunt ſubjecta reſpectu ſecundarum; quia iſtæ de illis prædicantur. Igitur iſta proprietas intelligitur de ineptitudine ad eſſe in ſubjecto inhæſionis, & convenit tam primis, quàm ſecundis.

2. Eſt, quod prædicetur univocè de inferioribus, ſeu de primis ſubſtantiis, & hæc competit ſolis ſubſtantiis ſecundis, ſeu univerſalibus, & intelligitur de prædicabilitate remota, vel proxima, & quidem, tanquam aliquid eſſentiale: nam, quod non prædicatur, ut quid eſſentiale, non eſt proprium ſubſtantiæ. Album, v.g. prædicatur quidem univocè de Petro, & Paulo, ſed non eſſentialiter.

3. Quòd ſignificet hoc aliquid, id eſt, rem ſingularem hic, & nunc exiſtentem; & hæc convenit ſolis primis ſubſtantiis, ſeu ſingularibus. Univerſalitas facit rem potiùs ſignificare *quale quid*, quàm *hoc aliquid*, & eſt qualitas intentionalis, non verò propriè realis, & eſt oppoſita præcedenti.

4. Quòd non habeat contrarium, ſcil. propria contrarietate, quæ verſatur inter formas poſitivas ſibi invicem oppoſitas; & ab eodem ſubjecto ſeſe invicem expellentes, ut ſunt albedo, & nigredo, calor, & frigus, & ſimiles qualitates. Talis autem contrarietas non reperitur inter formas ſubſtantiales: quia,

[1] c. 5. de præd. ſubſt.

Digitized by Google

licèt non patiantur ſe ſe plures in eadem materia, ſaltem totales, tamen id non venit ex repugnantia particulari, quam habeat una ad aliam, potiùs quàm ad cæteras omnes, ſed eſt oppoſitio quædam diſparata, non relativa. Uno verbo, id propriè intelligitur, quod non ſe ſe expellant mutuo ab eodem ſubjecto inhæſionis; quia ſubſtantiæ non habent hujuſmodi ſubjectum, ſed ſolæ formæ accidentales, & in hoc ſenſu hæc proprietas convenit omni, & ſoli ſubſtantiæ reali. Unde licèt ignis, & aqua ſe ſe mutuo expellant, & deſtruant, id fit ratione, & mediantibus qualitatibus talium Elementorum, non verò ratione illorum ſubſtantiæ.

5. Eſt, non ſuſcipere magis, & minus; nam, licèt una poſſit eſſe perfectior alia, ſicut ſubſtantia hominis longè perfectior eſt ſubſtantia leonis, urſi, lupi, &c. & videatur poſſe augeri, & minui, ſicut ſubſtantia pueri, qui creſcit in virum etiam ſubſtantialiter, tamen intenſivè una non eſt magis ſubſtantia, quàm altera; ſicut unus homo non eſt magis homo, quàn. quivis alius, &c. Et hæc proprietas non convenit ſoli ſubſtantię in hoc ſenſu; nam eſſentiæ quarumcunque rerum, etiam accidentalium, non ſuſcipiunt magis, nec minùs.

6. Denique eſt, quòd ſit ſuſceptiva contrariorum, ſucceſſivè tamen; nam, cùm omne accidens poſſit abeſſe, vel adeſſe à ſubjecto ſubſtantiali ſine illius corruptione, nullum eſt, quod non poſſit illi advenire, aut abeſſe, ergo contraria omnia poſſunt illi advenire, aut abeſſe, & hæc proprietas convenit ſoli primæ ſubſtantiæ, & quidem tanquam ſubjecto ultimato, nam, ut dictum eſt, plurima accidentia reperiuntur immediatè in aliis accidentibus, ſed ultimatè à ſubſtantia ſuſtentantur.

DI-

Digitized by Google

DISPUTATIO VIII.

De Accidente in communi.

UT meliùs percipiantur, quæ diximus de ſubſtantia, & quæ inferiùs de aliis prædicamentis dicturi ſumus, hìc videtur de accidente in communi agendum; quandoquidem ens finitum immediatè dividitur in ſubſtantiam, & accidens; & accidens in novem reliqua prædicamenta;& ideò accidens fit aliquo modo ſummum genus reliquorum omnium novem prædicamentorum, aut ſaltem de illis prædicatur univocè.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit Accidens prædicamentale.

DIco, *accidens prædicamentale*, ſcil. illud ens quod jam deſcripſimus. Ens, quod alteri enti per ſe accidit, ſeu, quod per ſe exiſtere non poteſt, niſi in alio tanquam per inhærentiam: nam de accidente prædicabili, ſeu univerſali, jam dictum eſt ſupra, & de hoc quærimus, an ſit, & quale ſit.

Accidens autem, ex Scoto, ſumitur 1. Adjectivè, ſeu denominativè, & quaſi in concreto, prout dicit rem illam, cui competit inhærentia, ſeu accidentalitas, quæ eſt ratio ejus formalis. 2. Subſtantivè, prout ſignificat rem ipſam, quæ poteſt inhærere; & de accidente in hoc ſenſu procedit quæſtio, quandò quærimus, quid ſit propriè accidens.

Triplex autem eſt inhærentia. *Actualis*, quandò res actu inhæret alteri: *Aptitudinalis*, quandò non inhæret actu, ſed apta eſt inhærere; & *Radicalis*, ſc. ratio illa, ob quam competit enti alicui inhærere actu, vel aptitudine. Certum eſt autem, quod inhærentia aliqua ex iſtis eſt de ratione formali accidentis, His ſuppoſitis ſit

CON

CONCLUSIO I.

Accidens eſt verè, & eſſentialiter ens reale: cum addito tamen. Eſt Doctoris docentis, ens reale verè, & propriè dividi in decem prædicamenta, licèt non ſint æquè perfecta. [1]

Prob. Quia ens reale dicitur illud, cui non repugnat exiſtentia independenter ab omni opere intellectus: ſed accidenti non repugnat talis exiſtentia, ergo, &c. Major patet ex definitione communi entis realis, ut ſic. Prob. min. tum quia non poteſt aſſignari talis ulla repugnantia, tum quia de facto dantur hujuſmodi entia, ſcil. quæ per ſe exiſtere non poſſunt abſque inhærentia, ſaltem aptitudinali, ergo, &c,

Confirm. Quia ex Ariſt. ens reale, ut ſic, verè dividitur in ſubſtantiam, & accidens; ergo tam accidens, quàm ſubſtantia participant rationes entis realis, ergo eſt verè, & eſſentialiter ens reale.

Prob. 2. p. ſc. quòd dicendum ſit, *ens reale cum aliquo addito*. Quia non exiſtit niſi per aliquam dependentiam à ſubſtantia, ergo non eſt ens, niſi cum aliquali dependentia, & ideò ſub hoc reſpectu dicitur ens, inquantum illi convenit exiſtere, ſed accidenti non convenit exiſtere, niſi in ſubſtantia, ergo ratio entis illi non convenit, niſi dependenter à ſubſtantia. Subſtantia igitur dicitur ens ſimpliciter, quia per ſe exiſtit, accidens verò dicitur ens ſecundum quid, quia non exiſtit per ſe, licèt verè, & eſſentialiter ſit ens, ſed cum addito, ſcilicet, eſt ens entis.

Sic fortè conciliabis ſententiam eorum, qui negarunt accidens eſſe verè ens reale, nam fortè intelligendi ſunt de ente per ſe, & ſimpliciter, atque ſine addito reali, ſicut eſt ſubſtantia, quod nos etiam concedimus.

CONCLUSIO II.

Accidens eſt ens reale diſtinctum realiter à ſubſtantia, & per propriam exiſtentiam diſtinctam

[1] *In 2.d.2.q.5.D. & in 4.d.2. q.1.A.*

Digitized by Google

ctam ab exiſtentia ſubſtantiæ. Eſt etiam Doctoris [1] dicentis, quòd ſicut Accidens habet propriam entitatem eſſentialem, ita & proprium eſſe.

Prob. 1. p. Quia illa diſtinguuntur realiter, quæ poſſunt ſeparari: ſed omne accidens poteſt ſeparari à ſubſtantia, ergo diſtinguitur realiter ab illa. Maj. patet. Quia non eſt majus ſignum diſtinctionis realis, quàm ſeparatio, vel ſeparabilitas. Min.etiam patet: alioqui enim res illa non eſſet propriè accidens, ſed proprietas, quandoquidem ſubjectum non poſſet exiſtere, ſeu ſeparari ab illo.

Prob.2.p.Quia ex Scotiſtarum,& aliorum plurium ſententia, eſſentia, & exiſtentia non diſtinguuntur; ergo, quæ diſtinguuntur in eſſentia, diſtinguuntur etiam in exiſtentia: ſed accidens, & ſubſtantia habent entitates, ſeu eſſentias diſtinctas, ergo & exiſtentias. Maj. patebit ex dicendis in Metaphyſica: ſubſumptum etiam admittitur ab omnibus: alia eſt enim entitas, & eſſentia ſubſtantiæ, & alia accidentis.

Prob. 2. in ſententia Thomiſtarum, qui eſſentiam ab exiſtentia diſtinguunt. Nam remanente ſubſtantia in ſuo eſſe corrumpitur accidens, ergo Accidens amittit exiſtentiam ſuam, dum ſubſtantia retinet ſuam, ergo illæ exiſtentiæ diſtinguuntur. Probatur 1. conſeq. Nam implicat aliquid corrumpi, dum remanet ejus eſſe: ſed, ſi corrupto accidente non periret exiſtentia ejus, remaneret ejus eſſe, ergo perit exiſtentia accidentis cum ipſo accidente, ergo ſubſtantia, & accidens non habent idem eſſe exiſtentiæ.

Objic. contra 1.p. Accidentia relativa non poſſunt ſeparari ab extremis,ergo non diſtinguuntur realiter à ſubſtantia, ſeu à ſubjectis.

Reſp.diſt.ant. Non poſſunt ſeparari, ita ut exiſtant ſeparata, conc. ant. ita ut ceſſent penitùs eſſe, aut ſubjecta non exiſtant ſine illis, neg. antec. & conſeq. Nam inde tantùm ſequitur, quòd non diſtinguantur diſtinctione reali majori, ſeu mutua; benè verò reali, quæ dicitur non mutua, ſeu modalis, & hoc ſufficit; Nam hæc diſtinctio verè eſt realis, non major, ſed minor.

Objic. contra 2. p. Accidens eſt ens entis, id eſt, ſub-

Digitized by Google

ſubſtantiæ, ergo per exiſtentiam ſubſtantiæ eſt ens, ſeu exiſtens. Ant. eſt Doctoris. [1] Prob. conſeq. Nam eatenùs aliquid exiſtit, quatenus eſt ens: ſed accidens eſt ens per ſubſtantiam, ergo & exiſtens per ſubſtantiam.

Reſp. diſt. ant. Eſt ens entis, id eſt. adveniens enti, ſeu ſupponens ſubſtantiam exiſtentem, cui inexiſtat, conc. ant. ideſt, exiſtens per illius exiſtentiam, quaſi non habeat propriam quidditatem, & eſse, neg. ant. & conſeq. Nam, licèt accidens dependeat à ſubſtantia in genere cauſæ efficientis, & materialis, & in hoc ſenſu dicit Doctor, quòd eſt ens, quia eſt ens entis, non minùs habet proprium eſſe formale, quidditativum, & exiſtentiæ.

Inſt. Accidentis eſse eſt ineſse, ergo eſse accidentis eſt exiſtere per aliud.

Reſp. neg. conſeq. ſeu d. ant. Eſt ineſse alteri tanquam in ſubjecto materiali, conc. ant. Eſt eſse per aliud, tanquam per principium formale eſſendi, neg. antec. & conſeq. Accidens ineſt primo modo, non ſecundo.

Objic. 2. Quæ ſimul producuntur, habent eandem exiſtentiam: ſed ſubſtantia, & accidens ſimul producuntur, ergo, &c. Min. patet de igne, & calore, & lumine, & ſiccitate, &c. lac cum albedine producitur, &c.

Reſp. 1. neg. min. Plures enim ſubſtantiæ præexiſtunt realiter, & tempore ſuis accidentibus, ut paries præexiſtit albedini, lignum calori, &c.

Reſp. 2. majorem non eſse veram, niſi producantur una, & indiviſibili actione: ſi enim producuntur actionibus tantùm conjunctis, ſeu connexis, major non eſt vera.

Objic. 3. Relatio eſt accidens reale: ſed relatio non habet propriam exiſtentiam à fundamenti exiſtentia diſtinctam, ergo accidens non exiſtit propria exiſtentia. Prob. min. Quia ſi relatio haberet propriam exiſtentiam, poſſet exiſtere ſine fundamento, ſaltem divinitus: ſed hoc eſt impoſſibile, etiam divinitùs, ergo, &c.

Reſp. 1. Quòd, licèt id verum eſset de accidente relativo, non tamen de abſolutis, & hoc ſufficeret nobis

[1] *in. 4. d. 12. q. 1. G.*

Digitized by Google

nobis ad ſalvandam concluſionem: quòd accidens habet propriam exiſtentiam.

Reſp.2.neg.min.primi argum.& maj.2. Nam,quòd relatio ne divinitus quidem poſſit exiſtere ſine fundamento, & termino, id non venit ab identitate exiſtentiæ, ſed à ratione propria, & particulari accidentis relativi, ut relativum eſt. Patet hoc de creatura quæ ſine dubio habet exiſtentiam realiter diſtinctam ab exiſtentia Dei, & tamen ne divinitùs quidem poteſt exiſtere ſine Deo conſervante.

CONCLUSIO III.

Accidens reale eſt ens aptum ineſſe ſubjecto inhæſionis. Ita communiter.

Prob. Quia hæc definitio explicat naturam definiti per verum genus, & veram differentiam abſque ſuperfluitate, ergo eſt bona. Prob. ant. Quia, *ens* ponitur loco generis, & per id convenit cum ſubſtantia, reliqua verò ponuntur loco differentię: nam per illam *aptitudinem inhærentiæ*, differt à ſubſtantia, quæ non eſt apta ineſſe per inhærentiam, ut diximus. Loquimur autem de inhærentia aptitudinali, aut radicali, quia ſunt aliqua accidentia, v.g. Euchariſtica, quæ à Deo conſervantur extra ſubjectum, & actu non inherent.

Reſtat inquirendum,quid ſit eſſe in alio, tanquam in ſubjecto inhæſionis, ſeu, quid ſit illa inhæſio, quod jam explicandum eſt.

QUÆSTIO II.

Quid, & quotuplex ſit inhæſio accidentis.

Aliàs, & non ſemel monuimus, res multipliciter dici de ſubjecto, ſcil. de ſubjecto prædicationis, aut attributionis, aut informationis,aut inhæſionis. Hoc ultimum eſt propria differentia accidentis; *Inhærentia* autem eſt unio, qua accidens unitur, vel aptum eſt uniri ſubjecto, & duplex eſt, ut diximus, *actualis*, qua de facto unitur, & *aptitudinalis*, qua poteſt, ſeu natum eſt, ſeu exigit uniri,

licèt

licèt de facto, & actualiter non uniatur. Sed quid ſit præcisè talis unio, quę dicitur inhærentia, prout diſtinguitur ab unione, quæ dicitur informatio, & per quam forma accidentalis differt à ſubſtantiali, non ſatis clarè explicant authores. Mentem noſtram aperiemus, tum dicemus, quænam inhæſio ſit de eſſentia accidentis, & quomodò diſtinguantur.

CONCLUSIO I.

INhærentia accidentis eſt unio aptitudinalis cum ſubjecto, à quo res, quæ dicitur inhærere, dependet in fieri, & conſervari, & cum quo non facit unum per ſe compoſitum. Eſt cônformis principiis Doctoris, & videtur debere eſſe communis.

Prob. quia ſic explicatur natura hujuſmodí unionis clarè, & prout diſtinguitur ab aliis omnibus unionibus, quę non ſunt propriæ accidentibus.

Dicitur 1. *unio cum ſubjecto*, & id ponitur loco generis: nam per id convenit cum formis ſubſtantialibus. 2. *à quo res dependet in fieri, & conſervari*; & per hoc differt à multis formis, ſed non omnibus, quia forma ignis ſic eſt in materia prima ligni, & idem eſt de formis ſubſtantialibus materialibus, illæ enim educuntur de potentia materiæ, & ſic dependent à ſubjectis in fieri, & conſervari; item hoc non convenit omnibus formis accidentalibus, quia qualitates ſupernaturales, & ſpirituales, ut gratia, fides, ſpes, & charitas, ſunt vera accidentia, & inhærent animæ, & tamen ab ea non educuntur, ſed creantur, ut ſuppono ex dicendis ſuo loco, & ſic non dependent eſſentialiter ab anima in fieri, & conſervari, ideo

Addimus, quòd *non faciant unum per ſe compoſitum cum illo ſubjecto*, & in hoc ponimus veram rationem completivam inhæſionis, & patet, quia per hoc accidens differt ab omnibus formis ſubſtantialibus, & convenit omnibus accidentibus: quod colligis ex Scoto: dicit enim, quòd *Inhærens nec eſt actus ſimpliciter, ſed eſt actus ſecundum quid, nec cum illo, cui inhæret, facit unum per ſe* (ecce verum ſignum propriæ inhærentiæ, prout opponitur inexi-ſten-

[1] *Quodl.9.n.3. & 1.poſter.q.30.n.3.*

ſtentiæ formæ ſubſtantialis in materia) nam *oppoſita conveniunt ei, quod per ſe informat* (ut forma ſubſtantialis) ergo, &c. Et quantum ad inhærentiam docet, quòd *Accidens nihil eſt, circumſcripta aptitudine ad ſubſtantiam . Habitudo igitur ad ſubſtantiam eſt de eſſentia ejus*, ſed hoc intelligit de habitudine, non actuali, ſed aptitudinali.

Quæres, quid ſit facere unum per ſe compoſitum. Quomodò cognoſcitur, quòd forma aliqua faciat illud unum per ſe compoſitum, niſi enim id cognoſcatur, non capitur illa definitio.

Reſp. id cognoſci ex eo, quòd ratione illius formæ conveniunt qualitates conſervativæ illius in ſubjecto, cui unitur, v.g. forma plantæ dicitur facere unum per ſe compoſitum cum materia ejus, quia infert ſecum, vel exigit qualitates conſervativas ejus in illa materia, & ſic de cæteris. Non ita eſt de accidentibus: nam albedo, v.g. quid confert parieti albo ad ſui conſervationem?

CONCLUSIO II.

Inhærentia actualis non eſt de eſſentia accidentis abſoluti, ſed ab eo realiter diſtinguitur diſtinctione reali ſaltem minori, ſeu modali. Eſt Doctoris [1] cum ſuis, & aliis communiter contra Nominales.

Prob. Quia nil poteſt eſſe ſine eo, quod eſt de eſſentia ſua; v.g. homo non poteſt eſſe ſine animalitate, vel rationalitate: ſed accidens poteſt eſſe ſine inhærentia actuali, ergo inhærentia actualis non eſt de eſſentia accidentis. Prob. min. Quia accidens abſolutum poteſt conſervari à Deo extra ſubiectum, ergo poteſt eſſe ſine inhærentia actuali. Probatur antec. ex myſterio Euchariſtiæ, in quo accidentia panis ſeparantur, & conſervantur ſine ſubſtantia panis, ergo, &c.

Sequitur ergo, illam inhærentiam actualem eſſe aliquid diſtinctum ab entitate accidentis, quia poteſt ab eo ſeparari: ſicut unio animæ cum corpore diſtinguitur ab utroque: quia tam anima, quàm corpus poſſunt exiſtere ſine illa unione: ſed diſtinctio illa di-

[1] *In 4.d.12.q.1.n.2.princ.*

Digitized by Google

dicitur realis minor, ſeu modalis,quia non eſt mutua nec enim illa inhærentia, ſeu unio poteſt exiſtere ſine accidente.

Prob.2.ex Scoto cit. Nullum relativum poteſt eſse de eſsentia abſoluti: ſed actualis inhęrentia eſt quid relativum,& accidens, ut ſic non eſt quid relativum, alioqui omne accidens eſset relativum, ergo actualis inhærentia non eſt de eſſentia accidentis,ut ſic. Prob. maj. Quia ſi abſolutum conſtitueretur eſsentialiter per quid relativum, eſset ad ſe, & non eſset ad ſe: ſed hoc eſt contradictorium, ergo, &c. Prob. maj. Eſset enim ad ſe, quia eſset abſolutum, aut ſaltem non eſset ad aliud: quia accidens, ut ſic, pręſcindit ab utroque, alioqui quantitas, & qualitas eſsent eſsentialiter relativa, quia ſunt eſsentialiter accidentia: eſset autem ad aliud, quia conſtitueretur eſsentialiter in eſse accidentis per aliquid relativum, ergo, &c.

Objic. 1. Si inhærentia actualis eſset quid diſtinctum ab entitate accidentis, illud non uniretur immediatè ſubjecto: ſed faſum conſeq. ergo & antec. Min. patet. Nam accidens ſeparatum à ſubjecto eſt illi immediatè unibile, Prob. ſequela maj. Nam inhęrentia illa actualis mediaret inter entitatem accidentis, & ſubjectum, ac utrique adveniret, ergo accidens non uniretur immediatè.

Reſp.neg.ſeq.& d.ant.prob.Inhærentia actualis mediaret, *ut quo*, conc. ant. *ut quod*, neg.ant.& conſeq. Nam ſicut unio ſubſtantialis,quamvis diſtincta, non impedit,quin anima immediatè uniatur corpori, nec viſio impedit, quin oculus videat immediatè parietē, ita nec inhærentia actualis impedit, quin accidens immediatè inhereat ſubjecto, quia eſt ipſamet ejus unio.

*Inſt.*Quod eſt in ſubjecto,alio mediante non poteſt eſse illi ratio eſsendi in ſubjecto: ſed inhærentia actualis eſset in ſubjecto mediante entitate accidentis, ergo non eſset illi ratio eſsendi in ſubjecto mediante accidente. Prob.maj.Quia eſset circulus: inhærentia eſset in ſubjecto: mediante accidente, & accidens mediante inhærentia, ſeu per inhærentiam, ergo, &c.

Digitized by Google

Reſp.neg.min. Nam inhærentia actualis ineſt immediatè, non in ſubjecto accidentis: ſed in ipſo accidente,& accidens nõ eſt illi ratio ſubjectandi:ſed ipſa eſt accidenti ratio formalis ſubjectandi,ſeu potiùs eſt ipſamet ſubjectatio, ſeu unio, ſicut ſubſiſtentia, ſeu perſeitas ſubſtantiæ non eſt *per ſe*, ſed eſt ratio formalis ſubſiſtendi, ſeu eſsendi *per ſe*.

Inſt. 2. Omne accidens eſt immediate unibile ſubſtantiæ: ſed inhærentia illa actualis, ſi eſt diſtincta, eſt accidens, ergo recipi poteſt immediatè in ſubſtantia.

Reſp. neg. maj. Nec enim eſt de ratione accidentis, quòd recipiatur immediatè in ſubſtantia; ſufficit, quòd dependeat ab illa, tanquam à ſubjecto inhæſionis, ſive mediatè, ſive immediate. Minor eſt etiam falſa in rigore. Nam inhærentia non eſt propriè accidens, ſed quid accidentis, ſeu ratio actualis accidentis.

Objic. 2. Si actualis inhęrentia eſset quid diſtinctum ab entitate accidentis, eſset poſterior tàm accidente, quàm ſubjecto: ſed falſum conſeq. ergo &c. Min. eſt clara. Nam ſi inhærentia eſset poſterior accidente, jam accidens ſupponeretur in ſubjecto, & per conſequens ipſa eſſet ſuperflua. Prob. ſeq. maj. Nam omnis relatio eſt poſterior extremis: ſed inhærentia illa diſtincta eſſet relatio inter accidentis entitatem, & ſubjectum ejus, ergo eſſet poſterior utroque.

Reſp. diſt. maj. Eſſet poſterior accidente fundamentaliter, conc. maj. formaliter, neg. maj. Nam fundamentaliter quidem prius eſt accidens eſſe, quàm actualiter inhærere, formaliter verò eſt ſimul, quia eadem actione, qua producitur entitas accidentis, unitur ſubjecto, & ipſummet produci, eſt uniri, ac inhærere: eſt autem poſterior natura, quia accidens præſupponitur eſſe, quandò unitur, & inhæret actu.

Objic. 3. Perſeitas, ſeu ſubſiſtentia actualis ſubſtantiæ non eſt quid ſuperadditum, ergo nec inhærentia accidentis. Probatur conſeq. Quia, ſicut ſe habet perſeitas ad ſubſtantiam, ita inhærentia ad accidens, ergo ſi una non diſtinguitur, ita nec alia.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. neg. conſeq. & ant. prob. & diſparitas eſt, quia perſeitas actualis non eſt ſeparabilis à ſubſtantia; benè verò inhærentia actualis ab accidente abſoluto. Cur autem non poſſet ſeparari à relativo, dictum eſt ſupra, id venire nimirum ex natura ſpecifica relativorum.

Objic. 4. Nequit aſſignari cauſa talis inhærentiæ diſtinctæ, ergo nulla eſt. Prob. ant. Vel enim manaret ab ipſo accidente, aut ab ejus ſubjecto: ſed neutrum dici poteſt, ergo, &c. Prob. min. de accidente. Quia non omnia ſunt activa, ſicut omnia ſunt inhæſiva, ergo, &c. Prob. etiam de ſubjecto, quia non eſt productivum, niſi accidentis, quod recipit, ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & maj. probationis. Non enim eſt nec ab accidente, nec à ſubjecto, ſed ab eadem cauſa efficiente, quæ producit accidens in ſubjecto, ut docet Scotus.

Inhærentia actualis tantùm contingenter ineſt, & non ex natura albedinis, ſed à cauſa extrinſeca: non enim facit albedo ſe inhærere ſubjecto, ſed agens ſubjectum benè poteſt virtualiter includere formam, & ita totum ex ſubjecto, & forma, non ſic accidens, quia non includit virtualiter ſeipſum, inquit Scotus.

CONCLUSIO III.

Inhærentia actualis eſt de eſſentia accidentis Relativi. Eſt etiam Doctoris.[1]

Loquendo de eo, quod denominatur à per ſe accidentis ſignificato, & eſt per ſe reſpectus, contradictio eſt, quòd ſit ſine ſubjecto, extendendo ſubjectum ad fundamentum, &c.

Prob. Quia illa relatio eſt de eſſentia fundamenti, ſine qua implicat ab intrinſeco illud eſſe, ſed talis eſt inhærentia actualis reſpectu accidentis relativi, ergo, &c. Major ſupponitur ut certa, & recepta ab omnibus. Probatur minor. Nam reſpectus eſt eſſentialiter habitudo inter duo extrema, ergo, ſicut tollere terminum eſt tollere reſpectum, ita & tollere ſubjectum, quod eſt aliud extremum ejus, eſt tol-

[1] *ibid. C. & D. ff. ſecunda concluſio.*

Digitized by Google

tollere eundem reſpectum, ergo implicat, accidens relativum eſſe ſine ſubjecto, & hoc magis probabitur infra, ubi de relatione agemus. Dicemus enim, quod *eſſe in* æquè eſt eſſentiale relationi, ac *eſſe ad*, &c.

Objic. Si inhærentia actualis eſſet eſſentialis accidentis relativi, conceptus ille eſſet genericus reſpectu omnium relativorum: ſed hoc eſt falſum, ergo. Probatur min. Nam, ſi ille conceptus eſſet genericus, accidentia non conſtituerent niſi unum prædicamentum: ſed hoc eſt contra nos, qui ſingulis aſſignamus ſupremum ſuum genus, ergo,&c.

Reſp.neg. min. & ant. prob. Nam, ut diximus de prædicamentis in communi, ſic poſſet de facto dici, quòd illa ſeptem prædicamẽta relativa poſſent contineri ſub uno ſummo genere, quod eſſet accidens relativum,& eadem objectio tam fieri poteſt de *eſſe ad*, quàm de *eſſe in*.

CONCLUSIO IV.

Inhærentia aptitudinalis non eſt diſtincta, niſi formaliter ex natura rei, ab entitate accidentis abſoluti, ſed non eſt de eſſentia ejus, ſed proprietas; colligitur ex Doct. multis in locis [1] docet enim, quòd *neutra inhærentia* (ſc. nec actualis, nec aptitudinalis) *eſt de eſſentia accidentis.... Tum quia fundamentum reſpectus* (utraque ſiquidem eſt quid relativum) *eſt aliquid præter reſpectum .... ergo eſt extra conceptum ejus quidditativum: cùm reſpectus ſit poſterius natura fundamento.... dicitur*, quòd *inhærentia ſecunda* (aptitudinalis ſc.) *eſt eadem eſſentialiter, ſive realiter accidenti ſecundo modo ſumpto, tum quia paſſiones entis dictæ de inferioribus non dicunt aliud ab ente in eis*, ergo ex Scoto, inhærentia non ſolùm actualis, ſed etiam aptitudinalis non eſt de eſſentia accidentis, nec iſta diſtinguitur realiter ab eo, ſed ſolùm formaliter ex natura rei, ſicut paſſiones, ita & proprietates ſolent diſtingui à natura, cujus ſunt.

Prob.1. pars. Quia nulla aptitudo diſtinguitur realiter

[1] 1. *poſter. q,30. n.7. & in 4. d.12. q.1.n.5.B. & D,& n.24. & l.7. metaph. q.1.n.3.*

liter à natura, cujus eſt: eſt enim proprietas ejus, ut patet de riſibilitate, quæ eſt aptitudo ridendi in homine, de mobilitate, quæ eſt aptitudo ad motum in corpore naturali, ergo inhærentia aptitudinalis non eſt diſtincta realiter.

Quod autem diſtinguatur formaliter ex natura rei ab accidente abſoluto,& nō ſit de eſſentia ejus, prob. Quia omnis natura abſoluta eſt priùs in ſe conſtituta in ſuo eſſe abſoluto, quàm aptitudo ulla emanet ab ipſa, ergo omnis natura abſoluta diſtinguitur ſaltem formaliter à natura,ergo & accidens ab inhærentia aptitudinali. Prob. ant. Quia omne abſolutum priùs eſt in ſuo eſſe conſtitutum, quàm emanet ab ipſo ulla relatio; ſed aptitudo inhærendi eſt quid relativum, & maximè iſta, ergo accidens priùs eſt in ſe conſtitutum eſſentialiter, quàm intelligatur aptitudo illa inhærendi.

Confirm. Nam, nullum abſolutum includit in ſuo conceptu eſsentiali relativum: ſed aptitudo illa eſt quid formaliter relativum, ſaltem tranſcendentale, ergo accidens abſolutum non poteſt includere in ſuo eſſentiali conceptu aptitudinem inhærentiæ, ergo ab eo diſtinguitur,ſaltem formaliter ex natura rei: ſic enim diſtinguuntur ea, quæ realiter inſeparabilia ſunt,& habēt diverſos conceptus formales.Maj.prob. Quia abſolutum, quod includeret in ſuo conceptu formali relationem, eſſet formaliter ad ſe, & non ad ſe; ad aliud, & non ad alud.

Hinc prob.3.p.concluſionis, ſc.quòd illa aptitudo ſit proprietas accidentis. Nam, ſi non diſtinguantur realiter ab ejus entitate,nec ſit de eſsentia ejus,ſequitur, quòd ab ea fluat immediatè, velut proprietas, & paſſio ejus, ſicut riſibilitas identificatur homini, & eſt proprietas ejus.

Objic. 1. Accidens non poteſt concipi abſque illa aptitudinali inhærentia, ergo eſt de eſſentia ejus Prob.ant. Definitur enim per inhærentiam,ut patet, ergo illa ingreditur definitiones ejus.

Reſpondeo neg. conſeq. utramque. Multa enim ſunt, quæ concipi, ſeu definiri nequeunt ſine iis, quæ ſunt extra eſſentiam eorum, ut ſunt relationes, & accidentia omnia, quæ ſint exiguæ entitatis, meliùs explicantur per extrinſeca, & ſenſibi-

Digitized by Google

ſibiliora, quàm per principia purè intrinſeca.

Objic. 2. Inhærentia aptitudinalis, vel actualis eſt quid reale, ergo, ſi eſt quid diſtinctum ab eſſentia ut ſic, erit aliud accidens prædicamentale. Prob. conſeq. Omne .n. ens eſt vel ſubſtantia, vel accidens; ergo illa inhærentia aptitudinalis erit aliud accidens.

Reſp. neg. conſeq. & ad prob. dico, eſſe proprietatem accidentis, ſicut riſibilitas in homine eſt aliquid hominis, ſc. proprietas ejus; non autem eſt homo, nec animal.

Objic. 1. contra 2. p. auctoritatem Scoti dicentis, [1] quòd *inhærentia ſecundum aptitudinem eſt de eſſentia accidentis*, quod probat: *accidens non poteſt intelligi, niſi concomitanter intelligatur ſubjectum; nec etiam definitur ſine ſubjecto... ergo accidens eſſentialiter aptum natum eſt ineſſe ſubjecto, ergo inhærentia ſecundum aptitudinem eſt de eſſentia accidentis.*

Reſp. nomine eſſentiæ Scotum intelligere, quidquid pertinet ad naturam aliquam, ſive ut partem intrinſecam eſſentiæ, ut genus, & differentia, aut ut materia, & forma, ſive ut modus, aut proprietas realiter identificatur, uno verbo patet ex textu ſupra allato, quòd apud ipſum illam aptitudinem pertinere eſſentialiter idem eſt, ac realiter identificari; & id clariùs docet ad propoſitum. *Licet enim*, inquit, *aptitudo illa ſit quid extrinſecum eſſentiæ, ſicut modus, non eſt extrinſecum, ſicut res alterius generis, ſed eſt extrinſecum eſſentiæ* (accidentis) *ſicut modus, ſine quo non eſt eſſentia*, & ideò neg. conſeq.

CONCLUSIO IV.

R*Atio formalis conſtitutiva accidentis, ut ſic, eſt inhærentiæ radix, ſeu formalitas, aut entitas realis, & poſitiva*, ex qua ſequitur aptitudo, ſeu exigentia inhæſionis.

Hęc Concluſio ſequitur ex dictis. Certum enim eſt, accidens eſſe entis ens, ſeu ens, quod non exiſtit, niſi in alio, velut in ſubjecto inhæſionis: ſi ergo illa inhæſio non ſit de ratione ejus conſtitutiva, debet eſſe

[2] *poſt. q. 30. n. 7.*

Digitized by Google

ea entitas, ex qua manat illa aptitudo inhærendi.

Quæres, an quandò accidens abſolutum conſervatur à Deo extra ſubjectum inhæſionis, ut fit in Euchariſtia, ſuperaddatur ejus entitati aliquis modus poſitivus abſolutus.

Ratio dubitandi eſt, quia tunc exiſtit, & conſervatur contra inclinationem, ſeu aptitudinem ſuam naturalem inhærendi, & habet dependentiam ab aliquo alio, à quo non dependebat anteà, & quod ſupplet defectum proprii ſubjecti.

Reſp. tamen negativè. Nam talis modus eſſet omninò ſuperfluus, ſaltem diſtinctus à concurſu, & voluntate Dei, quæ deſtruit, ſeu impedit inhærentiam actualem, & conſervat accidentia in eo ſtatu: nec enim ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, qualis hic nulla eſt.

Ad rationem autem dubitandi patet per hoc, nil accidenti advenire de novo, niſi quòd tollitur dependentia, ſive unio actualis ad ſubjectum, quæ ſuppletur per illum concurſum extraordinarium Dei, per quem nihil ponitur intrinſecum poſitivum in accidente, ſed ad ſummum nova relatio extrinſeca dependentiæ ad illum Dei concurſum.

QUÆSTIO III.

De accidentibus materialibus, & ſpiritualibus, an illa poſſint ſubjectari in ſubjecto ſpirituali, & hæc in materiali.

ACcidentia alia ſunt *materialia*, ut albedo, nigredo, calor, quantitas, &c. alia *ſpiritualia*, ut intellectiones, volitiones humanæ, habitus virtutum ſpiritualium, gratiæ, fidei, ſpei, & charitatis, &c. illa in ſenſibus hærent, iſta in anima rationali, quam ſuppono ex fide ſubſtantiam eſſe ſpiritualem, & quæritur, an ſpiritualia poſsint ſubjectari immediatè in ſubſtantia materiali, & viciſſim materialia in ſpirituali.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO I.

Accidens materiale naturaliter non poteſt recipi in ſubjecto ſpirituali, nec ſpirituale in materiali. Ita communiter cum Doctore ſubtili, [1] qui docet, virtutem ſupernaturalem, & ſpiritualem non poſſe eſſe in ſacramento propter materialitatem ejus, & multis in locis docet, albedinem repugnare Angelo.

Prob. 1. Quia inter materiale, & ſpirituale non eſt proportio ſufficiens, ſed inter ſubjectum, & formam debet eſſe aliqua proportio, ergo, &c. Prob. maj. Ens enim ſpirituale, & materiale differunt pluſquam genere, fateor quidem, animam rationalem eſſe in corpore: ſed hoc fit ex diſpenſatione divina, & ex quadam ſupernaturalitate.

Prob. 2. ex Scoto [2] Quia Accidens ſpirituale eſſet totum in toto ſubjecto materiali, & totum in qualibet parte, vel totum in toto, & pars in parte: ſed neutrum dici poteſt, ergo &c. Min. patet quoad 2. partem. Quia accidens ſpirituale eſt indiviſibile, & non habet partes. Prob. 2. quoad 1. p. Quia eſſe indiviſibiliter in ſubjecto extenſo eſt proprium animæ rationalis inter omnes formas: & hoc, ut dicebam, ex diſpenſatione ſpeciali divina, & quadam ſupernaturalitate, ergo naturaliter id non competit accidenti.

Prob. 3. Quia non poteſt aſſignari cauſa ulla creata, quæ poſſit producere accidens materiale in ſubjecto ſpirituali, aut è contra, ergo id nequit fieri naturaliter. Prob. ant. Si adeſſet talis cauſa, id aliquandò contingeret, ſed nunquam contigit, ergo, &c.

Confirm. Quia, niſi ex fide doceremur, animam rationalem eſſe ſpiritualem, diceremus eam eſſe corpoream, quia eſt in ſubjecto materiali, ergo id non eſt ex principio purè naturali.

Objic. 4. ſpecialiter de accidente corporeo. Quia illud petit naturaliter poni in ſubjecto extenſivè: ſed non poſset poni extenſivè in ſubjecto ſpirituali, ergo naturaliter eſse non poteſt in illo; ſed hæc veritas magis patebit ex ſequenti.

[1] *in 4. d. 1. q. 5. n. 2. N. & d. 18. q. 2. C. n. 8. & quodl. 19. V. n. 19.* [2] *ibid.*

Digitized by Google

CONCLUSIO II.

Probabile eſt in ſententia Scoti, quòd repugnet accidens materiale ſubjectari in ſubjecto ſpirituali, & ſpirituale in ſubjecto materiali.

Prob. 1. ex Scoto, de accidente materiali. Nam, ut dicebam, negat in ſacramentis virtutem ſupernaturalem, & ſpiritualem, & loquitur ſine dubio in caſu noſtro, ſcilicet de potentia Dei abſoluta, nec enim ullus ſomniavit id eſse poſse naturaliter, & ratio illius petitur ex ſpiritualitate virtutis illius. 2. docet, quòd, ſicut lapis non poteſt eſse ſapiens, quia nullo modo habet rationem receptivi reſpectu ſapientiæ, ſic Angelus non poteſt eſse albus, quia nullo modo ſuſceptivus eſt formæ hujus.

Duplex eſt ratio. Una eſt extenſio in ipſa forma, & inextenſio ex parte Angeli, ſcilicet accidens materiale habet partes, & eſt diviſibile, non verò Angelus. Alia ratio eſt, quia *hæc forma, ſcilicet albedo, eſt hæc forma, & Angelus eſt Angelus, & hæc ſecunda ratio eſt eſſentialis impoſſibilitatis*, ergo, ex Scoto, nullo modo poſſibile eſt, ne ſupernaturaliter quidem, accidens materiale recipi in re ſpirituali: quod alibi etiam non ſemel docuit, ut cùm dixit, Angelo repugnare albedinem, ſicut naturæ divinæ perſonari aliena ſubſiſtentia.

Prob. igitur ratione, quam inſinuat Doctor citatus. Nam, ſi albedo, v.g. aut calor, aut quantitas reciperetur in Angelo, Angelus denominaretur ab illis albus, calidus, quantus, &c. ſed hæ denominationes repugnant Angelo, ergo & forma. Maj. patet. Quia effectus formalis albedinis eſt facere album. Prob. autem min. Quia tam repugnat Angelo dici album, quàm lapidi eſſe ſapientem: ſed iſtud repugnat lapidi, ergo & illud Angelo.

Dices. [1] In Angelo recipi quidem poſſe quantitatem, calorem, & albedinem, ſed non poſſe denominari ab eis quantum, aut album, aut calidum, quia illæ denominationes requirunt, ut accidentia ſint in Angelo modo extenſo.

Sed

[1] *Poncius in append. p. 567.*

Digitized by Google

Sed Contra, Nam quod non eſt capax denominationis, quæ eſt effectus formalis alicujus formæ, non eſt capax illius formæ: ſed, ex adverſariis ſubſtantia ſpiritualis, v.g. Angelus, non eſt capax denominationis, quæ eſt effectus formalis accidentis materialis, ergo nec accidentis, ſeu formæ materialis. Prob. maj. Quia denominari quantum, calidum, album, &c. nihil eſt aliud, quàm habere albedinem, ex Ariſtotele, [1] & Scoto, [2] ergo, ſi Angelus non poteſt dici albus, non poteſt habere albedinem.

Dices 2. non eſſe neceſse, ut forma tribuat omni ſubjecto omnem denominationem, quam poteſt dare, ſed ſufficit, ut aliquam, & maximè primarium effectum: nam duplex eſt effectus formalis, primus eſt communicatio ejus quoad entitatem præcisè, ſecundus eſt communicatio modo extenſo, & denominatio albi, v.g.

Sed contra. Gratis enim hoc dicitur, & contra communem modum loquendi Philoſophorum poſt Ariſtotelem citatum, qui nullo modo diſtinguunt hæc, niſi voce tenus.

Dices 3. id conſtare ex Theologis, qui dicunt, naturam irrationalem poſse ſuſtentari per unionem hypoſtaticam, & tamen non denominaretur perſona, quamvis uniretur perſonalitati verbi, ergo non eſt neceſse, ut forma tribuat ſubjecto cuicumque omnem effectum formalem, & omnem denominationem, quam poteſt.

Contra. Quia denominatio perſonæ non provenit præcisè à ſubſiſtentia, ſed à natura, quę ſi ſit rationalis, dicitur perſona, ſi irrationalis, dicitur ſuppoſitum, ergo nulla reſponſio.

Dices 4. Angelus denominabitur quidē albus, calidus, &c. ſi nihil aliud velimus, quàm quòd habeat albedinē, aut calorē: ſed id non poterit dici, ſi velimus per id intelligi, quòd ſit albus modo extēſo, & diſgregans viſum, quia Angelus non eſt capax talis effectus.

Contra. Nam albedo illa eſſet ejuſdem rationis cum ea, quæ ſic denominat ſubjectum materiale, ergo deberet tribuere effectum eundem formalem

P 3 An-

[1] *L. prædicam. c. de habere.*
[2] *in 4. d. 3. 4. 7. §. ad auctoritatem Y.*

Angelo, quem tribuit parieti, aut lacti idem eſt de calore, de quantitate, &c.

Prob. altera pars concluſionis de accidente ſpirituali in ſubjecto materiali, ratione ejuſdem Scoti.[1] Nam vel eſset totum in toto, & totum in qualibet parte ſubjecti materialis, vel partes accidentis reſponderent partibus ſubjecti: ſed neutrum dici poteſt, ergo, &c. Min. patet quoad 2. p. Accidens ſpirituale non habet partes, ſed eſt indiviſibile. Prob. autem quoad 1. p. Nam tunc eadem forma penderet à pluribus cauſis totalibus, & adæquatis, ſed hoc ſupponitur implicans ex phyſica, ergo, &c. Prob. ſeq. Nam accidens pendet omnino à toto ſubjecto, à quo educitur, aut cui inhæret: ſed idem educeretur, aut inhæreret totum, & adæquatè ſingulis partibus, ergo à ſingulis partibus totaliter, & adæquatè penderet.

Dices. Deus poſſet producere accidens ſpirituale ſine illa dependentia à ſubjecto inhæſionis, & tunc ceſſaret ratio.

Sed contra. Id enim implicat accidenti, ut accidens eſt: poſset quidem fortè producere accidens ſpirituale per creationem, & ſine influxu materiæ, & multi credunt creari gratiam, ſed ſemper haberet dependentiam radicalem, & aptitudinalem ad ſubjectum, id enim eſt eſſentiale, aut proprium accidenti tam ſpirituali, quàm materiali, ut diximus in præcedenti, ergo ſemper valet argumentum.

Objic. 1. Non poſset aſſignari ulla repugnantia, ergo id non debet denegari potentiæ Dei abſolutæ.

Reſp. neg. ant. & repugnantia patet ex probationibus concluſionis, & maximè, quia Scotus citatus ſupponit id repugnare ex propria eſsentia formarum hujuſmodi, & ſubjectorum: dicit enim rationem eſſe, quia hæc forma eſt hæc forma, & Angelus eſt Angelus, & hæc ratio eſt eſſentialis, ſicut qui diceret, quòd irrationalitas repugnat homini, & rationalitas bruto, quia irrationalitas eſt hęc forma, & homo eſt homo, &c.

Objic. 2. Forma ſpiritualis ſubſtantialis, v.g. anima rationalis poteſt informare corpus, ergo & forma ſpiritualis accidentalis.

Reſp. 1. Hoc argumentum nimis probat: nam ani-

[1] *In 4. quodl. 1. q. 5. B. n. 8.*

Digitized by Google

anima rationalis informat corpus de potentia ordinaria, quod non concedunt adverſarii de accidentibus.

Reſp. 2. neg. conſeq. & paritatem. Nam formæ ſubſtantiales non dependent à materia, & ſubjecto, ſicut formæ accidentales.

Dixi autem, id probabile eſse; nam fateor contrariam ſententiam non carere ſua probabilitate, tum quia non video ſatis manifeſtam repugnantiam, tum quia mihi videtur ſatis urgens ratio de anima rationali. Qui voluerit hanc partem tueri, videat Poncium [1] pro affirmativa, & Maſtrium [2] pro negativa; mihi videtur iſte fideliùs loquutus ad mentem Scoti, quia, licèt Poncius nitatur explicare illum ſic, ut in ſuam trahat ſententiam, id tamen vix aſſequitur, ni fallor.

QUÆSTIO IV.

An idem numero accidens poſſit ineſſe pluribus ſubjectis realiter, & immediatè, & plura in eodem.

Dico 1. *ſimul*. Nam certum eſt, quod idem numero accidens poſſit inhærere ſucceſſivè, ſaltem divinitùs, pluribus ſubjectis; naturaliter verò dici ſolet, quòd non tranſeat de ſubjecto in ſubjectum, quia naturaliter dependet in fieri, & in conſervari in ſuo ſubjecto. Secundò dico, *immediatè*. Nam certum idem poſſe immediatè inhærere uni, & mediatè alteri, v.g. Albedo immediatè inhæret quantitati, & mediante quantitate inhæret ſubſtantiæ. Quæſtio ergo eſt de duobus ſubjectis æquè immediatis, & diſtinctis eodem tempore, v.g. albedo eadem numero in duobus parietibus.

Certum eſt autem, id fieri non poſſe naturaliter, quia id aliquandò contingeret, quod nemo dixit huc uſque contigiſſe. Sicut nec ullus aſserit, quòd naturaliter idem numero corpus poſſit eſſe ſimul in pluribus locis adæquatis.

P 4 CON-

[1] *Diſp. 13. Log. a. n. 24. & in append. ad Metaph. a. p. 967.* [2] *Maſtr. p. 12. metaph. d. 2. n. 257. & ſeq.*

Digitized by Google

CONCLUSIO I.

P*Robabile eſt, ex Scoto,* [1] *idem numero accidens non poſſe ineſſe ſimul pluribus ſubjectis ſeparatis.* In hac concluſione diſsentiunt iidem nobiles Scotiſtæ Maſtrius, & Poncius.

Prob. ex Scoto. Nam ſequeretur, iſtud accidens eſſe infinitæ perfectionis, ſed hoc eſt impoſsibile, ergo & impoſsibile eſt, idem numero accidens poni in diverſis ſubjectis. Prob. ſeq. maj. *Si forma ſubſtantialis ſubſtantialiter perficeret plura ſuppoſita, eſſet actualiter illimitata,* inquit Doctor, *ergo & accidens, quod perficeret accidentaliter eadem ſuppoſita, eſſet illimitatum.* Prob. ant. Quia forma tantò eſt perfectior, quantò plura perfectibilia poteſt perficere: ſed forma, quæ poteſt perficere tria ſubjecta, aut ſuppoſita perfectibilia, poſſet infinita, ergo eſſet infinitè perfecta. Prob. min. Quia, qua ratione poſſet reproduci ad perficienda tria, poſſet infinita, nec eſſet major ratio de numero ullo finito, quàm de infinito; & hæc ſuppono ex dicendis in Phyſica.

Prob. 2. alio argumento Scoti. [2] *Eſſentia divina concluditur eſſe infinita ex hoc, quod ipſa eadem poteſt eſſe in tribus perſonis, ergo hæc natura,* ſeu forma ſubſtantialis, aut accidentalis (perinde eſt) *eſset infinita, ſi poſſet eſſe in pluribus perſonis,* ſeu ſuppoſitis, aut ſubjectis. Prob. ant. Nam, *qua ratione poſſet eſſe in duabus perſonis, pari ratione in infinitis.* [3] Eodem argumentò utitur ſæpè, v.g. ad probandam unitatem Dei, quia, ſi poſſent eſſe duo, ita & infiniti.

Prob. 3. Quia illud accidens dependeret ſimul à pluribus cauſis totalibus, & adæquatis in ſuo genere, ſc. in genere cauſæ materialis: ſed hoc etiam repugnat, ut ſuppono ex phyſica, ergo repugnat, idem numero accidens poni in pluribus numero ſubjectis totalibus, & adæquatis.

Objic. 1. Nulla poteſt afferri manifeſta repugnantia, ergo eſt poſſibile divinæ potentiæ.

Reſp.

[1] *in 3. d. 1. q. 2. §. contra iſtud.*
[2] *ibid. §. contra hoc objicitur ante a. n. 4.*
[3] *in 1. d. 2. q. 3. par. ſexta vid. B. n. 5.*

Digitized by Google

Reſp. neg. ant. ut patet ex argumentis . Nam repugnat infinitas perfectionis in creatura , repugnat etiam dependentia unius effectus à pluribus cauſis totalibus , & adæquatis in ſuo genere.

Objic. 2. Idem numero accidens ſpirituale poteſt eſſe in ſubjecto extenſo , ſed tunc informabit tot numero ſubjecta, quot ſunt partes diſtinctæ illius ſubjecti , ergo idem erit poſſibile cuilibet alteri accidenti etiam materiali , ergo, &c.

Reſp.neg.ant. ut patet ex quæſt.præcedenti,& præterea illæ partes non ſunt ſubiecta totalia,& adæquata , ſed partialia , licèt illud accidens ſpiritale eſſet totum in ſingulis .

Objic.3.Idem numero corpus poteſt poni divinitus in pluribus locis adæquatis, ergo & idem numero accidens in pluribus ſubjectis;non eſt enim major ratio de corpore , quàm de accidente,

Reſp.neg. conſeq. & diſparitas eſt, quia corpus non pendet à locis; ſicut accidens à ſubjectis , nec perficit loca , ſicut accidens perficit ſubjecta .

Inſt .1. Poſſet Deus ſupplere concurſum ſubjecti : ſed tuncaccidens illud non dependeret à ſubjectis , ergo ratio diſparitatis ceſſaret , ergo tunc id non repugnaret.

Reſpondeo diſt. maj. Concurſum actualem ſubjecti , & dependentiam actualem formæ, ſeu accidentis, conc. maj. aptitudinalem , & radicalem ; neg. maj. & conſeq. Quia ſemper illud accidens haberet dependentiam aptitudinalem ad illa ſubjecta , & radicalem ; & ſic tam poſſet actualiter , quàm aptitudinaliter dependere ; ſi enim repugnant actus ſecundi , ita & aptitudines , quæ ſunt actus primi .

Inſt. 2. Eadem numero materia poteſt informari pluribus formis , non ſolùm ſucceſſivè , ſed etiam ſimul , & id non repugnat , ergo nec repugnat , plures formas informare eandem materiam . Probatur conſeq. Quia non majoris eſt perfectionis in forma , quòd poſſit perficere infinitas materias , quàm in materia , quòd poſſit perfici ab infinitis formis .

Reſpondeo neg.conſeq.& parit. Quia , quòd materia poſſit perfici à pluribus formis , id potiùs dicit

potentialitatem, & perfectibilitatem, & per conſequens imperfectionem, in forma verò dicit perfectionem, quam communicare poteſt materiis pluribus totalibus, & ita eſt cum proportione de formis accidentalibus.

Inſt. 3. Virtus activa formæ dicit etiam imperfectionem, ergo nulla ſolutio. Prob.ſubſ. Nam dicit incompletionem; ideò enim poteſt informare, quia eſt incompleta, & pars compoſiti, & id à fortiori verum eſt de accidentibus.

Reſp. neg. conſeq. Quia, licèt non ſit perfectio in forma, quòd ſit ens incompletum, & pars compoſiti; tamen informare, & actuare, ſeu perficere eſt ſimpliciter perfectio in ſuo genere, & illa incompletio ſe habet per accidens, ut docet Scotus. [1]

CONCLUSIO II.

Plura accidentia ſolo numero diſtincta poſſunt ſubjectari in eadem numero ſubſtantia, ſeu ſubjecto, etiam naturaliter. Eſt Doctoris [2] cum ſuis contra Thomiſtas, quia in eorum ſententia accidentia individuantur per ſubjectum, & ideò quandiu ſubjectum eſt idem, accidentia etiam ſunt numericè eadem.

Prob.1. Quia, ſi hoc repugnaret, etiam naturaliter, id eſſet vel ex principio individuationis eorum, vel ex incapacitate ſubjecti: ſed neutrum dici poteſt, ergo non repugnat, &c. Prob.min. quoad 1. p. Nam accidentia ſe ipſis individuantur, ut ſuppono ex dictis de principio individuationis, ergo ex eo capite non venit repugnantia; nam ſi in eodem ligno reperitur gravitas, durities, ſiccitas, calor, &c. & ea omnia diſtinguuntur numero æquè, ac ſpecie, ergo multiplicitas numerica non repugnat in unitate ſubjecti. Probatur etiam quoad 2. p. Quia ſubjectum non magis limitatur reſpectu plurium accidentium ſolo numero diſtinctorum, quàm plurium diſtinctorum ſpecie, ſed lignum idem, verbi gratia, non eſt incapax plurium accidentium ſpecie diſtinctorum; ut patet ex dictis, & experientia, ergo neque plurium ſolo numero diſtinctorum. Prob. maj. Nam, ut dixi, illa plura di-

[1] *in* 1.*d*.8,*q*.4.*X*. [2] *in* 3. *d*.8. *q.unic*. §. *contra iſtam rationem*, *&* *l*.5. *metaph*. *q*.7.

Digitized by Google

diſtinguuntur numero æquè, ac ſpecie.

Prob. 2. ex eod. Doct. [1] Quia de facto plura accidētia ſolo numero diſtincta reperiuntur in eodem ſubjecto, v.g. plures ſpecies phantaſticæ in organo phantaſiæ; plures ſpecies viſibiles in oculo, & eadem parte medii, plures paternitates in eodem homine habente plures filios, plures ſpecies intentionales in intellectu, & memoria, &c.

Objic. 1. Subjectum eſt de ſe impotens ad recipienda duo accidentia ejuſdem ſpeciei, & ſolo numero diſtincta, ita ut nulla potentia poſſit reddere illud potens, ergo duo accidentia ſolo numero diſtincta non poſſunt recipi ſimul in eodem ſubjecto, ne divinitùs quidem. Prob. ant. Si eſſet de ſe potens, id fieret aliquandò, & naturaliter, alioqui potentia illa eſſet fruſtra: ſed hoc nunquam fit, ergo, &c.

Reſp. 1. neg. ant. quoad 2. p. Quia multa ſuperant potentiam naturalem rerum, quæ tamen ſuppleri poſſunt per potentiam obedientialem creaturæ ad Dei potentiam abſolutam. Unde, licèt ſubjectum naturaliter, & de ſe eſſet impotens ad plura accidentia numero diſtincta, non tamen eſſet impotens ad illa ſupernaturaliter, & de abſoluta Dei potentia, ut ſuppono ex dicendis in Phyſica.

Reſp. 2. neg. abſolutè ant. & min. probationis. Nam id de facto contingit, & naturaliſſimè, ut conſtat exemplis allatis de ſpeciebus, & relationibus, quod nollem dicere de omnibus omninò accidentibus, ſed ſufficit de aliquibus, ut ſalvetur veritas concluſionis.

Inſt. Si poſſent pl a, poſſent & infinita: ſed hoc implicat, ergo, &c. Prob. ſeq. Nam eadem eſt ratio, quam nos adduximus pro concluſione præcedenti.

Reſp. 1. neg. ſeq. maj. Nam, ſicut non ſequitur ex adverſariorum ſententia, quòd poſſint recipi infinita ſpecie diſtincta, quia poſſunt plura, ita eſt de pluribus numero ſolo diſtinctis.

Reſp. 2. d. eandem ſeq. Infinita ſyncategorematicè, conc. ſeq. categorematicè, neg. ſeq. quia illa infinitas non eſt poſſibilis.

[1] *in 4. cit.*

Digitized by Google

Reſp. 3. denique conceſſa maj. negando min. in ſenſu, quo poteſt admitti talis infinitas, quia inde non colligetur infinita perfectio, ſeu infinitas intenſiva ſubjecti, ſed ad ſummum extenſiva, quæ non involvit perfectionem, ſed potiùs imperfectionem, ſc. infinitam perfectibilitatem.

Objic. 2. fundamentum Thomiſtarum, quòd repugnat illa multiplicitas numerica accidentium in eodem ſubjecto, ergo, &c. Prob. ant. Accidentia enim non multiplicantur numero, niſi per ſubjecta, à quibus individuantur.

Reſp. neg. ant. utriuſque argumenti, de quo egimus ſuo loco, ſc. de principio individuationis.

Dixi autem in præcedenti concluſione, id probabile eſſe ex Scoto, quia, quantum ex rationum momentis judico, contraria ſententia non caret etiam ſua probabilitate, & hanc defendit Poncius contra Maſtrium, [1] ut diximus.

De eductione, vel productione formarum accidentalium agemus in Phyſica.

DISPUTATIO IX.

De Quantitate.

QUantitas eſt inter omnia accidentia primum, [2] immediatè inhæret ſubſtantiæ, & præcipuè materiæ, quæ prima eſt in omnibus entibus ſubſtantialibus corporeis; ideò de illa egit Ariſtoteles ſtatim poſt tractatum de ſubſtantia; nos eandem viam ſub tali duce tenemus.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Quantitas.

QUantitas alia eſt virtutis, ſecundum quam res aliqua dicitur magis, aut minùs perfecta, & pertinet ad qualitatem potiùs, quàm ad quantitatem, & reperitur, ſeu dici poteſt de Deo, qui eſt in-

[1] *Maſt. cit. a. n. 264. Ponc. cit. a. n. 30. & in Met. n. 970.* [2] *Scot. in 2. d. 3. q. 4. init.*

Digitized by Google

infini tè perfectus æquè, ac de creaturis, quæ ſunt inæquales in perfectione. Alia *molis*, quæ ſolis rebus materialibus convenit, & ratione cujus una dicitur major, ſeu extenſior alia, & de hac ſola hìc agimus, & quærimus ejus definitionem.

CONCLUSIO.

QUantitas deſcribitur à Philoſopho, *accidens per ſe diviſibile in ea, quæ inſunt, quorum utrumque, vel unumquodque unum quid, & hoc aliquid aptum eſt eſſe*. Hanc refert Scotus, & approbat, & explicat. [1]

Prob. Quia eſt ſecundum leges bonæ definitionis; explicat enim naturam iſtius accidentis, abſque defectu, & ſuperfluitate per verum genus, & veram differentiam. Percurramus ſingulas particulas.

Dicitur *Accidens*, & ponitur loco generis, quia per id convenit cum aliis octo prædicamentis. 2. *diviſibile*, & per hoc differt ab accidentibus indiviſibilibus. 3. *in ea, quæ inſunt*, id eſt in partes, ex quibus actualiter componitur, & per hoc diſtinguitur ab univerſalibus, quæ dividuntur in partes ſubjectivas, quas non continent, niſi potentia, ut color in albedinem, & nigredinem, &c. 4. *quorum utrumque* (ſi ſint tantum duæ partes) vel *unumquodque* (ſi ſint plures) eſt aliquid completum, & *hoc aliquid*, id eſt ſingulare exiſtens extra alteram partem, & per hoc diſtinguitur à toto compoſito tàm Metaphyſico, quàm Phyſico, quia partes compoſiti Metaphyſici inſunt quidem, ſed realiter identificatæ inter ſe, & partes eſſentiales compoſiti Phyſici non ſunt extra ſe invicem, ſed intra: forma ſiquidem eſt in materia, & non ſunt *hoc aliquid*.

Objic. 1. Illa definitio convenit etiam aliquibus qualitatibus, ergo non eſt bona. Prob. ant. Calor, v. g. eſt diviſibilis in partes, ſeu gradus; qui *inſunt*, & quorum ſinguli ſunt *hoc aliquid*, ergo, &c.

Reſpondeo neg. ant. utriuſque argumenti. Gradus enim caloris, & ſimilium qualitatum non ſunt extra ſe

[1] *L.5.Met.c.7.c.12.n.100.* & *q.17.pr.par. quantum eſt, n.3.*

invicem, nec extenſionem habent, niſi per quantitatem, & idem eſt de ſubſtantia, quæ, ut dicemus, habet quidem partes entitativas, ſed non extra ſe invicem, ita ut ſine quantitate poſſint à ſe invicem ſeparari per interpoſitionem alterius corporis.

Objic. 2. Cœlum eſt quantum, & tamen non poteſt dividi, ergo mala definitio: quia non convenit omni quantitati.

Reſp. anteced. eſſe falſum ex alterutra parte: nam vel cœlum non eſt quantum ea quantitate, quam hìc deſcribimus; vel eſt diviſibile ſaltem divinitus.

QUÆSTIO II.

De ratione formali quantitatis, in quo conſiſtat.

EX allata deſcriptione quãtitatis, natura ejus videtur explicata quantum ad diviſibilitatem in partes, ex quibus componitur, ſed videtur dubitari, an illa diviſibilitas ſit vera ratio eſſentialis ejus. Quidam enim cenſent, rationem formalem ejus conſiſtere in ratione menſuræ. Eſt autem menſura id, quo quantitas rei cognoſcitur; ſeu quanta ſit extenſio rei extenſæ, & capitur vel activè pro ratione, ſecundum quam poſſumus menſurare extenſionem rei, vel *paſſivè*, pro ratione, ſecundum quam rei extenſio poteſt menſurari, & hoc utrumque, vel *actualiter*, vel *aptitudinaliter*, vel *radicaliter*. Alii ponunt eam rationem formalem in diviſibilitate ſimili, & hoc in *paſſiva*, aut *activa*, atque iterum *actuali*, *aptitudinali*, aut *radicali*. Alii in extenſione partium, ratione cujus partes ponuntur extra ſe invicem, & hæc duplex eſt, una in ordine ad ſe, & eſt *intrinſeca*, altera *extrinſeca*, & in ordine ad locum; examinabimus ſingulas opiniones, ut ſeligamus veriorem.

CONCLUSIO I.

R*Atio formalis quantitatis non conſiſtit in menſura paſſiva, vel activa*. Ita communiter contra paucos. Eſt Doctoris, [1] *quia*, inquit, *ratio menſuræ non ineſt æqualiter ſpeciebus ejus*. Ratio autem gene-

[1] *De prædicam. q.* 17. *n.* 3. & 4.

Digitized by Google

generis æqualiter reperitur in omnibus ſpeciebus.

Prob. Quia per accidens eſt, quòd quantitas menſuretur, aut menſuret, ergo ratio formalis quantitatis non conſiſtit in menſura: menſurabilitas ad ſummum poſſet eſſe proprietas ejus, ut de aliis aptitudinibus jam ſæpè diximus; ſupponunt enim ſemper aliquid abſolutum, & prius in rebus, à quo fluunt, & illud prius erit ratio conſtitutiva earum.

Fortè poſſet poni in menſura radicali, ſed adhuc id non ſufficit, & probatur: nam ſubſtantia poſſet menſurare aliam ſubſtantiam independenter à quantitate, & menſurari per aliam ſimiliter ſubſtantiam, ergo ſubſtantia habet radicalem rationem menſuræ æquè, ac quantitas. Prob. ant. Quia ſubſtantia habet partes extenſas in ordine ad locum: ſed hoc ſufficit ad rationem menſuræ etiam radicalis, ergo, &c. Probatur min. Angelus poſſet ſumere ſubſtantiam habentem tres palmos, & eam applicare alteri ſubſtantiæ, aut etiam quantitati, & per eam cognoſcere longitudinem, aut latitudinem, vel profunditatem ejus, ergo, &c. Quòd autem ſubſtantia habeat partes, probabimus infrà.

Objic. Ariſtotelem multis in locis dicentem, quantitatem eſſe menſuram, ergo ratio quantitatis conſiſtit in menſura.

Reſpondeo neg. conſeq. Nec enim inde ſequitur, quòd Ariſtoteles voluerit, rationem menſuræ eſſe rationem conſtitutivam eſſentiæ quantitatis: [1] non negamus id, quo per ſe eſt menſura, eſſe quantitatem, ſed quòd illa *ratio non eſt eſſentialiter ratio quantitatis*, inquit Scotus.

Inſt. Ex menſuratione, aut menſurabilitate cognoſcimus rem eſſe quantam, ergo quantitas conſiſtit in illa.

Reſp. neg. conſeq. Nam ſufficeret ad hoc, quòd menſurabilitas eſſet proprietas ejus, ſicut ex riſibilitate cognoſcitur homo.

CONCLUSIO II.

Diviſibilitas in partes integrantes non eſt ratio formalis, ſeu eſſentialis conſtitutiva quantitatis: imò nec proprietas ejus quarto modo, benè verò aptitudinalis.

[1] *ibid. n.* 5.

dinalis,naturalis,& ſenſibilis: videtur contra Scotum dicentem ,[1] quòd *partibile eſt de eſſentia quantitatis* : ſed revera non eſt ; loquitur fortè de partibilitate radicali, non de actuali, vel aptitudinali : nam alibi ſæpè docet [2] quòd *diviſibilitas eſt paſſio naturalis ejus , & ex conſequenti ejus dicitur de naturali , cujus eſt hæc paſſio* . . . . concedo , quòd *diviſibilitas ſit prima paſſio quanti , & non de eſſentia ejus ... Diviſibilitas eſt proprium quantitatis , non de eſſentia , &c.*

Prob. 1. pars . Quia illa diviſibilitas convenit etiam ſubſtantiæ ,[3] ergo non eſt ne proprietas quidem quantitatis . Conſeq. eſt clara . Nam proprietas quarto modo convenit ſoli , & ſemper , & dicitur convertibiliter de natura,cujus eſt proprietas , & , ſi illa diviſibilitas non eſt ne proprietas quidem quantitatis, multò minùs erit differentia ejus eſſentialis conſtitutiva . Prob. autem antec. Quia , ſi Deus ſepararet quantitatem à ſubſtantia corporis humani, adhuc caput diſtingueretur à manu, & pede,& partes illæ poſſent ſeparari à ſe invicem : & ita eſt de aliis ſubſtantiis materialibus , ergo diviſibilitas in partes integrales non eſt nec ratio formalis , nec proprietas quantitatis.

Prob. 2 pars. Quia certum eſt , quòd diviſibilitas naturalis ſenſibilis nō convenit ulli rei,niſi per quantitatem , ergo eſt illius proprietas , non verò ratio formalis conſtitutiva , quia quantitas eſt accidens abſolutum , & illa aptitudo eſt quid relativum , nullum autem abſolutum poteſt eſſentialiter conſtitui per relativum , ut ſæpe dictum eſt .

Diximus etiam , hujuſmodi aptitudines ſupponere aliquid prius in rebus , ex quo fluant, tanquam à radice , & illud, quod prius eſt in rebus , conſtituit eas. Ideò dici poteſt, quòd radix , ex qua fluit illa diviſibilitas naturalis , ſeu ſenſibilis , erit ratio eſſentialis conſtitutiva Quantitatis.

Objic. 1. Scotum loco cit. qui videtur docere , illam diviſibilitatem eſſe de eſſentia quantitatis .

Reſp. ut jam notavi , Scotum intelligendum eſſe de diviſibilitate radicali, non de formali,vel aptitudinali,

[1] q.14. *præd.n.3.* [2] 5. *Met. q.9. n. 5. & in d.2.q.9. E.* [3] *Scotus ibid.*

Digitized by Google

dinali, quam toties dixit eſſe ſolùm proprietatem, ſeu paſſionem ejus.

Objic. 2. Illud eſt de ratione formali conſtitutiva quantitatis, per quod definitur: ſed illa definitur per diviſibilitatem, ergo, &c. Major eſt certa. Nam bona definitio datur per genus, & differentiam. Min. etiam patet ex allata definitione.

Reſp. diſt. min. Per diviſibilitatem radicalem, conc. min. per diviſibilitatem formalem, vel aptitudinalem, neg. min. & conſeq. Definitio enim allata debet intelligi de radicali diviſibilitate.

CONCLUSIO III.

Extendere partes ſubſtantiæ non eſt effectus formalis Quantitatis. Ita communiter.

Prob. Quia id dici non poteſt, nec de extenſione actuali, nec de aptitudinali, ergo extendere partes ſubſtantiæ non eſt ratio formalis Quantitatis. Prob. ant. de actuali. Nam cùm Deus conſervat quantitatem extra ſubſtantiam, ut fit in Euchariſtia, illa non extendit partes ſubſtantiæ, ergo illa extenſio non eſt ratio, ſeu effectus formalis quantitatis; nihil enim poteſt ſeparari à ſuo effectu formali. Prob. etiam de aptitudinali ex dictis in concluſione præcedenti, & alibi ſæpè. Et prætereà ſubſtantia de ſe habet partes extenſas antecedenter ad quantitatem, licèt non impenetrabiliter, ut mox patebit.

CONCLUSIO IV.

Habere partes extra partes non eſt ratio formalis eſſentialiter conſtitutiva quantitatis. Eſt Doctoris dicentis, quòd materia *partes ſubſtantiales habet; illas enim non habet per quantitatem.* Eſt etiam Scotiſtarum, & aliorum, quam ut melius percipias.

Suppono *extreitatem*, ſeu *extenſionem partium*, ſeu *habere partes extra partes* (hæc omnia idem ſignificant) duplicem eſſe. 1. *in ordine ad ſe*, ſeu ad totum, & eſt diſtinctio, & ordinatio partium inter ſe. 2. *in ordine ad locum*, ut ſcilicet una correſpondeat uni parti loci, & altera alteri.

Rur-

Digitized by Google

Rursùs prima illa extenſio dupliciter poteſt concipi, 1. ſicut ſignificet tantùm pluralitatem partium in toto, & diſtinctionem entitativam unius ab alia abſque ullo ordine, ut extenſio partium aquæ. 2. ut præter hanc diſtinctionem, dicat etiam ordinem unionis earum inter ſe, ita ut non omnes æquè immediatè, & permixtim uniantur, ſed ſervato ordine, quem exigit totum integrale, & ſic ſint aliæ extremæ, & aliæ mediæ, nulla tamen habita ratione loci.

Item extenſio *localis* alia eſt actualis, qua ſingulis partibus rei correſpondent ſingulæ partes loci; & alia *aptitudinalis*, per quam licèt omnes partes ſint in eodem ſpatio compenetratæ, atque confuſę, petunt tamen eſſe extra ſe invicem & localiter: concluſio procedit de extenſione tam in ordine ad ſe, quàm in ordine ad locum. His poſitis

Prob. 1. Quia ſubſtantia materialis ex ſe habet hujuſmodi partes, & extenſionem, ſeu extreitatem, ergo non habet à quantitate, ergo ratio quantitatis non conſiſtit in illa extenſione. Prob. ant. in quo tota eſt difficultas. 1. Subſtantia hominis de ſe includit partes capitis, manus, pedis, quæ ſunt naturaliter extra ſe invicem, & id exigit illa ſubſtantia, ergo ſubſtantia ex ſe habet illam extenſionem. Prob. ant. Nam ſubſtantia hominis exigit connaturaliter caput non eſſe immediatè unitum pedi, ergo de ſe includit, illas partes eſſe extra ſe invicem.

Dices, id quidem exigere, ſed per quantitatem, per quam una pars ponitur extra aliam.

Contra. Quia priùs competit ſubſtantiæ habere partes ſubſtantiales extra partes, & tali modo inter ſe unitas, quàm exigat habere quantitatem, ergo nulla eſt replica. Prob. ant. Subſtantia illa priùs conſtituitur in ratione talis ſubſtantiæ materialis, quàm reſpiciat quantitatem: ſed de ratione ſubſtantiæ materialis, verbi gratia, corporis humani, eſt, quòd habeat partes inter ſe tali ordine unitas inter ſe: per hoc enim diſtinguitur à ſubſtantia ſpirituali, & à corpore bruti, & aliis ſubſtantiis materialibus tam heterogeneis, quàm homogeneis, quarum aliquæ majorem, aliæ minorem exigunt quantitatem, ut elephas, & formica; aliæ ſunt indifferen-

Digitized by Google

ferentes quoad ordinem unionis, ut partes ſubſtantiales aquæ, ergo ſubſtantia materialis prius de ſe exigit illam extenſionem ſuarum partium entitativarum, quàm quantitatem.

Prob. 2. primum illud antecedens, ſc. quòd ſubſtantia habeat ex ſe partes. Quia ſubſtantia, manus, v. g. diſtinguitur ſubſtantialiter, & independenter à quantitate à ſubſtantia pedis, & ſubſtantia unius partis aquæ ſic diſtinguitur ab alia, ut poſſit exiſtere ſine illa, & hoc independenter à quantitate, ergo ſubſtantia de ſe habet partes diſtinctas, & ordinatas independenter à quantitate.

Dices, habere quidem partes illas diſtinctas, ſed non ordinatas inter ſe, qualiter exiſtunt, niſi per quantitatem.

Contra 1. Quia hoc gratis aſſeritur. 2. Quia quantitas eſt ubique ejuſdem rationis, ergo, quantum eſt de ſe, indifferens eſt, quòd oculus uniatur pedi, aut capiti: quòd pes ſit ſurſum, & caput deorſum, quod mihi eſt evidens.

Prob. 3. idem primum antecedens, & tota concluſio. Quia, ſi Deus annihilaret totam quantitatem corporis humani in inſtanti, ut poteſt, omnes partes ſubſtantiales totius corporis non confluerent à locis ſuis ad punctum, ergo illa extenſio non eſt effectus formalis quantitatis, ſed hunc habet ſubſtantia ex ſe. Prob. ant. 1. Quia id diceretur ſine fundamento. 2. Quia non poteſt aſſignari pars, aut punctum, ad quod confluerent, aut caput ad pedes, aut pedes ad caput, vel ad pectus, &c. 3. Quia daretur motus localis inſtantaneus, quod ſuppono impoſſibile propter medium, per quod partes diſtantes deberent tranſire, ergo, &c. 4. Non poteſt aſſignari cauſa talis fluxus.

Dices. Confluerent ſupernaturaliter.

Contra 1. Ergo naturaliter deberent remanere in ſua extenſione, & ſitu, non autem confluere ad punctum. 2. Deus non teneretur concurrere ad iſtud ſecundum miraculum, & ſic poſſet non accidere, & eo caſu, vel non fieret ille confluxus ad punctum, vel fieret naturaliter in inſtanti motus localis inſtantaneus, impertranſito medio.

Prob. iterum tota concluſio. Quia nulla poteſt

Digitized by Google

eſt aſſignari ratio, cur talis extenſio, & locatio veniat à quantitate potiùs, quàm à ſubſtantia materiali, imò nec cur ſubſtantia partes accipiat à quantitate potiùs, quàm quantitas à ſubſtantia, ergo non debet dici ſubſtantiam accipere extenſionem, etiam localem à quantitate.

Dices, quòd ex myſterio Euchariſtiæ patet, quantitatem habere talem extenſionem, & tamen abeſt ſubſtantia panis, ergo ſignum eſt, illam extenſionem non venire à ſubſtantia panis in quantitatem, ſed à quantitate in ſubſtantiam panis: ſed

Contra. Nam, ſi Deus conſervaret ſubſtantiam aquæ ſine quantitate, illa haberet partes extenſas æquè, ac quantitas in Euchariſtia, ergo ex eo myſterio illa extenſio non magis eſt tribuenda quantitati, quàm ſubſtantię.

Objicies 1. pro Thomiſtis, quòd individuatio rerum corporearum ſumitur à materia ſignata quantitate: [1] à materia quidem, ut à principio ſubſtantiali, quæ non formaliter, ſed materialiter individuat... à quantitate autem, ut à conditione requiſita: ſed quantitas non poteſt deſignare materiam quoad diſtinctionem individuorum, quin deſignet eandem quoad diſtinctionem partium, ergo diſtinctio partium ſubſtantiæ venit à quantitate. Prob. min. Quia individua non plurificantur niſi per actualem partium diſtinctionem.

Reſpondeo 1. neg. maj. & hoc fundamentum evertimus agentes de principio individuationis.

Reſpondeo 2. inde tamen ſequi, diſtinctionem ſenſibilem individuorum, & partium deſumi à quantitate, non verò entitativam, unde certum eſt, quòd ſi deſtrueretur quantitas corporis humani, remanerent eædem partes entitativę, & eodem modo, ac ordine unitæ inter ſe, qualiter ſunt de facto ſub quantitate; non perciperentur à ſenſibus, benè verò ab Angelo, vel anima ſeparata: ergo de facto diſtinctio nec individuorum, nec partium non venit à quantitate, ſed ab ipſa ſubſtantia.

Objicies 2. pro iiſdem. Partes integrales ſubſtantiæ

[1] *Joan. à S. Tho. 1. parte Curſus philoſ. q. 16. a. 1. §. mihi 209. col. 1.*

Digitized by Google

tiæ non poſſunt eſſe extenſæ, & ordinatæ; niſi per aliquod accidens: [1]ſed illud accidens eſt quantitas, ergo ſunt extenſæ,& ordinatę per quantitatem. Maj. patet; quia debent uniri aliqua unione. Prob. min. De ratione extenſionis eſt, ut partes non uniantur inter ſe totas, ſed in parte, ſeu extremitate, alioqui unirentur penetrativè: ſed hoc non provenit ex ſubſtantia, ergo ab accidente, ergo à quantitate. Probatur min.Quia ſubſtantia non habet extremitates ex ſe; hæc enim ſunt puncta, lineæ, & ſuperficies, & illa pertinent ad quantitatem, ergo, &c.

Reſp. neg. min. primi, & ſecundi argumenti, & ant. tertii. Nam eadem, ſeu ſimili unione uniuntur partes ſubſtantiæ, ac quantitatis, & habent ſimiles, cum proportione, extremitates, qualeſcunque ſint.

Inſt. Si partes ſubſtantiæ haberent eaſdem extremitates, eſſent ex ſe impenetrabiles: ſed ſubſtantia non eſt ex ſe impenetrabilis, alioqui nullus reſtaret effectus tribuendus quantitati, ergo, &c.

Reſp.1. potiùs negandum eſſe, quantitatem diſtingui à ſubſtantia, ut multi negant, quàm concedendum ſubſtantiam non habere partes inter ſe unitas, & ordinatas.

Reſp. 2. neg. maj. Sicut enim partes quantitatis non ſunt impenetrabiles ſupernaturaliter, quamvis uniantur indiviſibilibus, ſeu punctis terminativis, ita ſubſtantia non deſinit eſſe penetrabilis naturaliter, licèt partes ejus unirentur punctis terminativis, ſeu ſubſtantialibus, & ſic reſtat quantitati ſuus effectus, ſcilicet reddere ſubſtantiam impenetrabilem.

Dico, *ſi unirentur terminativis*. Nam id non concedo, ſed puto probabilius, partes utriuſque, ſc. tam ſubſtantiæ, quàm quantitatis uniri ſe ipſis, mediante unione, quæ ſit relatio extrinſecùs adveniens, ut dicetur ſuo loco.

Objic. 3. Extenſio partium ſubſtantiæ ſine quantitate eſt ſuperflua, ergo rejicienda. Prob.ant.Si eſſet neceſſaria, maximè ut poſſet recipere quantitatem, quæ

[1] *ibid.*

Digitized by Google

quæ eſt ſic extenſa : ſed hæc ratio nulla eſt, ergo, &c. Maj. ſupponitur. Prob. min. Quia ad receptionem quantitatis extenſæ ſufficit extenſibilitas ſubſtantiæ, ideſt aptitudo ad recipiendum extenſionem actualem, ſeu formalem, quæ eſt effectus formalis quantitatis, ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & min. probat. Nec enim quantitas extenſa recipi poteſt, niſi in ſubjecto entitativè extenſo.

Inſt. Si ſubſtantia deberet eſſe extenſa ad recipiendam quantitatem extenſam, ſequeretur, quòd *ubi* circumſcriptivum requireret in ſuo ſubjecto aliud *ubi* circumſcriptivum entitativum, ſed falſum conſequens, ergo & ant.

Reſp. neg. ſeq. Nam ad recipiendum accidens non prærequiritur aliud accidens ſimile in ſubjecto, ſed ſufficit, ut ſubjectum ſit aptum ad illud: ut autem ſubſtantia ſit apta ad recipiendam quantitatem extenſam, debet eſſe extenſa per ſe, non verò per quidquam aliud.

Objic. 4. Subſtantia ſine quantitate non poteſt eſſe compoſita ex partibus integralibus, ergo illa compoſitio habetur per quantitatem. Prob. ant. Compoſitio partium integralium eſt accidentalis, quia non eſt ex actu, & potentia, ergo eſt per quantitatem, quæ eſt primum accidens, quod recipitur in ſubſtantia.

Reſpondeo neg. primum antec. & diſt. 2. Eſt accidentalis, id eſt non eſt eſſentialis, quæ conſtat ex actu, & potentia, ſeu ex materia, & forma ſubſtantiali, conc. antec. id eſt, conſtat ex ſubjecto, & accidente; neg. ant. & conſeq. Compoſitio igitur integralis ſubſtantiæ eſt ſubſtantialis, ſed non eſſentialis.

Inſt. 1. Ergo quantitas non eſt. 1. accidens in ſubſtantia: quod eſt contra omnes, Prob. conſeq. Nam illa compoſitio non fit ſine unionibus illarum partium: ſed illæ uniones ſunt accidentia, & præcedunt quantitatem, ergo quantitas non erit primum accidens ſubſtantiæ.

Reſp. diſt. conſeq. Non erit primum accidens relativum, conc. conſeq. abſolutum, neg. conſeq. & ſimiliter diſt. min. Illæ uniones ſunt accidentia relativa,

conc.

Digitized by Google

conc. min. abſoluta, neg. min. & conſeq. Igitur, ſi quantitas dicitur primum accidens ſubſtantiæ, id intelligitur de abſoluto: nam certum eſt, ſubſtantiam unius hominis antecedenter ad quantitatem fundare ſimilitudinem cum ſubſtantia alterius, & diſſimilitudinem cum ſubſtantia leonis, & equi, & Angeli: & in noſtra ſententia unio inter materiam, & formam eſt relatio. Quòd ſi illæ uniones eſſent accidentia abſoluta, negaremus, quantitatem eſſe primum accidens.

Objic. 5. Materia prima, remota quantitate, eſt de ſe ſimplex, ergo non habet de ſe partes componentes, & extenſas. Probatur antec. Si eſſet compoſita, eſſet compoſitione prima, vel ſecunda: ſed neutrum dici poteſt, ergo eſt ſimplex, non verò compoſita.

Prob. 1. pars maj. Nam prima compoſitio eſt ex actu, & potentia, ſeu ex materia, & forma ſubſtantiali; ſed hanc non habet materia prima, ergo, &c.

Prob. 2. p. ejuſdem maj. Nam ſecunda compoſitio eſt ex ſubjecto, & accidente: ſed hæc non convenit materiæ primæ, ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. & maj. probationis. Materia prima eſt de ſe ſimplex ſimplicitate compoſitioni eſſentiali accidentali oppoſita, ſeu ex ſubjecto, & accidente, conc. maj. compoſitioni ex partibus integralibus, n. maj. eſt enim ſic compoſita, ſicut & ipſa quantitas.

Objic. 6. Eſſe extenſum eſt eſſe ſecundum quid, ſicut & eſſe quale: ſed eſſe ſecundum quid, ſeu eſſe quale eſt ab aliquo accidente, ergo & eſſe extenſum habet ſubſtantia à quantitate, quæ eſt primum accidens ſubſtantiæ.

Reſp. 1. neg. min. Nam, ut jam dixi, extenſio venit ab unione partium, quæ unio eſt accidens relativum, non autem quantitas, ſeu accidens abſolutum.

Reſp. 2. neg. maj. Nam eſſe extenſum; id eſt, habere partes integrales entitativas, & ordinatas extra ſe invicem eſt eſſentiale ſubſtantiæ materiali, ſicut carere talibus partibus eſt eſſentiale ſubſtantiæ ſpiritali, & hoc non provenit ab aliquo acciden-

te

Digitized by Google

te præciſè: ſed prædicatur *in quid* de ipſis reſpectivè, ſicut corpus, & ſpiritus prædicantur de illis, *in quid*.

Reſp. 3. d. maj. Eſt eſſe ſecundum quid, ſeu *in quale*, id eſt, non prædicatur de materia per modum ſubſiſtentiæ, vel exiſtentiæ, tranſeat maj. id eſt, provenit à ſolo accidente, neg. maj. Provenit enim à pluralitate partium ſubſtantialium integralium; abſolutè autem loquendo, maj. eſt falſa. Nam eſſe rationale in homine, prædicatur *in quale*, & tamen eſſe rationale non eſt eſſe ſecundum quid, ut omnibus notum eſt.

CONCLUSIO IV.

R*Atio formalis conſtitutiva quantitatis conſiſtit in entitate, quæ exigit extenſionem impenetrabilem in ordine ad locum*, id eſt, in illa formalitate, ſeu entitate, ad quam ſequitur naturaliter impenetrabilitas illa, qua partes ſubſtantiæ ſe expellunt ab eodem loco. Ita Scotiſtæ magis communiter poſt Doctorem ſuum [1] contra alios etiam Scotiſtas, qui Doctoris authoritatem ſibi arrogant.

Prob. 1. ex Doctore docente, *quòd diſtincta quantitas eſt cauſa effectiva diſtinctionis Situs: nihil poteſt eſſe ratiò diſtincti ſitus, niſi quantitas diſtincta*. Hoc autem dicit, loquens de compenetratione corporum beatorum, & paulò inferiùs dicit, *quòd impoſſibilitas quanti ad quantum extendi in eodem loco, non eſt, niſi ſicut impoſſibilitas cauſæ ſine ſuo effectu naturali*, ergo, ex Scoto, Impenetrabilitas eſt effectus naturalis quantitatis, ergo entitas, ſeu ratio, per quam cauſat illum effectum, & exigit impenetrationem, erit ratio formalis conſtitutiva quantitatis. Prob. hæc poſterior conſeq. Nam ille effectus convenit ſubſtantiæ corporali ratione ſolius quantitatis, & per illam ſubſtantia quanta diſtinguitur à poſteriori ab omni alia, quæ non eſt quanta; ergo ratio, ſeu entitas cauſans naturaliter, ſeu exigens talem impenetrationem partium ſubſtantiæ, erit ratio conſtitutiva, & diſtinctiva, quantitatis. Prob. antec. Non enim venit ab ipſa ſubſtantia, nec à qualitate,

nec

[1] *in 4. d. 49. q. 16. §. alii dicunt ſub E. & §. Reſp. ſub F. n. 12. & 13. & 17. & d. 10. q. 1. M. & N. 14.*

Digitized by Google

nec ab ullo ex accidentibus relativis, ergo à ſola quantitate.

Prob. 2. Quia non poteſt aſſignari ulla alia ratio verè conſtitutiva, & diſtinctiva quantitatis, & per iſtam ſufficienter diſtinguitur ab omni alio ente, ergo, &c. Prior pars antecedentis patet ex concluſionibus ſuperioribus, ex quibus patet, omnem aliam diviſionem, & extenſionem convenire etiam ſubſtantiæ ſecundum ſe. Prob. 2. p. ejuſdem, nam, ſecluſo omni alio accidente à ſubſtantia, & poſito iſto ſolo, per quod exigit naturaliter impenetrabilitatem partium ſuarum, intelligitur habere quantitatem, & ſublato hoc ſolo, atque poſitis omnibus aliis, non intelligetur quanta, ergo, &c.

Prob. 3. Quia illa eſt ratio formalis rei, ex qua fluunt omnes proprietates, quæ illi tribuuntur: ſed omnes proprietates, quæ tribuuntur quantitati, fluunt ab illa entitate, quæ exigit impenetrabilitatem, ergo, &c. Prob. min. Prima omnium proprietatum quantitatis eſt ipſa impenetrabilitas naturalis: ſed hæc manat ab illa entitate, ex Doctore cit. & idem eſt de diviſibilitate phyſica per inſtrumentum corporeum, quia, ex eodem Scoto, illa oritur [1] *ab incompoſſibilitate reſpectu ubi ejuſdem*, ſeu ejuſdem loci, quæ incompoſſibilitas ſequitur ex eadem impenetrabilitate. Idem eſt de menſurabilitate; quia enim unum corpus habet partes extenſas impenetrabiles, poteſt ei applicari aliud, & illud menſurare, ergo proprietates omnes quantitatis fluunt à radice impenetrabilitatis.

Objic. 1. Philoſoph. dicentem, [2] quòd diviſibilitas per ſe primò competit quantitati, ergo diviſibilitas eſt ratio conſtitutiva quantitatis: quod enim primum eſt in re, prius conſtituit rem.

Reſp. diſt. ant. Diviſibilitas per inſtrumentum corporeum, conc. ant. eſt enim proprietas quantitatis; diviſibilitas intrinſeca, neg. ant. & conſeq. Nam prior illa diviſibilitas venit ab impenetrabilitate tam partium diviſi, quàm corporis, ſeu inſtrumenti dividentis, ut patet de ſerra, & ſecuri: poſterior verò diviſibilitas competit etiam ſubſtantiæ, ut patet ex dictis.

[1] *in* 4. *d*. 1. *q*. 5. *F*. *n*. 15. [2] 5. *Met*. *c*. 13.

Digitized by Google

Objic. 2. ex Scoto. Qualitas corporea à quantitate ſeparata non eſt actu diviſibilis, ſed tantùm potentia remota, ergo diviſibilitas proxima ſubſtantiæ venit à quantitate, & eſt ejus effectus. *Item poſitio, quæ eſt differentia quantitatis, neceſſariò eſt in quanto permanenti, & illa eſt, quæ dicit ordinem partium in toto,* ergo ex Scoto, [1] extenſio, ſeu poſitio partium inter ſe in ordine ad totum, non verò ratio exigens extenſionem in ordine ad totum, eſt ratio formalis conſtitutiva quantitatis.

Reſp. ad 1. d. conſeq. Diviſibilitas extrinſeca, quæ venit ex partium incompoſſibilitate, & inſtrumenti, conc. conſeq. intrinſeca, quæ venit ex multitudine partium entitativarum, & extra ſe poſitarum in ordine ad totum præcisè, neg. conſeq. iſta eſt in ſubſtantia de ſe, illa venit illi à quantitate.

Ad 2. dico eodem modo, Scotum loqui de poſitione partium, quæ importet interjacentiam aliquam, & aptitudinem ad poſitionem externam localem actualem, quæ pertinet ad aliud prædicamentum, ſc. ad *ubi*, vel *ſitum*. Certum eſt autem, quòd ad hoc requiritur connaturaliter impenetrabilitas aliqua, aptitudinalis quidem in priori illa poſitione, & actualis in ſecunda: prior illa eſt cauſa poſterioris, ut probatum eſt ex eodem Scoto, ergo, ex Scoto, poſitio illa ordinata, ſeu extenſa partium in toto, quæ eſt differentia quantitatis, importat impenetrabilitatem tanquam primariam proprietatem: alioqui non cauſaret ſecundam, quam ponit in commenſuratione locati ad locum, & quæ pertinet ad *ubi*, vel ad *ſitum*.

Inſt. ex Scoto. Sola quantitas eſt ratio eſſendi in loco commenſurativè, & circumſcriptivè; nam ſine illa corpus, ſeu ſubſtantia corporea non eſt in loco, niſi definitivè, & præſentialiter, ſicut Angelus, ergo effectus formalis ſolius quantitatis eſt eſſe in loco diviſibiliter, non verò impenetrabiliter; & id dicere debent omnes veri Scotiſtæ.

Reſp. abſolutè, neg. ant. vel diſt. Sola quantitas eſt ratio eſſendi in loco circumſcriptivè cum impenetrabilitate, conc. ant. & conſeq. diviſibiliter, & circumſcriptivè cum penetrabilitate, neg. ant. & conſeq. & ita cenſent illuſtriores Scotiſtæ tam veteres, quàm recen-

[1] *in* 4. *d*. 11. *q*. 2. *B*. *n*. *in* 4. *d*. 10. *q*. 71. *n*. 41.

Digitized by Google

centes, ut videbis apud Maſtrium.

Objicies 3. Subſtantia habet partes, quæ expellunt ſe ab eodem loco; ita eſt de albedine reſpectu nigredinis, quam expellit ab eodem loco, ergo impenetrabilitas, qua unum expellit aliud ab eodem loco, non eſt propria quantitati, nec ratio ejus conſtitutiva.

Reſp. diſt. ant. Expellunt ſe ratione quantitatis, conc. ant. per ſe, & præciſa quantitate, neg. ant. Qualitates verò ſe expellunt ratione ſubjecti ejuſdem, in quo non ſe compatiuntur, non verò ratione loci, ſaltem formaliter, ut locus eſt.

Inſt. Partes quantitatis non ſunt impenetrabiles reſpectu partium ſubſtantiæ, vel aliorum accidentium, quæ non ſe expellunt ab eodem loco, ergo ratio exigens impenetrabilitatem non conſtituit quantitatem.

Reſp. neg. conſeq. Quia impenetrabilitas quantitatis non reſpicit entia alia penetrabilia, ſeu penetrantia, ut ſunt partes ſubſtantiæ, & aliorum accidentium: ſed reſpicit partes ejuſdem quantitatis inter ſe.

Dixi autem, rationem illam conſtitutivam quantitatis exigere *impenetrabilitatem naturaliter*. Nam corpora glorioſa, & Corpus Chriſti in Euchariſtia retinent ſuam quantitatem, & tamen ſunt penetrabilia propter dotem gloriæ, quæ eſt ſupernaturalis, &, cùm non exigat illam impenetrabilitatem, niſi naturaliter, non ſequitur, quòd ſit in ſtatu violento in illis corporibus, nec in aliis, quando id Deus vult per omnipotentiam, ut contigit corpori ejuſdem Salvatoris, quando exiit ex utero virginali Matris, & ex ſepulcro.

Objic. 4. Si ſubſtantia corporea ex vi ſuæ materialitatis extraitatem partium ſuarum peteret etiam in ordine ad locum, eſſent quoque impenetrabiles naturaliter, ſed hoc eſt falſum, ergo, &c. Probatur ſeq. Non enim poſſunt eſſe extra ſe, niſi per aliquam impenetrabilitatem: ſed ſunt extra ſe naturaliter, ergo & impenetrabiles naturaliter, ergo impenetrabilitas non eſt propria Quantitatis.

Reſp. diſt. maj. Aliqualem impenetrabilitatem, quam poſſit vincere agens naturale, conc. maj. quam

Digitized by Google

non poſſit vincere agens naturale, neg. maj. & omnes conſeq. Nam talis eſt impenetrabilitas quantitatis, ut eam non poſſit vincere agens naturale, & de hac loquimur.

Objicies 5. Prius eſt quantitatem occupare, & replere locum, quàm aliud corpus expellere per radicem impenetrabilitatis, ergo id, per quod eſt occupativa, & repletivà loci, eſt prior differentia eſſentialis quantitatis, non radix impenetrabilitatis.

Reſp. diſt. ant. Eſt prior ratione univerſalitatis, quia eſt univerſalior, & convenit pluribus, etiam ſubſtantiæ, ſicut animal in homine eſt prius rationalitate, conc. ant. prioritate cauſalitatis, neg. ant. & conſeq. Igitur corpus non expellit aliud ab eodem loco præcisè, quia occupat illud: nam ſubſtantia ſive materialis, ſive ſpiritualis locum occupat; ſed expellit, quia occupat, & replet impenetrabiliter.

QUÆSTIO III.

De diſtinctione quantitatis à ſubſtantia.

NOminales, & Quidam alii putant quantitatem eſſe realiter identificatam ſubſtantiæ, ſeu omnem effectum, quem tribuimus ſubſtantię ratione quantitatis, eſſe ab ipſamet ſubſtantia, quæ habeat partes, non ſolùm entitativas, & extenſas, ſeu poſitas extra ſe invicem etiam in ordine ad locum, ſed etiam cum aliqua impenetrabilitate, hoc in præſenti quærimus.

CONCLUSIO.

QUantitas eſt accidens diſtinctum realiter à ſubſtantia, & aliis accidentibus. Ita Doctor [1] cum ſuis, & aliis etiam Thomiſtis.

Prob. 1. ex Scoto dicente, quòd communis opinio docet, *Quantitatem eſſe aliam eſſentiam abſolutam ab eſſentia ſubſtantiæ*, & quantum ad alia accidentia genus Quantitatis eſſe diſtinctum à genere qualitatis, & inde

[1] *in 4. d. 12. q. 2. §. ad quæſitum, & in 2. d. 7. q. 9. & d. 1. q. 2. n. 15. §. ad aliud.*

Digitized by Google

inde ſequitur etiam, quòd receptivum quantitatis debet eſſe de aliquo priori genere, ſc. de genere ſubſtantiæ, ergo Quantitas, & ſubſtantia diſtinguuntur.

Prob. 2. ex principiis fidei. Nam ex Concilio Trident. [1] certum eſt, quantitatem, & alia accidentia, ſeu ſpecies panis in Euchariſtia remanere ſine ſubſtantia ejuſdem panis, cujus loco ſubſtituitur ſubſtantia corporis Chriſti, ergo quantitas eſt ſeparabilis à ſua ſubſtantia, ergo diſtinguitur realiter ab illa: non enim datur ſignum evidentius diſtinctionis realis, quàm ſeparatio.

Dices, non manere ſubſtantiam panis, nec per conſequens quantitatem, ſed ubicationem ejus, quæ impedit compenetrationem accidentium.

Contra 1. Quia ubicatio eſt, vel modus ſubſtantiæ, vel relatio, non verò quid abſolutum: ſed modus non poteſt conſervari ſine ſuo modificato, nec relatio ſine ſuo fundamento, ergo nulla reſponſio.

Contra 2. Quia ſi ubicatio redderet accidentia Euchariſtica impenetrabilia, ipſamet eſſet quantitas, ergo quantitas, ſeu accidens, ex quo oritur impenetrabilitas, ſemper diſtingueretur à ſubſtantia.

Dices 2. accidentia Euchariſtica non compenetrari, quia Deus id impedit per miraculum,

Contra. Quia hoc eſt multiplicare miracula ſine neceſſitate.

Dices 3. accidentia habere propriam impenetrabilitatem, & quantitatem ſibi identificatam.

Contra 1. Quia ex communi Theologorum ſententia, tam ibi remanet quantitas panis, quàm reliqua accidentia. 2. Quia, ſi ſingula illa accidentia haberent propriam quantitatem, eſſent inter ſe impenetrabilia, & duæ hoſtiæ conſecratæ ſe ſe compenetrarent, quod falſum eſt. 3. Quia qualitates panis, ſc. color, ſapor, odor, & figura, habent impenetrabilitatem ab eodem, à quo habet eam ſubſtantia panis. 4. denique Quia, mutato colore, & odore, aut quolibet alio ex illis accidentibus, maneret eadem impenetrabilitas, ergo non venit ab illis.

[1] *ſeſſ.* 13. *Can.* 2.

Digitized by Google

Prob. 3. ratione naturali . Nam ſi quantitas , & ſubſtantia eſsent eadem realiter entitas , ſequeretur , unam quantitatem naturaliter penetrabilem eſſe cum alia : ſed falſum conſeq. ergo & ant. Prob. ſeq. Nam materia , & forma ſunt entitates , & ſubſtantiæ realiter diſtinctæ , ſed materia , & forma ſubſtantialis eſſent quantitates , & inter ſe compenetrarentur .

Prob. 4. & iterùm ex Myſterio Euchariſtiæ . Nam qualitates omnes panis remanentes in Euchariſtia habent aliquod ſubjectum commune : ſed illud ſubjectum non poteſt eſſe aliud à quantitate panis,ergo, &c. Prob. maj. Agens naturale poteſt producere aliquot alias qualitates in hoſtia conſecrata , ſeu in ſpeciebus Euchariſticis , v. g. calorem, humiditatem, &c. ſed non poſſet eas producere , niſi adeſſet aliquod ſubjectum illis omnibus commune , ergo , &c. Prob. min. Nam agens naturale nihil poteſt producere , niſi dependenter à ſubjecto, ergo calor ille debet habere ſubiectum : ſed non poteſt habere aliud, quàm quod ſubjectat alia accidentia panis , ergo , &c.

Objic. 1. Idem corpus invariatum quoad omnia poteſt occupare majus , aut minus ſpatium , ergo extenſio , ſeu quantitas , non eſt quid diſtinctum à ſubſtantia corporis . Prob. ant. experientia rarefactionis, & condenſationis : nam aqua eadem , quæ congelata non occupat medium lebetem , calefacta occupat totum , ergo , &c.

Reſp. neg. ant. Nam, ex dicendis ſuo loco , falſum eſt ullum corpus poſſe extendi ad majorem locum , niſi interveniente nova quantitate , nec coarctari ad minorem, niſi recedente quantitate aliqua ; ebullienſte aqua ſubintrant corpuſcula , & partes aeris , frigeſcente exeunt, & ſic occupat majus , aut minus ſpatium .

Objic. 2. Subſtantia de ſe , & præciſè ab omni accidente diſtincto habet omnia , quæ dicuntur illi advenire per quantitatem diſtinctam , ergo fruſtrà aſſeritur iſta. Prob. ant. Subſtantia de ſe habet partes entitativas,& extraitatem, ſeu extenſionem illam etiam in ordine ad locum , & ideò una occupat locum diſtinctum ab alia , & eſt de ſe diviſibilis , &c. ergo de-

de ſe habet omnia, quæ illi tribuuntur à quantitate.

Reſp. neg. ant. & diſt. prob. Habet pluralitatem, & extraitatem partium de ſe compoſitarum in eodem loco, & diviſibilium intentionaliter, aut per potentiam immaterialem, conc. ant. extenſionem, & extraitatem partium incompoſſibilium, ſeu impenetrabilium, & diviſibilitatem phyſicam per inſtrumentum corporeum, neg. ant. & conſeq. hæc enim habet à ſola quantitate.

Objic. 3. Non ſolùm ſubſtantia, ſed etiam omnes qualitates illi adhærentes de ſe habent partes extenſas, ergo de ſe ſunt quantæ ſine ullo ſuperaddito, vel tot erunt quantitates, quot ſunt qualitates, & accidentia diſtincta.

Reſp. neg. conſeq. Nam in ſingulis individuis datur, & ſufficit una quantitas, à qua extenduntur impenetrabiliter tam ſubſtantia tota, quàm omnes ejus qualitates. Ant. verò conceditur in ſenſu præcedentis reſponſionis.

Inſt. In ſubſtantia, & ſingulis qualitatibus reperiuntur eædem ſpecies quantitatis, quæ tribuuntur ipſi quantitati, ergo de ſe habent omnem extenſionem. Prob. ant. Singulæ habent lineam, ſuperficiem, & corpus, ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. diverſo modo à quantitate, id eſt habent partes entitativas extenſibiles, vel extenſas in longum, latum, & profundum ſine impenetrabilitate, conc. ant. eodem modo, quo habet quantitas, id eſt, cum impenetrabilitate naturali, neg. ant. utrumque, & conſeq.

Objic. 4. Si quantitas, & ſubſtantia diſtinguerentur realiter, poſſet eas Deus ſeparare: ſed hoc non poteſt, ergo non diſtinguuntur. Prob. min. Cùm Deus tolleret quantitatem ſubſtantiæ, iſta conflueret ad punctum per penetrationem ſuarum partium, vel remaneret coextenſa eidem ſpatio, quod replebat cum quantitate: ſed neutrum dici poteſt, ergo non ſunt ſeparabiles. Probatur minor. 1. Si remaneret eodem modo coextenſa, ergo extenſio etiam impenetrabilis non erat à quantitate, aut remaneret quantitas; ſi conflueret ad punctum, hoc eſſet etiam in puncto temporis; & ſic daretur motus localis inſtantaneus reſpectu partium, quæ confluerent;

Digitized by Google

daretur etiam motus in diſtans, impertranſito medio, ergo, &c.

Reſp.neg.min. & ad prob. dico, ſubſtantiam manere extenſam in eodem ſpatio, ſicut erat ante deſtructionem quantitatis, ſed non eodem modo: nam eſſet extenſa penetrabiliter cum alia ſubſtantia, & entitate, quid inde?

QUÆSTIO IV.

De diviſione, & ſpeciebus Quantitatis.

Nota, Philoſophum primò quantum dividere *in quantum per ſe*, & *quantum per accidens*: quantum *per accidens* eſt ſubſtantia, quæ redditur quanta per ipſam formalem quantitatem; quantum *per ſe* eſt ipſa formalis quantitas, qua cætera redduntur quanta. Unde oritur difficultas, quomodò quantitas poſſit prædicari de ſe ipſa in concreto dicendo: quantitas eſt quanta, cùm dici non ſoleat quòd albedo eſt album.

Ad quod dico breviter, quòd vox illa, *quantum*, vel ſignificat formaliter ipſum accidens, quod exigit extenſionem partium impenetrabilem, ſive potiùs ipſam extenſionem impenetrabilem, & hoc ſenſu non poteſt dici: *quantitas eſt quanta*, ſicut nec albedo eſt album, niſi per propoſitionem identicam: idem enim eſt, ac ſi dicatur, quantitas eſt quantitas, aut loquutio eſt valde impropria; vel ſignificat rem habentem illam extenſionem impenetrabilem, & ſic importat aliquod accidens, velut ſubjectum, & rationem ejus ſpecificam, velut formam, & ſic dici rectè poteſt: *quantitas eſt quanta*, id eſt, ens habens talem extenſionem. Eodem modo, ſi *album* ſignificaret formam diſgregativam viſus, albedo dici poſſet alba: ſed non ſolet ſic uſurpari nomen albedinis, ſed pro albedine inhærente. De his quæſtionibus de nomine parum curandum eſt.

Nota 2. quantitatem ab eodem Philoſopho dividi in *continuam*, & *diſcretam*. *Continua* eſt illa, quæ habet partes extra partes copulatas termino communi, ut quantitas aquæ, vini, panis, lapidis, &c.

Digitized by Google

&c. *diſcreta* verò eſt, cujus partes non copulantur termino communi; nec uniuntur inter ſe, ut numerus ternarius, quaternarius, &c.

3. *Rurſus* numerus alius eſt *tranſcendentalis*, qui non ſpectat ad ullum particulare prædicamentum, ſed reperitur in omnibus, ſc. in prædicamento ſubſtantiæ, qualitatis, relationis, &c. quia ſunt plures ſubſtantiæ, plures relationes, & qualitates; alius *prædicamentalis*, qui ſc. conflatur ex quantitatibus, ſeu rebus, ut affectis quantitate, & ſpectat ad hoc prædicamentum.

4. *Quantitas* dividitur in *ſucceſſivam*, & *permanentem*. Quantitas *ſucceſſiva* eſt ea, cujus partes non poſſunt exiſtere ſimul: ſed una ſuccedit alteri, ut tempus, & motus, *permanens* verò, cujus partes exiſtunt ſimul, ut quantitas chartæ, calami, ligni, &c. & hæc

5. Dividitur in *lineam*, *ſuperficiem*, & *corpus*. *Linea* eſt quantitas unius dimenſionis, ſeu longitudo ſine latitudine, & profunditate; *ſuperficies* eſt quantitas duarum dimenſionum, ſeu diviſibilis, ſeu extenſa in latitudinem, & longitudinem. *Corpus* denique (non capitur hìc pro compoſito ex materia, & forma ſubſtantiali, quod eſt corpus Phyſicum, & pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ) eſt quantitas trium dimenſionum, ſeu diviſibilis, & extenſa in longitudinem, latitudinem, & profunditatem, & pertinet ad prædicamentum quantitatis.

Quæritur ergo hìc, an quantitas ſit verum genus reſpectu illarum omnium ſpecierum, ſc. continuæ, & diſcretæ: ſucceſsivæ, & permanentis: lineæ, ſuperficiei, & corporis, ſeu an illæ omnes partes ſint verè ſpecies quantitatis prædicamentalis?

CONCLUSIO I.

Quantitas continua eſt vera ſpecies quantitatis, non autem diſcreta; probabilius eſt, eam non eſſe propriè ſpeciem quantitatis. De 1. parte nulla eſt controverſia; de 2. diſſentiunt ipſi Scotiſtæ inter ſe.

De mente autem Doctoris non conſtat in hac quæſtione. Nam in aliquibus locis videtur inclinare in

Digitized by Google

partem contrariam, maximè propter auctoritatem Ariſtotelis, dicens, *ſed in contrarium eſt Ariſtoteles*, [1]alibi verò videtur dubitare de unitate quantitatis diſcretæ, quæ tamen unitas eſt conditio neceſſaria entis prædicamentalis. Sic de oratione concludit, quæ eſt ſpecies iſtius quanti. Dicit etiam, quòd longum, & breve *dicuntur æquivocè de continuo*, *& diſcreto*; & continuo *conveniunt propriè*, diſcreto verò *tranſumptivè*. At longitudo, & brevitas ſunt proprietates quantitatis, ergo quantitas diſcreta non eſt propriè quantitas. Addit, quòd, [2] *quæ ſunt in numero, ſunt minus unum, quàm illa, quæ ſunt aggregatum per accidens*. Denique problematicus eſt circa numerum, an ſit quid unum unitate formali, an aggregationis. Recurrendum ergo ad rationes, quidquid ſit de auctoritate.

Prob. igitur 1. pars, in qua conveniunt omnes. Quia quantitas continua habet verè, & propriè partes etiam entitativè, & extenſivè impenetrabiles; ideòque corpora extendit in ordine ad Locum, & Situm, ideò abſolutè vocatur quantitas, ergo, &c.

Probatur 2. pars. Nihil ponitur in prædicamento directè, quod non ſit per ſe unum: ſed quantitas diſcreta non eſt per ſe unum, ergo non ponitur in prædicamento quantitatis. Maj. patet ex dictis. Prob. min. Nam quinque ſunt tantùm gradus unitatis ex Scoto. 1. *unitas aggregationis*, 2. *ordinis*, 3. *unitas per accidens*, 4. *compoſiti per ſe*, & 5. *ſimplicitatis*: ſed nulla ex his reperitur in quantitate diſcreta, niſi fortè 1. aut 2. vel 3. quæ non ſufficiunt pro re prædicamentali, ergo quantitas diſcreta non habet unitatem prædicamentalem, quæ eſt *unitas per ſe*. Unde continuum, & numerus non differunt, niſi ſicut unum, & multa; continuum enim eſt una quantitas: numerus verò ſunt multa continua, ergo continuum, & diſcretum non ſunt ſpecies diverſæ quantitatis, ſed differunt accidentaliter, ſicut una quantitas à multis quantitatibus.

Non eſt tamen propriè aggregatum per accidens: quia illud tale dicitur, quod eſt aggregatum ex entibus diverſorum prædicamentorum, ut *homo albus*,

[1] *Lib. de præd. q.* 16. *&* 18. *&* 4. *Met.* [2] *in* 4. *d.* 1. *q.* 2. *O. &* 18. *de præd.* §. *ad* 2. *dico in* 1. *d.* 24. *n.* 1.

Digitized by Google

bus, ſed aggregatum quantitatum, & ſpectans ad quantitatem.

Probatur 2. eadem pars, & confirmatur præcedens ratio. Quia unum, & multa opponuntur: ſed numerus eſt multa, ergo non eſt unum.

Dices, numerum eſſe multa in uno genere, ſc. in genere quantitatis continuæ, quia ſunt multæ quantitates continuæ, & unum in ratione numeri, ſeu quantitatis diſcretæ.

Contra. Nam inde ſequeretur quodvis aggregatum per accidens, v. g. acervum lapidum, habere illam unitatem, nec enim major eſt unitas inter centum lapides aggregatos, quàm inter centum oves numeratas, ergo ſicut ille acervus non ponitur in prædicamento, ita nec iſta quantitas, ſeu numerus ovium, & inde magis patet veritas concluſionis.

Prob. 3. Quia unũ per ſe accidens debet habere aliquod ſubjectum: ſed per adverſarios numerus trium lapidum eſſet unum per ſe accidens, ſcil. una per ſe quantitas, ergo deberet habere unum ſubjectum; ſed numerus non habet ſubjectum ullum, ergo non eſt una per ſe quantitas.

Dices, majorem eſſe veram de quantitate continua, non verò de diſcreta.

Contra. Quia de ratione accidentis eſt habere ſubjectum, ſed quantitas diſcreta non minus eſt accidens, quàm continua, ergo non minùs debet habeſe ſubjectum.

Dices 2. Numerum eſſe quid unum formaliter, ſc. unitate numeri, materialiter verò multa.

Contra. Ratio formalis numeri, ſeu quantitatis diſcretæ eſt negatio continuationis, ſive unionis partium, ergo & negatio unitatis: in numero ternario ſunt tres negationes, ſeu diſcretiones unionis unitatum, ergo nihil magis repugnat numero, quàm unitas, (ſaltem realis: nam de illa hìc agitur.

Objic. 5. Ariſtotelem dividentem quantitatem in continuam, & diſcretam, velut in proprias ſpecies, & illi adhæret Scotus multis in locis, ergo quantitas diſcreta, ex Ariſtotele, [1] & Scoto, eſt vera ſpecies quantitatis.

[1] *in prædic. de quantit.* 2. *l.* 5. *Met. c.* 11.

Digitized by Google

Reſp. Ariſtotelem, & Scotum enumerare modos, & ſignificata quantitatis ſecundum communem uſum: non quòd diſcreta ſit vera ſpecies quantitatis, ſed quia ſic reputatur, & Scotus, ut jam monui, potiùs inclinat in noſtram ſententiam propter vim rationum, illas enim proponit, & non reſpondet, nec impugnat illas, ut ſolet, quandò putat eas invalidas: nam, cùm quæritur, utrum quantitas ſit genus ad diſcretam, & continuam, & an oratio ſit quantitas, proponit rationes pro negativa, & nil aliud addit, niſi quòd *oppoſitum eſt Ariſtotelis*.

Objicies 2. Ratio quantitatis tam convenit diſcretæ, quàm continuæ, ergo tam diſcreta eſt vera ſpecies quantitatis, quàm continua. Prob. antec. Diſcreta habet partes extra partes impenetrabiliter, ergo, &c.

Reſpondeo neg. utrumque antec. Nam diſcreta non tam habet partes extra partes, quàm plura tota extra ſe, quia ſingulę unitates, quæ conſtant numerum, ſunt totidem unitates, & tota diſcreta.

Inſt. 1. Proprietates quantitatis, ut ſic, etiam conveniunt diſcretæ, ergo & ratio. Prob. ant. Proprietates quantitatis ſunt æqualitas, & inæqualitas, finitas, & infinitas, diviſibilitas, & indiviſibilitas: ſed hæ conveniunt numero, ſeu quantitati diſcretæ, ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. & min. probationis. Conveniunt impropriè, & per quandam proportionem, conc. ant. & min. propriè, nego ant. & min. Illæ proprietates tam dicuntur de multitudine traſcendentali, verbi gratia, de numero ſubſtantiarum, qualitatum, & relationum, æquè ac de numero quantitatum, & tamen non ponuntur in hoc prædicamento.

Inſt. 2. Arithmetica eſt ſcientia de numeris, ergo numerus eſt aliquid unum per ſe, & habet veras proprietates, quas de illo demonſtret: ſed alias non demonſtrat, quàm prædictas, ergo ſunr veræ proprietates quantitatis diſcretæ.

Reſpondeo diſt. antec. De numeris tranſcendentalibus quibuſcumque, & formaliter, concedo ant. de quantitativis in particulari, & materialiter, neg. ant. & conſeq. Nam, quæ Arithmetica dicit

dicit de numeris, tam conveniunt numeris Angelorum, hominum, entium diverſorum prædicamentorum aggregatis per accidens, quàm numeris partium quantitatis; unde perinde eſt illi ſcientiæ, quòd illius objecta materialia ſint unum per ſe, aut per accidens; ergo, ſicut adverſarii non dicunt, numerum Angelorum, vel hominum pertinere ad prædicamentum quantitatis, & eſſe unum per ſe, ita eſt de numero unitatum ipſius quantitatis.

Præterea. Etiam Arithmetica præciſè non eſt ſcientia realis, ſive enim numerus conſideretur materialiter, ſc. pro rebus, quæ numerantur, ſive formaliter, ut eſt numerus, non eſt neceſſariò quid reale, tam enim numerantur chimæræ fictitię, quàm homines realiſſimi, & licèt repugnarent omnia entia realia, non minus eſsent vera, quæcunque illa ſcientia demonſtrat de numeris. Numerus ipſe nullam aliam habet unitatem, niſi extrinſecam, & ab intellectu.

Objicies 3. Ideò numerus tranſcendentalis non eſt accidens, aut quantitas diſtincta à rebus numeratis, quia nec unitates, ex quibus coaleſcit, accidunt ſibi invicem, nec ſunt una per aliquid diſtinctum, nec unquam poſſunt eſſe ſine numero, nec una tranſire in aliam, quia quælibet res eſt ſe ipſa una, & ſe ipſis ſunt multæ: ſed non ita eſt de numero in quantitate; nam unitates quantitativæ accidunt rebus numeratis, ergo quantitas diſcreta eſt vera ſpecies quantitatis. Probatur minor. Nam una aqua in duas partes diviſa facit numerum duarum aquarum, & ſunt duæ aquæ, &, ſi uniantur iterum, amittunt dualitatem quantitativam, non verò tranſcendentalem, ergo quantitas numerica eſt accidens ſuperadditum rebus numeratis.

Reſpondeo, conceſſa maj. diſt. min. cum antec. probationis. Unitates quantitativæ accidunt de novo per aliquid negativum ſuperveniens ex diviſione, conc. min, & ant. per aliquid poſitivum ſuperveniens ex diviſione, neg.min. & ant. Nam per diviſiones unius aquæ in duas nihil cauſatur de novo, niſi negatio continuitatis, quam negationem amittunt,

cum

Digitized by Google

cùm iterum uniuntur. Unde patet, numerum illum nil addere poſitivum ſuper res numeratas; & licèt admitteremus, quòd ſuperveniat poſitivum aliquid illis unitatibus, adhuc non probaretur, quòd hic numerus eſſet aliquid per ſe unum: quod requiritur ad veram ſpeciem prædicamentalem.

Hinc colliges à fortiori, orationem non eſſe ſpeciem veræ quantitatis, quia hęc eſt ſpecies quantitatis diſcretæ, [1] ut omnes fatentur, imò plurimi ſuſtinent, numerum eſſe ſpeciem veræ quantitatis, qui id negant de oratione. Scotus verò duo aſſerit. 1. quòd oratio eſt quantitas propter nomen Ariſtotelis: quia ſyllaba menſuratur, quæ eſt brevis, vel longa. Unde colligis, Doctorem loqui ex mente Ariſtotelis potiùs, quàm ex ſua. 2. quòd oratio eſt quantitas diſcreta, quia partes ejus ad nullum terminum communem copulantur; quælibet enim ſyllaba eſt ab alia diviſa, & quòd eſſentialiter differt à numero, & à quacunque ſpecie quantitatis, non tantùm differentia materiali, ſed & formali, & ſpecifica, & illa tamen non eſt nota.

CONCLUSIO II.

Lineæ, ſuperficies, & corpus ſunt veræ ſpecies quantitatis continuæ; non autem locus, nec motus, nec tempus, aut alia quantitas ſucceſſiva. Eſt communis quoad primam partem, ſi Nominales exceperis: quoad locum Scotus [2] dicere videtur, quòd *locus non eſt ſpecies quantitatis*. Quoad quantitatem ſucceſſivam eſt magis controverſa etiam inter Scotiſtas. Scotus verò dicit, quòd ſecundum Philoſophum motus eſt per ſe in genere, *ubi*, alii ad prædicamentum paſſionis referunt.

Prob. autem 1. pars, tum ex Ariſtotele, qui tres illas ſpecies quantitatis continuæ aſſignat, tum quia ratio, & proprietates omnes veræ quantitatis ſingulis conveniunt, ergo ſunt veræ ſpecies quantitatis. Prob. ant. percurrendo per ſingulas. 1. enim habent partes extra partes cum impenetrabilitate. 2. habent diviſibilitatem. 3. æqualitatem, & inæqua-

[1] *q. 19. prædic.* [2] *q. 22. prædic. in 4. d. 10. q. 1. M. n. 14.*

qualitatem. 4. menſurabilitatem, &c. Et quidem habent diverſam extenſionem, & diviſibilitatem, ex quo arguitur, quòd ſunt diverſæ ſpecies inter ſe quantitatis, ergo, &c.

Probatur 2. pars *de ubi*, ſeu loco. Quia locus materialiter eſt tantùm ſuperficies concava corporis ambientis, [1] formaliter verò eſt relatio continentiæ activæ fundata in illa ſuperficie, & terminata ad locatum: ſed neutrum pertinet ad quantitatem, ergo, &c. Probatur antec. Nam ſuperficies eſt de genere quantitatis continuæ, & permanentis: locatio verò, ſeu ubicatio formalis eſt accidens relativum, quantitas verò eſt accidens abſolutum, ergo, &c.

Probatur 3. de quantitate ſucceſſiva, ſeu de motu, & tempore. Nam ſi eſſet aliqua vera quantitas ſucceſſiva, maximè motus, & tempus, ſed neutrum pertinet ad quantitatem, ergo nullum ſucceſſivum eſt ſpecies quantitatis. Prob. min. de motu. Quia motus nil eſt aliud, quàm acquiſitio ſucceſſiva alicujus termini: ſed illa acquiſitio non pertinet ad quantitatem, ergo motus non eſt ſpecies quantitatis. Prob. min. Quia illæ acquiſitiones ſucceſſivæ ſunt puræ relationes, & quantitas eſt accidens abſolutum, ergo, &c.

Confirmatur. Quia illæ acquiſitiones non habent ſucceſſionem ex ſe, ſed vel ex parte ſubjecti, quod habet extenſionem, vel ex parte formæ, quæ non poteſt acquiri tota ſimul, vel ex parte agentis, & virtutis ejus, qui non poteſt agere, niſi ſucceſſivè, ergo ſucceſſio illa non eſt quantitas, ſed aliud accidens.

Probatur eadem minor de tempore. [2] Quia tempus non diſtinguitur realiter à motu: & nil eſt aliud, quàm numerus, & menſura motus, ſeu duratio ejus, ergo ſi numerus, aut motus non eſt de genere quantitatis, ita nec tempus.

Objicies 1. contra 1. partem. Veræ ſpecies quantitatis diſtinguuntur per quid poſitivum; ſed linea, ſuperficies, & corpus non diſtinguuntur per quid poſitivum: ergo non ſunt diſtinctæ ſpecies quantitatis. Prob. min. Nam linea diſtinguitur à ſuperficie

[1] *q. 20. prædic.* [2] *Scotus ibid.*

Digitized by Google

ficie per carentiam latitudinis, & hæc à corpore per carentiam profunditatis, ergo diſtinguuntur per negationes.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Licèt enim eorum diſtinctio explicetur per illas negationes, ſicut brutum ab homine per irrationale, verè tamen ſingulæ ſpecies habent propriam extenſionem, quæ eſt quid poſitivum.

Objic. 2. Species diſtinctæ ſunt completæ independenter à ſe invicem, nec ſunt in potentia una ad aliam in ordine ad unum totum: ſed tales ſunt illæ tres quantitates, ergo non ſunt tres ſpecies diſtinctæ. Prob. min. Nam linea eſt incompleta reſpectu ſuperficiei, & ſuperficies reſpectu corporis, cum quo facit unum, ergo. Probatur ant. Superficies enim coaleſcit ex lineis, & corpus ex ſuperficiebus unitis.

Reſpondeo neg. min. & diſt. ant. probationis. Lineæ componunt ſuperficiem materialiter, conc. ant. formaliter, adeò ut in ſe præciſè non ſint ſufficienter completæ ad participandam totam rationem quantitatis. neg. ant. & conſeq. Licèt enim linea, & ſuperficies, & corpus conſtituant, habent tamen ſingulæ ſuam extenſionem, cum qua totam rationem, & denominationem quantitatis, ut ſic, participant, & ſeorſim quantitas de illis prædicatur.

Objicies 3. Impenetrabilitas eſt ſaltem proprietas quantitatis: ſed linea, & ſuperficies non habent impenetrabilitatem ad invicem, ergo non habent veram rationem quantitatis. Probatur min. Cùm duo corpora plana ſe ſe tangunt, ambæ ſuperficies eorum ſunt in eodem loco, ergo ſe ſe penetrant, ergo, &c. Prob. ant. Tangunt ſe indiviſibiliter, & ſe totis, ergo ſunt in eodem loco. Prob. ant. Indiviſibile non poteſt tangere aliud, niſi ſe toto, quia non habet partes, ſecundum quas tangat, & non tangat: ſed ſuperficies eſt indiviſibilis quoad profunditatem, ergo duę ſuperficies ſe tangunt ſecundum ſe totas.

Reſp. neg. min. & diſt. ant. Compenetrantur, & tangunt ſe totis, ſecundum quod ſunt indiviſibiles, conc. ant. ſecundum quod ſunt diviſibiles, neg. ant.

& conſ.

Digitized by Google

& conſ. Linea eſt indiviſibilis in latitudine, ſed eſt diviſibilis in longitudine, ſic ſuperficies eſt indiviſibilis in profunditate, ſed diviſibilis in longitudine, & latitudine; ſi tangat aliam ſuperficiem, tangit ſecundum ſe totam ſuperficialiter, & iudiviſibiliter, ſed in longitudine, & latitudine tangit diviſibiliter; & non quidem penetrantur, quia compenetratio ſupponit corpus, & partes, ſed ſunt in eodem loco ſecundum quod ſe tangunt ſuperficialiter.

Objicies contra 2. partem de loco. Proprietates quantitatis conveniunt loco, ergo eſt vera ſpecies quantitatis. Prob. ant. Habet enim rationem menſuræ, æqualitatis, diviſibilitatis, impenetrabilitatis, eſt æqualis locato, menſurat locatum, &c. unde Ariſtoteles numerat locum inter quantitates, & quidem continuas: & Scotus videtur ipſi conſentire.

Reſp. diſt. ant. Conveniunt loco materialiter ſumpto, conc. ant. formaliter, neg. ant. & conſeq. Nam, ut docet Scotus, [1] locus non eſt menſura per ſe: ſed per naturam ſui materialis, quod eſt ſuperficies, idem dicit de æqualitate, ſcilicet, quòd locus per ſe non eſt æquale alii, ſed forte materialiter ſecundum ſuperficiem continentis, idem denique de diviſibilitate.

Objic. contra 3. de motu, & tempore. Nam habent partes novo modo extenſas, ſcilicet penes diverſas moras, & ſucceſſiones: quibus partes fluant, & diverſa indiviſibilia, quibus illæ copulantur, ergo nihil deeſt illis ad rationem quantitatis. Prob. ant. Quia partes motus, & temporis non poſſunt eſſe ſimul, ergo ſunt extenſæ.

Reſp. neg. 1. ant. & diſt. 2. vel utrumque. Habent partes extenſas per accidens, & ratione alicujus extrinſeci: conc. ant. ex natura ſua intrinſeca, neg. ant. & conſeq. Nam, ut dictum eſt, illa multitudo partium ſucceſſivarum venit aut ab agente, quod non poteſt ſimul totum producere, aut à ſubjecto, quod non poteſt ſimul informari, aut à termino, qui non poteſt ſimul ęquari.

QUÆ-

[1] *q.20. 21. & 22. de præd.*

Digitized by Google

QUÆSTIO V.

De proprietatibus quantitatis.

PRima proprietas quantitatis, ex Philoſopho, eſt, *quòd non habeat contrarium*, ſaltem propriè loquendo, quatenus contraria propriè ſunt, quæ ſe expellunt ab eodem ſubjecto, ut calor, & frigus; nulla autem alia forma poſitiva ſic expellit quantitatem.

2. *Quòd non ſuſcipiat magis, aut minus intenſivè*: licèt enim quantitas poſsit plus, aut minùs extendi, non tamen intendi, aut remitti, ut qualitas, verbi gratia, frigus, & calor, unde Gigas non dicitur magis quantus, ſicut nec magis homo, quàm pigmæus; hæ duæ proprietates ſunt communes ſubſtantiæ, & quantitati.

3. Quam Philoſophus dicit maximè propriam, *eſt eſſe æquale, vel inæquale*, & hæc attenduntur penes majorem, vel minorem extenſionem impenetrabilem, non verò penes perfectionem, alioqui duæ qualitates æquè extenſæ dicuntur æquales.

4. *Eſt habere poſitionem partium in ordine ad locum aptitudinaliter*, quatenus quantitas habet aptitudinem ad locum occupandum circumſcriptivè.

5. *Eſſe menſuram*, id. aptam ad certificandum de magnitudine molis alicujus rei, & hoc intelligitur de menſura tam activa, quàm paſſiva.

6. Eſt diviſibilitas in partes integrales non ſolùm entitativas, quod etiam convenit aliquo modo ſubſtantiæ, ſed etiam impenetrabiles per interpoſitionem inſtrumenti corporei, & hæc eſt vera, & propriiſſima proprietas quantitatis.

7. Addunt alii *finitatem, & infinitatem*, ſed hæc infinitas non eſt categorematica, ſed ſyncategorematica, ut ſuo loco dicetur. Alii alias, ſed hæ ſunt præcipuæ.

Digitized by Google

DISPUTATIO X.

De qualitate.

QUalitas eſt forma abſoluta, ſicut quantitas, inquit Scotus, [1] & quidem illa nobilior, ſi multis credimus; quia ſe habet per modum actus perfectivi, & ſe tenet ex parte formæ ſubſtantialis, quantitas autem ſe habet per modum potentiæ, & ſe tenet ex parte materiæ: ſed quidquid ſit de præeminentia, ſequimur ordinem naturæ, nam, ſicut quantitas eſt prior in ſubſtantia, ideò de illa priùs diximus, & huc reſervavimus locum qualitati quoad ea, quæ ad Logicam, vel Metaphyſicam ſpectant: nam de illa redibit ſermo in Phyſicis quoad alia.

QUÆSTIO I.

An ſit, & quid ſit qualitas.

QUalitatem deſcribit Ariſtoteles, *id, ſecundum quod dicimur quales*. Sumitur aliquando latiſſimè, & ſic comprehendit omnem differentiam, ſeu formam rei, tam eſſentialem, quàm accidentalem, aut propriam: quia omnis differentia, ſeu forma prędicatur *in quale*. 2. *minùs latè* pro eo, quod prædicatur in quale accidentaliter, ſeu non eſſentialiter, & ſic complectitur tam proprium, quàm accidens. 3. *ſtrictè* pro eo, quod prædicatur in quale, ſeu quod qualificat ſubſtantiam contingenter. Sed adhuc ſub hoc reſpectu latiùs patet hoc nomen, quàm debet: nam ſic convenire poteſt novem prædicamentis de accidente. Ideò quærimus hìc rationem qualitatis, prout conſtituit ſpeciale prædicamentum ſub accidente, à reliquis diſtinctum, & non leviter laborant Philoſophi, ut aſſignent propriam ejus definitionem, & in varias abeunt opiniones; nos, quid veroſimilius appareat, dicemus breviter.

Suppono autem, dari tale prædicamentum in rerum

[1] *in* 4. *d*.12. *q*.2. *C*.

Digitized by Google

rum natura, quod eſt accidens aliquod reale abſolutum, & id ex omnium ſententia, nec in hoc ducimus immorandum.

CONCLUSIO I.

Qualitas prædicamentalis ſufficienter deſcribitur accidens abſolutum, quo ſubjectum redditur phyſicè quale. Eſt juxta Ariſtotelem [1] & Scotum, qui fatentur quidem non eſſe rigoroſam definitionem, ſed non improbat, quippe dicit eam eſſe datam per aliquid notius.

Prob. autē 1. Quia ſic explicatur natura hujus prædicamenti, prout diſtinguitur ab omnibus aliis, ergo ſic ſufficienter deſcribitur. Prob. ant. diſcurrendo per ſingulas partes deſcriptionis. Nam 1. *accidens abſolutum* ponitur loco generis, & per id convenit cum quantitate, & differt à relativis. 2. *quo ſubjectum redditur phyſicè quale*, ponitur loco differentiæ: nam per id qualitas differt tum à quantitate, quæ non facit ſubjectum *quale*, ſed *quantum*, tum ab omnibus aliis accidentibus, quæ propriè non faciunt ſubjectum tale, ſed ordinant illud ad aliud ex ratione ſua formali, & ideò non ſunt accidentia abſoluta.

Dixi autem, *deſcribi*, non *definiri*, quia hæc explicatio naturæ qualitatis eſt potiùs per effectum formalem, & per aliquid extrinſecum, quàm per differentiam eſſentialem intrinſecam: ſed hoc eſt familiare entitatibus exiguis, ac ſimplicibus, & univerſalioribus, & ideò minus notis per ſe, ut per extrinſeca, & maximè per effectus formales notificentur.

Probari etiam poſſet concluſio per examen aliarum definitionum, quas excogitarunt varii Philoſophi, quaſi exactiores, & quæ ſuos etiam patiuntur defectus, ſed qui voluerit videre, conſulat Poncium, & Maſtrium, Columbum, & alios. Noſtra vel ex hoc videtur præferenda, quòd nititur auctoritati Ariſtotelis, & Scoti, quos ſequuntur permulti alii, tam Scotiſtæ, quàm Thomiſtæ, & Neoterici.

Ob-

[1] *q. 36. præd.*

Digitized by Google

Obj c. 1. commune argumentum, quo impugnatur deſcriptio Ariſtotelis, ſc. quòd in ea committitur circulus, ergo non eſt bona. Prob. antec. Quia qualitas hìc definitur per *quale*, & *quale* per *qualitatem*, ſeu idem per ſe ipſum: ſed in his eſt circulus vitioſus, ergo, &c.

Reſp. 1. neg. ant. & min. prob. Nam, ex Scoto, abſtractum hìc definitur per concretum ſuum; quod eſt magis notum nobis, nec enim ſolemus cognoſcere abſtracta accidentalia, niſi per ſua concreta, quia per ſe, & ſine illis non ſolent exiſtere, &, quandò rursùs concreta explicantur per ordinem ad abſtracta, id fit ſub alio reſpectu, & modo, quia abſtracta ex ſe, & natura ſua ſunt notiora: ſed quoad nos minimè; non committitur autem circulus, niſi quandò aliqua explicantur per ſe invicem, eodem modo cognita.

Reſp. 2. neg. conſeq. Nam in deſcriptionibus, quæ dantur per effectus, ille circulus non eſt vitioſus, cauſa enim demonſtratur per effectum, & iſte per illam, ſecundum quod alter notior eſt.

Inſt. Concretum iſtud, *quale*, non eſt notius ſuo abſtracto, ſc. *qualitate*, ergo nulla prima reſponſio. Prob. ant. Quia certum eſt, quòd album non eſt notius, quàm albedo, ergo idem eſt de *quali*, & *qualitate*.

Reſp. neg. ant. utrumque. Cùm enim albedo nunquam naturaliter exiſtat, niſi in ſubjecto, ut diximus: nunquam in hoc ſtatu, & quoad nos illam cognoſcimus, niſi in concreto, & per concretum ſuum, dico, *quoad nos*, nam certum eſt, albedinem ex ſe eſſe notiorem, quia ſimpliciora ex ſe ſunt notiora, ut ſuppono.

Obj c. 2. Iſta deſcriptio non ſatis clarè explicat naturam qualitatis, ergo non eſt ſufficiens. Prob. ant. Qui deſcriberet quantitatem, dicens, quòd ſit accidens faciens quantum, non ſatis clarè explicaret eſſentiam quantitatis, & idem eſt de aliis omnibus prędicamentis, ergo idem eſt de qualitate.

Reſp. neg. ant. & conſeq. prob. Nam, ſi benè intelligatur illud *quale*; ſignificat effectum, qui eſt proprius ſoli qualitati, & illam diſtinguit ab omni alio accidente; nam proprius effectus formalis ejus

eſt

Digitized by Google

eſt reddere ſubjectum phyſicè formatum, & qualificatum: nec alia notio clarior expetenda eſt, ut intelligatur ejus natura in communi. Non ita eſt de quantitate, niſi aliquid addatur, ut explicetur, quid ſit eſſe *quantum*, ſeu facere *quantum*, ut patet ex dictis.

CONCLUSIO II.

Qualitas, ut ſic, eſt nobilior quantitate. [1] Eſt Doctoris cum ſuis.

Prob. 1. ex Scoto. Quia qualitas ſubjectatur in nobilioribus ſubſtantiis, quàm quantitas, v. g. in anima rationali, & Angelis, ac ſubſtantiis ſpiritualibus, ergo jam inde eſt nobilior.

Prob. 2. Quia, quod eſt principium agendi eſt nobilius eo, quod non eſt, niſi paſſivum: ſed qualitas eſt principium activum, ſeu eſt ens activum, quantitas verò paſſivum: nulla enim actio realis competit quantitati, ergo, &c.

Prob. 3. Quia ſecundum ordinem ſubſtantiarum attenditur ordo qualitatum, ita ut nobilioribus ſubſtantiis competant nobiliores qualitates: ſed hoc non attenditur in quantitate, ergo hæc eſt ignobilior. Prob. mi. Nam major quantitas ſæpè convenit ignobilioribus corporibus, ut patet de elementis, quæ ſunt grandioris molis, & maximæ quantitatis, & minimæ perfectionis.

Prob. 4. Quia per qualitatem ſubſtantiæ perfectæ conſequuntur fines ſuos, v.g. anima per intellectionem, & amorem, & lumen gloriæ, quæ ſunt qualitates, conſequitur finem ſuum ultimum, & ſic de cæteris: quantitas verò nihil ad hoc confert, ergo, &c.

Obiic. Quod dependet ab alio, eſt ignobilius: ſed qualitas dependet à quantitate, ergo eſt ignobilior quantitate. Prob. min. Nam qualitas ſubjectatur immediatè in quantitate, ergo ab ea dependet, tanquam à ſubjecto, ſaltem immediatè.

Reſp. diſt. min. Dependet tanquam à ſubjecto materiali, conc. min. tanquam ab aliquo perficiente, & actuante, neg. min. & conſeq. Nam forma ſubſtantialis

[1] *in* 4. *d.*12. *q.*2. *c.* & *n.*10.11. & .12.

lis dependet à materia, tanquam à ſubjecto, & tamen eſt nobilior illa: non omnis ergo dependentia arguit imperfectionem reſpectu ejus, à quo dependet, v. g. viſio dependet ab objecto albo, ſeu ab albedine, & tamen non eſt ignobilior albedine.

Inſt. Quantitas inquantum ſubſtat aliis accidentibus, & ipſi qualitati, magis participat de ſubſtantia, & de perſeitate, ergo, quoad hoc, eſt perfectior qualitate, ergo abſolutè loquendo eſt perfectior.

Reſp. neg. ultimam conſeq. Nam, licèt ſub aliquo reſpectu vero, aut veroſimili poſſit præferri, in aliis tamen poſtponitur: nam etiam quoad hoc, quòd ſubſtet qualitati, reperitur imperfectio, nempe potentialitas, & perfectibilitas, ut dicebamus de materia reſpectu formæ.

QUÆSTIO II.

Quotuplex ſit qualitas, ſeu quæ, & qualis ſit ejus Diviſio.

POſt Ariſtot. Scotus, & alii Peripatetici dividunt qualitatem in quatuor membra, ſeu combinationes. 1. *eſt habitus, & diſpoſitio*. 2. *eſt potentia naturalis, & impotentia*. 3. *eſt paſſio, & paſſibilis qualitas*; & 4. *forma, & figura*; quærimus, an hæc diviſio ſit bona, & adæquata, & generis in ſpecies.

CONCLUSIO I.

QUalitas *ſufficienter, & commodè dividitur in quatuor membra, ſeu capita, quæ ſunt, veluti ejus ſpecies*. [1] Eſt juxta communem ſententiam Ariſtotelis, Scoti, & aliorum.

Prob. Quia nullum eſt ex his quatuor membris, quod non ſit qualitas aliquo modo, & nulla eſt qualitas, quę non ſit reducibilis ad unum ex his quatuor, ergo illa diviſio ſufficiens eſt, & commoda. Antec. patebit ex objectionibus.

Dixi 1. *ſufficiens*, & *commoda*. Nam, ut patebit ex dicendis, poſſet fieri exactior, ut ipſemet Ariſtoteles

[1] *Scotus q. 28. & 34.*

Digitized by Google

teles ejus auctor fatetur : nam, ut docet Scotus, [1] *dici poteſt , quod non enumerantur hic omnes ſpecies qualitatis, ut Ariſtoteles dicit in litera , ſed ſpecies magis famoſæ.*

Dixi 2. *quæ ſunt veluti ſpecies qualitatis.* Ut abſtinerem ab alia difficultate: an illa membra , ſeu capita ſint verè , & propriè ſpecies qualitatis.

Objic. 1. Pulchritudo , & deformitas : item ſanitas, & ægritudo , ſunt qualitates, : ſed iſtæ non perinent ad ullam ex numeratis ſpeciebus , ergo illa diviſio non eſt adæquata.

Reſp. diſt. maj. Sunt qualitates compoſitæ, ſeu aggregatæ ex diverſis, & tam ex qualitatibus , quàm ex aliis prædicamentis , conc. maj. qualitates ſimplices , neg. maj. & conſeq. *Pulchritudo* igitur eſt aggregatum ex colore , & debita membrorum diſpoſitione , proportione , & formatione. *Deformitas* è contra naſcitur, & conſiſtit in indebita proportione, &c. Similiter *ſanitas* ex debita humorum temperie , & *ægritudo* ex eorundem intemperie. In quo etiam ſenſu poſſent reduci ad quartam ſpeciem , ut docet Scotus, [2] & ſic negari poſſet minor. Sed contra hoc

Inſt. Qualitates quartæ ſpeciei non ſuſcipiunt magis, aut minus : ſed pulchritudo, & deformitas, ſanitas, & ęgritudo ſuſcipiunt magis, & minus, ergo non ſpectant ad quartam ſpeciem. Maj. patet ex Ariſtot. Min. negari non poteſt.

Reſp. cum Doct. neg. maj. Nec enim Ariſtoteles id negavit de omnibus qualitatibus quartæ ſpeciei, ſed tantùm de aliquibus , ut ſunt qualitates Mathematicorum, quæ ſunt priores motu.

Objic. 2. Raritas, & denſitas , aſperitas , & lenitas ſunt qualitates, ſed non reducuntur ad iſtas, ergo illa diviſio non eſt ſufficiens.

Reſp. 1. negari poſſe majorem. Nec enim certum eſt, etiam ex Philoſopho, eas eſſe veras qualitates: modò enim hoc negat, modò aſſerit. Unde, ut monet Scotus, [3] *rarum , & denſum , aſperum , & lene , uno modo ſignificare extenſionem partium quantitativarum*, & hoc corpus idem compreſſum , & non compreſſum, poteſt eſſe rarum, & denſum , ut patet de lana ,

[1] *ibid.* [2] *q. 34. præd. ſeu 36. fin. ad 3. dico.*
[3] *Scotus q. 35. præd.*

Digitized by Google

lana, & ſpongia, & ſic raritas, & denſitas ſpectant ad quantitatem. Alio modo ſignificat extenſionem partium materiæ, prout rarum dicitur, quod habet parum de materia, multum de forma, & denſum è contra parum de forma, & parum de materia, & hoc ſenſu fortè dici poſſunt qualitates, & ita ſpectabunt ad ſecundam, vel tertiam, vel quartam ſpeciem, ſecundum quod explicabuntur.

Objicies 3. Actus intellectus, & voluntatis ſunt qualitates: ſed illi non reducuntur ad ullam ex his ſpeciebus, ergo, &c. Prob. min. Nec enim reduci poſſunt ad primam, vel ſecundam, quia non ſunt operativi, nec cauſativi: ſunt enim potiùs termini actionum, ſeu operationum intellectus, & voluntatis, ut ſupponitur ex dicendis in libris de anima; non ad tertiam, neque ad quartam, quia non ſunt ſenſibiles: ſed merè ſpirituales, ergo ad nullam.

Reſpondeo 1. neg. min. & primam partem prob. Licèt actus intellectus non ſit actio productiva, ſed terminus actionis, tamen eſt, velut principium *quo*, & ratio producendi aliquid, nempe habitum: dicimus enim habitum produci ex frequentatis actibus: & ſic iſti actus pertinebunt ad illam partem primæ ſpeciei, quæ dicitur *diſpoſitio*.

Reſpondeo 2. neg. min. eandem, & 2. partem probationis ejus. Nam Ariſtoteles poſuit quidem in tertia ſpecie qualitates ſenſibiles, ut famoſiores: ſed non excluſit inſenſibiles, & ſpirituales; poſſunt igitur reduci ad ſpeciem, quæ dicitur paſſio; nam recipiuntur in illis potentiis, & eas informant, & afficiunt.

Objicies 4. Gratiæ ſupernaturales, & fides, ſpes, & charitas ſunt qualitates: ſed non reducuntur ad ullas ex enumeratis, ergo illa diviſio non eſt bona. Probatur minor. Nam ſunt entitates ſupernaturales, ergo non ponuntur in hoc prędicamento.

Reſp. neg. min. & conſeq. probationis. Non enim ſupernaturalitas impedit, quominùs vera ratio qualitatis prædicamentalis conveniat illis, ut docet Scotus, loquens de charactere: naturalitas enim, & ſupernaturalitas nō ſunt conditiones, niſi cōparativè ad

agens; talis autem comparatio non variat aliquid quantum ad eſſe in genere.

Poſſet tamen, ut inſinuatum eſt, qualitas exactiùs dividi in veras, & proprias ſpecies eſſentialiter diſtinctas, v.g. ſi divideretur 1. in *Spiritualem*, & *Materialem*. 2. Spiritualis in *operationes*, & *qualitates*, & 3. tàm operationes, quàm qualitates ſubdividi in *naturales*, & *ſupernaturales:* naturales, ut ſunt operationes intellectus, & voluntatis intra *ordinem naturæ*, & actus eorundem *ex gratia*, *&* *habitibus ſupernaturalibus fidei*, *ſpei*, *&* *charitatis*, &c. 4. operationes intellectus, in *primam*, *ſecundam*, & *tertiam*, & hæc *tertia* in varias ſpecies *ſcientiarum*, *opinionum*, & *artium*, & ſimiliter de operationibus *voluntatis*. Idem eſt de qualitatibus ſpiritualibus, quæ ſunt principia actuum etiam ſpiritualium, quarum aliæ ſpectant ad *intellectum*, aliæ ad *voluntatem*, &c.

Similiter qualitas non ſpiritalis, ſed materialis, poteſt dividi in *intentionalem*, & *realem*. Qualitas *intentionalis* ea eſt, quæ ex ſe per ſe primò ordinatur ad perfectionem potentiæ materialis vitalis, ut ſpecies impreſſæ; *realis* verò ea eſt, quæ ſic non ordinatur, ut calor, color, humiditas, &c. 2. *Intentionalis materialis* ſubdividi poteſt in *cognoſcitivam*, & *appetitivam*, 3. utraque in *actus*, & *habitus*. Realis etiam ſubdividi poteſt in *primam*, & *ſecundam*: prima ſubdividitur in quatuor, quæ dicuntur *primæ qualitates*, ſecunda denique innumeras patitur diviſiones, quas longum eſſet recenſere.

QUÆSTIO III.

De habitu, & diſpoſitione.

Nomen *habitus* multipliciter dicitur apud Philoſophos, [1] & 1. pro *veſtitu*, vel pro relatione ad illud, & ſub hac ſignificatione pertinet ad ultimum prædicamentum. 2. pro *inexiſtentia formæ* oppoſita privationi, & ſic forma ſubſtantialis inexiſtens eſt habitus, & ſpectat ad prędicamentum ſubſtantiæ, aut ad aliud, ſub quo erit talis forma. 3. pro

ca

[1] *Scotus q. 36. præd. §. ad. 2. qu.*

Digitized by Google

ea qualitatis ſpecie, quæ diſponit ſubjectum ad agendum, aut patiendum, & in illo ſenſu de illo hìc agimus.

Similiter *Diſpoſitio* ſumitur 1. pro rerum ordine, & ſic res benè ordinata dicitur benè diſpoſita. 2. pro *præparatione* ad formam recipiendam, v.g. in anima, ad recipiendam gratiam, vel Sacramentum. 3. pro omni qualitate *afficiente ſubjectum*, ſive ſit de difficili, aut de facili mobilis, & ſic pertinet ad omnem qualitatem, etiam habitualem. 4. pro qualitate *faciliter mobili*, & diſponente ſubjectum ad agendum, aut patiendum. In hoc ſenſu hìc accipitur, & opponitur habitui. His poſitis ſit

CONCLUSIO I.

Prima ſpecies qualitatis eſt qualitas non ſenſibilis ſenſu externo, non innata ſubjecto, & hæc dicitur habitus, ſi ſit radicata in ſubjecto, & difficulter mobilis ex natura ſua; diſpoſitio verò, ſi ſit ex natura ſua faciliter mobilis. Eſt conformis Scoto,[1]qui ſic definit ex Ariſtotele.

Prob. 1. pars. Quia ſic rectè explicatur illa prima ſpecies qualitatis, prout diſtinguitur ab aliis tribus. Dicitur 1. *qualitas*, quod ponitur loco generis, & per id convenit cum aliis. 2. *non ſenſibilis ſenſu externo*, & per id diſtinguitur à tertia, & quarta; illæ enim ſunt ſenſibiles ſenſu externo. 3. *non innata ſubjecto*, & per id diſtinguitur à ſecunda, quæ eſt inſita ſubjecto ex natura ſua. Addunt aliqui,[2]*quod diſponat ſubjectum ad agendum*, vel *patiendum*, quod fortè verum eſt, ſed ſuperfluit, & non dicit hoc Scotus, nec Ariſtoteles, nec repugnat talis qualitas, quæ diſponat ad eſſendum, ut ſanitas, ſi ſit qualitas.

Prob. 2. pars, & 3. Quia per hoc, quod talis qualitas ſit radicata in ſubjecto, & ab eo difficulter mobilis, illa, quæ dicitur *habitus*, ſeu *habitualis*, differt ab ea, quæ dicitur *diſpoſitio*: hæc enim non ſic radicatur in ſubjecto, quin facilè ab eo amoveatur.

Objicies. Gratia ſanctificans, & charitas, fides, R 2 ſpes,

[1]*q.36. præd.* §*.ad 2.qu.* [2] *Maſtrius hìc.*

Digitized by Google

ſpes, & ſimiles virtutes infuſæ, ac dona facilè deperduntur, & tamen ſunt veri habitus, ergo hæc definitio non convenit omnibus habitibus.

Reſpondeo diſt. antec. Facilè moventur, ſeu deperduntur moraliter, conc. antec. phyſicè, nego antec. Deperduntur quidem demeritoriè per peccatum mortale, vel actum infidelitatis, & deſperationis, ſed non poſſunt deperdi phyſicè per ullam cauſam creatam, niſi ex aliquo demerito.

Objic. 2. Actus viſionis, & amoris beatifici Angelorum, & hominum beatorum ſpectant ad diſpoſitionem, & tamen non ſunt facilè mobiles, ergo nec etiam benè definitur diſpoſitio.

Reſp. neg. 1. part, ant. Nam hoc ipſo, quòd ſunt difficulter mobiles, pertinent ad habitum, quamvis ſint actus.

Inſt. Actus, quo Angelus intelligit ſe ipſum, non tantùm eſt difficulter mobilis, ſed etiam innatus, & tamen pertinet ad primam ſpeciem, ergo nec etiam rectè dicitur, quòd iſtæ qualitates debeant eſſe adventitiæ, non verò innatæ.

Reſpondeo neg. ant. & conſeq. Nam ſi cognitio ſit innata, ut ſupponitur in objectione, pertinebit ad ſecundam ſpeciem, ſcilicet ad naturalem potentiam, non verò ad primam.

CONCLUSIO II.

H*Abitus, & diſpoſitio non differunt eſſentialiter, ſed accidentaliter, & velut imperfectum, & perfectum in eadem ſpecie.* Eſt Doctoris citati cum ſuis, & aliis: dicit enim, *quòd diſpoſitio ſe habet ad habitum, ſicut imperfectum ad perfectum*, &c.

Prob. Nam in habitibus acquiſitis, verbi gratia, facilitas argumentandi, aut ſaltandi, quæ acquiritur per unum, aut paucos actus, dicitur diſpoſitio, quia levis eſt, & facilè deperditur, & ſi multiplicentur ſimiles actus, magis radicabitur in ſubjecto, & augebitur, ac perficietur, evadetque habitus, ergo habitus, & diſpoſitio non differunt eſſentialiter, ſed tantùm ſecundum magis, & minus. Prob. conſeq.

Nam

Digitized by Google

Nam per eoſdem actus acquiruntur,& in eiſdem ſubjectis, & de eiſdem objectis, unde ergo veniret differentia eſſentialis,

Confirmatur. Quia non differunt, niſi penes facilitatem, aut difficultatem mobilitatis: ſed illa facilitas, & difficultas non poſſunt cauſare præciſè differentiam eſſentialem, ergo, &c. Prob. min. Nam eadem forma poteſt ex aliquo accidente ſuperveniente eſſe modò facilè, modò difficulter mobilis, ergo facilitas, aut difficultas mobilitatis non ſufficiunt ad differentiam eſſentialem.

Objicies 1. Quod ex natura ſua petit diu conſervari in ſubjecto, differt notabiliter, ſeu ſpecificè ab eo, quod non petit conſervari, niſi brevi tempore: ſed tales ſunt qualitates, quæ dicuntur *diſpoſitio*, & *habitus*, ergo *diſpoſitio*, & *habitus* differunt ſpecie. Probatur maj. Nam appetitus naturales contrariorum arguunt naturas oppoſitas, ergo, &c.

Reſp. neg. min. Nec enim id petunt ex natura ſua, ſed per accidens, ſcil. ex majori, vel minori intenſione, & radicatione, nam *habitus* eſt qualitas intenſior, & radicatior *diſpoſitione*, & inde oritur difficilior mobilitas.

Objic. 2. Intellectio lapidis eſt *diſpoſitio*, & facilitas talis intellectionis eſt *habitus*: ſed illa intellectio, & illa facilitas diſtinguuntur ſpecie: ergo *diſpoſitio*, & *habitus* diſtinguitur ſpecie.

Reſpondeo diſt. conſeq. Aliqua particularis *diſpoſitio*, & aliquis *habitus*, conc. conſeq. *diſpoſitio*, ut ſic, & *habitus*, ut ſic, nego conſeq. Illa ergo diſtinctio oritur ex ratione particulari ſpecifica qualitatum, non ex ratione communi: nam, etiamſi illa cognitio eſſet habitus, aut illa facilitas eſſet levis, & pura diſpoſitio, adhuc diſtinguerentur eodem modo eſſentialiter, ergo diſtinctio illa venit non ex facilitate, vel difficultate, ſed aliunde, ſcilicet ex objectis, vel principiis.

Digitized by Google

QUÆSTIO IV.

De Potentia, & Impotentia.

NOmen *potentiæ* ſumitur 1. pro facultate realiter identificata naturæ ad producendum, vel recipiendum aliquid, ut voluntas, & intellectus in anima rationali, & talis potentia non eſt accidens, nec per conſequens qualitas pertinens ad hoc prædicamentum. 2. pro *facilitate*, ſeu *habilitate*, quam habet aliquis ad operandum, ſive ſit *innata*, ſive ſit *acquiſita*, & *adventitia*: ſi eſt *adventitia*, ſive *acquiſita*, eſt qualitas pertinens ad habitum, & diſpoſitionem; ſi ſit *innata*, pertinet ad hanc ſpeciem qualitatis.

Impotentia verò ſumitur vel privativè pro carentia potentiæ ad agendum, vel reſiſtendum, & hæc non eſt qualitas, ſed carentia qualitatis, vel poſitivè, ſcil. pro debili potentia ad agendum, aut qualitate retardante, vel impediente actionem, ut lippitudo in oculis, ſeu prava affectio impediens, vel debilitans organum viſus.

CONCLUSIO I.

QUalitas ſecundæ ſpeciei eſt qualitas inſenſibilis innata, inclinans, & perficiens ad agendum, vel reſiſtendum, quæ ſi ſit fortis, dicitur potentia, ſi verò debilis, aut retardans, dicitur impotentia. Eſt conformis Scoto [1] docenti, potentiam, & impotentiam diſtingui ab aliis qualitatibus in hoc, *quod eſt eſſe innatum, & eſſe principium operandi*.

Prob. autem. Quia ſic explicatur natura talis qualitatis, ſecundum quod convenit, & differt ab aliis. Convenit in ratione *qualitatis*, quæ ponitur loco generis, differt autem ab habitu, & diſpoſitione per hoc, quod dicitur *innata*, & ab aliis duabus ſpeciebus per hoc, quod dicitur *perficiens*, ſeu *facilitans* ad operandum, vel reſiſtendum, ergo deſcriptio ſufficiens eſt.

Quantum verò ad explicationem potentiæ, & impo-

[1] q. 36. *præd.* §. *ad aliam quæſtionem*.

Digitized by Google

potentiæ,nihil videtur addendum: eſt enim communis acceptio talium vocum, ſc. ut per *potentiam* intelligatur qualitas innata rei multùm facilitans ad operandum, vel reſiſtendum: impotentia verò parum facilitans, ſive etiam retardans

Notandum 1. Quòd cùm dicitur *qualitas innata*, ſupponitur ſemper, quòd ſit nihilominus diſtincta realiter à natura: & per hoc differt à facultate, ut jam monui.

Notandum 2. Huc ſpectare omnes, & ſolas qualitates per ſe primò ordinatas ad operandum, aut reſiſtendum, & quidem innatas; unde impulſus impreſſus lapidi, verbi gratia, non pertinet ad hoc genus qualitatis, quia non eſt innatus, ſed adventitius ab extrinſeco.

CONCLUSIO II.

Potentia, & impotentia diſtinguuntur accidentaliter ſolùm, ſive inter ſe, ſive ab habitu. Eſt Doctoris dicentis, quòd *potentia, & impotentia non ſignificant ſpecies qualitatis, ſed modos eſſentiæ per comparationem ad operationem*, [1] & quòd *impotentia non eſt ſpecies qualitatis.*

Prob. autem 1. pars ex eod. [2] Quia *potentia*, & *impotentia* in hoc conveniunt, quod eſt eſſe innatum, & principium operandi; differunt ergo tantùm quoad majorem, vel minorem habilitatem ad operandum, vel reſiſtendum: ſed hæc differentia non eſt eſſentialis, ergo inter ſe non differunt, niſi accidentaliter.

Confirm. Quia eadem facultas viſiva, quæ in ſuo vigore dicitur potentia, in ſenectute,& jam debilitata dicitur *impotentia*. Similiter difficultas incedendi,vel loquendi in puero dicitur *impotentia*, & hæc evadit *potentia*, dum adoleſcit, ergo *potentia*, & *impotentia* non differunt eſſentialiter.

Prob. 2. pars. Quia tota differentia inter potentiam, & habitum eſt, quòd illa eſt innata,iſte adventitius: ſed hoc non facit diſtinctionem eſſentialem, ergo non differunt eſſentialiter.

Prob. min. Quia calor in igne non differt eſſentia-
R 4 liter

[1] *ibid. ad argum.* [2] *ibid.*

liter à calore in aqua; ſed in igne eſt innatus, & in aqua eſt adventitius, ergo eſſe innatum, & adventitium non ſufficit ad diſtinctionem eſſentialem.

Non nego tamen, quin aliquis *habitus* poſſit differre eſſentialiter ab aliqua *potentia*, & aliqua etiam potentia naturalis ab aliqua *impotentia*, ſed id non veniet ex ratione generali habitus, vel potentiæ, vel impotentiæ.

QUÆSTIO V.

De Paſſione, & Paſſibili qualitate.

PAſſio hìc non ſignificat proprietatem rei, quia hæc vagatur per omnia prædicamenta, quæ habent ſuas proprietates, ſeu paſſiones, nec 2. oppoſitum actioni, per quam ponitur in ſubjecto producto, quia hic habet proprium prædicamentum *paſſionis:* nec 3. *affectiones animæ*, quæ dicuntur *paſſiones*, [1] ut amor, odium, ira, timor, &c. quia licèt iſtæ ſint qualitates, tamen pertinent ad primam ſpeciem potiùs, quàm ad iſtam, ſed ſumitur hìc *paſſio* pro aliqua ſpecie qualitatis ſenſibilis, ſeu afficientis ſenſum, quæ à prioribus differt, ut calor, ſiccitas, humiditas, frigus, color, odor, ſapor, & quærimus, quid illa ſit.

CONCLUSIO I.

T*Ertia ſpecies qualitatis eſt qualitas per ſe afficiens ſenſum, externum, & dicitur paſſio, ſi citò tranſeat à ſenſu, quem afficit, & patibilis qualitas, ſi diu permaneat in ſenſu.* Eſt Doctoris cum ſuis: dicit enim, quòd *abſolutè tertius modus* (qualitatis) *eſt paſſio, quæ dicit comparationem qualitatis ad ſubjectum natum alterari ſecundum eam, vel comparationem qualitatis ad ſenſum, cui infert paſſionem.*

Probatur breviter, Quia ſic explicatur ſufficienter natura hujuſmodi qualitatum, prout conveniunt,

[1] *ibid.* §. *ad* 4. *qu.*

niunt, & diſtinguuntur ab aliis, ergo, &c.

Objic. Ira, & dementia pertinent ad hanc ſpeciem: ſed non ſunt ſenſibiles ſenſu externo, ergo hæc ſpecies qualitatis non benè definitur per ordinem ad ſenſum externum.

Reſpondeo neg. maj. Nam, ut ait Doctor, Philoſophus adducit eas hic in exemplum qualitatum, quæ diu durant, ut amentia, aut cito tranſeunt, ut ira, non autem aſſerit eas huc pertinere.

CONCLUSIO II.

Paſſio, & paſſibilis qualitas non diſtinguuntur inter ſe eſſentialiter, benè verò ab aliis prioribus ſpeciebus. Eſt communis cum Doctore, maximè quoad primam partem; docet enim, [1] quòd *paſſio diſtinguitur præcisè contra paſſibilem qualitatem*, & tamen poſſunt poni unus modus, &c.

Probatur autem. Quia, ut docet Scotus, conveniunt in hoc, quod poſſunt poni unus modus, quia habent certam rationem generalem, & differunt ſolùm quoad majorem, vel minorem permanentiam, verbi gratia, rubor veniens ex verecundia, vel timore differt à rubore veniente à ſubſtantia rubra; quia ille tranſit in inſtanti, & ideò dicitur paſſio, alter verò eſt permanens. Idem eſt de calore reſpectu ignis, & aquæ: nam in igne eſt patibilis qualitas, & in aqua eſt paſſio: ſed major, aut minor duratio non ſufficit ad differentiam eſſentialem, ergo, &c.

Prob. 2. pars. Quia duæ priores ſpecies ſunt inſenſibiles à ſenſu externo, & iſta afficit ſenſus externos, ergo eſſentialiter differunt æquè, ac color, & ſonus: quandoquidem habent diverſa ſubjecta, & afficiunt diverſas potentias.

Objicies. *Paſſio* ex natura ſua exigit citò tranſire, & *patibilis qualitas* diu permanere: ſed hoc ſufficit ad diſtinctionem ſpecificam, ergo, &c

Reſp. neg. maj. Nam quod diu, vel parum duret, non eſt de ratione illarum intrinſeca: ſed per acci-

[1] *ibid.* §. *ad* 2.

dens, & ideò non ſufficit generaliter loquendo; licèt id poſſit eſſe verum de aliquibus qualitatibus in particulari, verbi gratia, de ſono, qui de ſe eſt tranſiens, & calore ignis, qui de ſe eſt permanens.

Omnia igitur objecta quinque ſenſuū externorum, ut calor, frigus, ſiccitas, & humiditas, durities, & mollities, & quæ percipiuntur à tactu, colores, qui à viſu, ſoni, qui ab aure, ſapores, qui à guſtu, & odores, qui ab odoratu, & hujuſmodi pertinent ad hoc genus qualitatis.

QUÆSTIO VI.

De forma, & Figura.

F*Orma* non ſumitur hìc à formando, ſic enim nomen hoc convenit omni formæ, tàm ſubſtantiali, quàm accidentali; ſed ſumitur pro qualitate reſultante ex perfecta formatione, & proportione, ac coordinatione partium, ſeu membrorum alicujus corporis: unde oritur formoſitas: ſeu pulchritudo, ſeu venuſtas.

Similiter *Figura* non ſumitur pro imagine, ſeu repræſentatione alicujus rei, ſicut filius dicitur imago, ſeu figura patris, nec pro artificio rethorico, quod vocamus *figuram*, nec etiam materialiter pro ſuperficie clauſa lineis; quia ſic pertinet ad quantitatem: ſed ſumitur formaliter pro diſpoſitione aliqua ſpeciali, quam habent partes quantitatis, ſecundum quam faciunt, verbi gratia, triangulum, quadrangulum, circulum, &c.

Rurſus *Figura* alia eſt *interna*, & eſt poſitio partium in ordine ad ſe invicem, & ad totum; & id accidit, cùm una pars immediatè connectitur alteri, ut caput collo, collum humeris, humeri brachiis: alia eſt *externa*, & eſt poſitio partium in ordine ad partem loci, & hæc pertinet ad prædicamentum Situs.

CONCLUSIO.

P*Robabile eſt, formam, & figuram non eſſe propriè ſpeciem ullam particularem qualitatum* de-

Digitized by Google

diſtinctam à reliquis. Eſt Doctoris, & ſuorum, & aliorum ſatis communiter. Scotus enim docet, quòd [1] *figura non dicit ultra quantitatem, niſi relationem partium à ſe invicem, vel terminorum includentium partes*, & loquens de forma ait, quòd [2] *pulchritudo non eſt aliqua qualitas abſoluta in corpore pulchro, ſed eſt aggregatio omnium convenientium tali corpori: puta magnitudinis, figuræ, coloris, & aggregatio omnium reſpectuum, qui ſunt iſtorum ad corpus, & ad ſe invicem*.

Probatur autem, quia hoc ipſo, quòd partes quantitatis ſic inter ſe uniuntur, & ordinantur, habent ſitum, & figuram triangularem, quadrangularem, circularem, & abſque ulla alia qualitate abſoluta, & ita eſt quoad formam, & pulchritudinem, hoc ipſo quod habent aggregatum omnium convenientium tali corpori, ergo probabile eſt formam, & figuram non conſtituere ſpeciem qualitatis ab aliis diſtinctam.

Objic. Ariſtoteles, & alii Philoſophi enumerant hanc velut quartam ſpeciem, ergo id ita eſſe dicendum, niſi ratio urgens id demonſtret: non enim leviter ab Ariſtotele, & communi ſententia diſcedendum.

Reſp. Ariſtotelem id dixiſſe non ex propria ſententia, ſed ex communi errore, quo ſic creditur, quia ratione formæ, & figuræ res denominantur quales, & ſic forma, & figura denominant res per modum qualitatis.

QUÆSTIO VII.

De Proprietatibus qualitatis.

Prima eſt, quòd *habet contrarium*, quatenùs ſola qualitas habet formam poſitivam abſolutam ſibi oppoſitam, per quam expellitur ab eodem ſubjecto inhæſionis; ut calor, & frigus, albedo, & nigredo. Eſt autem hæc proprietas in primo, aut ſecundo modo, non in quarto, quia

R 6

[1] *in* 4. *d*. 12. *q*. 4. *F*. *n*. 19.
[2] *in* 1. *d*. 17. *q*. 3. *n*. 3. *O*.

Digitized by Google

quia lux eſt qualitas , & non habet formam poſitivam contrariam , ſed privativam , aut negativam .

2. Eſt *ſuſcipere magis , & minus* , ſeu *poſſe intendi , & remitti* , & nec etiam iſta convenit omni , & ſoli. 1. non omni , quia unus actus idem in individuo manens , non poteſt intendi , nec remitti , & tamen eſt qualitas . 2. nec ſoli , quia quædam ſuſcipiunt magis , & minus , quæ non ſunt qualitates , ut ſimilitudo, quæ eſt relatio.

3. Eſt, quòd ſecundum qualitatem res dicuntur ſimiles , aut diſſimiles , ſicut ſecundum quantitatem dicuntur æquales , vel inæquales , nec etiam hæc ſolis qualitatibus convenit : nam filius dicitur ſimilis patri , etiam penes ſubſtantiam , & generaliter res dicuntur ſimiles ſecundum quaſque formas.

DISPUTATIO XI.

De Relatione prædicamentali.

POſt prædicamenta abſoluta progredimur ad relativa , inter quæ præcipuum locum obtinet relatio intrinſecùs adveniens , quæ à nobis per antonomaſiam dicitur prædicamentalis , ut à tranſcendentali , & ab aliis diſtinguatur , quæ ſunt quidem in noſtra ſententia veræ relationes , & prædicamentales, ſed extrinſecùs advenientes, & ſunt communes ſex aliis prædicamentis.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Relatio , quæ conſtituit hoc prædicamentum , & quotuplex.

RElativa dicuntur , quæ ad aliud referuntur , & *correlativa* , quæ ſe ſe mutuo reſpiciunt , ſeu ad ſe ſe mutuò referuntur , ut Pater , & filius , dominus , & ſervus. *Relatio* verò eſt ratio formalis, qua unum reſpicit, ſeu refertur ad aliud , unde in relativis tria hæc reperiuntur , *fundamentum* ,

Digitized by Google

tum , ſeu ſubjectum, *terminus* , & *relatio*. *Fundamentum* eſt id, quod refertur , & dicitur etiam ſubjectum, quia relatio in eo ſubjectatur, & hæret. *Terminus* eſt id , ad quod aliquid refertur, & *Relatio* eſt forma, ſeu ratio, per quam *fundamentum* reſpicit *terminum*. Correlatio verò eſt duplex relatio, qua duo ſe ſe mutuò reſpiciunt . Fundamentum, & terminus dicuntur *extrema* relationis . In fundamento notatur etiam *ratio fundandi*, & in termino *ratio terminandi*, verbi gratia, in patre ratio fundandi relationē paternitatis eſt generatio activa,& in filio eſt generatio paſſiva;in duobus albis ratio fundandi , & terminandi relationem ſimilitudinis eſt albedo . Alii rationem fundandi vocant , *fundamentum proximum* , & formale, id verò, quod refertur , dicunt fundamentum remotum , ſeu materiale , &, hæc notanda ſunt ad intelligentiam terminorum , quibus utimur in hac materia.

Porrò . Relatio alia eſt *realis*, alia *rationis*: illa adeſt independenter ab omni fictione intellectus, ut paternitas inter patrem , & filium ejus; iſta non ineſt , niſi per fictionem intellectus.

2. *Realis* dividitur in *tranſcendentalem* , & *prædicamentalem* . Prior illa eſt , quæ realiter identificatur cum ſuo fundamento, & ideò dicitur *Tranſcendentalis*, quia vagatur per omnia prædicamenta, ſicut & ſubjecta, quæ dicuntur referri ; poſterior verò eſt, quæ diſtinguitur à ſuo fundamento, ut ſimilitudo inter duo alba.

3. Alia eſt *ſecundum dici* , alia *ſecundum eſſe*. Relatio ſecundum eſſe dicitur, quæ verè, & formaliter ineſt à parte rei , alia verò non ineſt , niſi per intellectum , quatenus res , alioqui de ſe abſoluta concipitur , & explicatur per ordinem ad aliud , ad quod revera non refertur, ut pars, potentia , habitus , ſcientia , & alia hujuſmodi , quæ ſolent explicari per ordinem ad alia , licèt in ſe ſint entia abſoluta : unde iſta ferè coincidit cum tranſcendentali, & illa cum prædicamentali .

4 Alia eſt *intrinſecùs adveniens* , alia *extrinſecus adveniens*. Prior eſt illa, quæ poſitis fundamento , & termino in rerum natura neceſſariò re-

ſult-

ſultat, ut ſimilitudo, diſſimilitudo, æqualitas, &c. Nam poſitis duobus albis in rerum natura, neceſſariò reſultat relatio ſimilitudinis inter illa. Poſterior verò eſt ea, quæ poſitis fundamento, & termino, ſeu extremis, non ſic neceſſariò reſultat, ſed requiritur aliqua actio, vel conditio veniens illis ab extrinſeco, verbi gratia poſito Petro, & ſchola: non reſultat relatio præſentiæ, ſeu *ubi* ejuſdem Petri in ſchola, ſed requiritur ingreſſus ejus in ſcholam.

5. Alia eſt *mutua*, qua duo ſe ſe reciprocè reſpiciunt, & dicitur *correlatio*, ut ſimilitudo inter duo alba; alia *non mutua*, quæ non eſt realis, niſi in uno, in alio verò eſt ſecundum dici, aut rationis. Talis eſt inter Deum, & creaturam: creatura enim verè, & realiter dependet à Deo, ſed Deus non refertur ad creaturam per ullum accidens reale, & de novo adveniens.

6. Alia *æquiparantiæ*, quæ reperitur inter duo extrema ejuſdem rationis, & nominis, ut ſimilitudo inter duo alba, æqualitas inter duo æqualia, &c. Alia *diſquiparantiæ*, cujus extrema habent diverſa nomina, & rationes diverſas, ut quando majus comparatur cum minore: ut *dominus*, & *ſervus*.

7. Ex Scoto.[1] Alia eſt *ſuperpoſitionis*, qua dignior, vel ſuperior comparatur ad minorem, ſeu inferiorem: ut cùm dominus ad ſervum, magiſter ad diſcipulum. Alia *ſuppoſitionis*, ut cùm inferior reſpicit ſuperiorem, ut diſcipulus magiſtrum, ſervus dominum, &c. His ita ſuppoſitis ſit

CONCLUSIO I.

R*Elatio prædicamentalis rectè deſcribitur, Accidens reale intrinſecùs adveniens ſubjecto, cujus totum eſſe eſt ordinare unum ad aliud.* Eſt conformis Doctori definienti [2] cum Ariſtotele ad aliquid, *quorum hoc ipſum eſſe eſt ad aliud ſe habere. Hæc eſt vera notificatio relativorum.*

Prob. Quia hæc definitio explicat naturam hujus

[1] *q. 24. præd. §. ſimiliter.*
[2] *ibid. §. contra iſtud.*

jus prædicamenti ſecundum genus, & differentiam ejus, ut diſcurrenti per ſingulas particulas patebit. Nam dicitur 1. *accidens*, quod ponitur loco generis reſpectu omnium aliorum accidentium, & per hoc excluduntur relationes ſubſtantiales, quales ſunt divinæ. 2. *reale*, ut excludantur relationes rationis, quæ non ſunt prædicamentales. 3. *intrinſecùs adveniens*, ut excludantur relationes extrinſecùs advenientes, quæ ſpectant ad alia prædicamenta. 4. *cujus totum eſſe eſt unum ad aliud ordinare*. ut excludantur accidentia abſoluta, & ſignificetur, quòd relatio non poteſt exiſtere, quin unum ad aliud referat.

Objic. Relatio eſt in ſubjecto, ergo totum ejus eſſe non eſt ad aliud. Prob. conſeq. Quia eſt accidens: ſed omne accidens ineſt ſubjecto, ergo & relatio.

Reſpondeo conc. ant. & diſt. conſeq. utramque. Totum ejus eſſe, tam ſpecificum, quàm genericum, id eſt, tam ratione accidentis, quàm talis accidentis, ſeu prædicamenti, conc. conſeq. totum ejus eſſe ſpecificum, & in ratione talis prædicamenti, neg. conſeq. Relatio, ut accidens habet eſſe in ſubjecto, ut tale accidens, non habet, niſi eſſe ad aliud.

CONCLUSIO II.

R*Elatio prædicamentalis requirit neceſſariò coexiſtentiam realem extremorum.* Eſt Doctoris cum ſuis, & aliis magis communiter, docet enim, quòd [1] *reſpectus non poteſt magis intrinſecè advenire fundamento, quàm quòd neceſſariò ſequatur ipſum poſito termino. Quia omninò non poteſt ineſſe fundamento, circumſcripto termino, quia tunc non eſſet reſpectus, ſed forma abſoluta*: item ad relationem realem requirit primò, [2] *ut fundamentum ſit reale, & terminus realis*, ſed terminus non eſt realis, niſi exiſtat, ergo, &c.

Prob. 1. Quia, ſi relationes prædicamentales reſultarent abſque termini coexiſtentia reali, non differrent

[1] *in* 4. *diſt.* 6. *q.* 10. *n.* 3. *& H. n.* 10.
[2] *in* 1. *d.* 31. *q. uni.* §. *ad quæſt.*

Digitized by Google

rent à tranſcendentalibus, & aptitudinalibus: falſum conſeq. ergo & ant. Prob. ſeq. Non diſtinguerentur à fundamentis, & ab illis eſſent prorsùs inſeparabiles, ergo non eſſent accidentales, nec per conſequens prædicamentales. Prob.ant. Quia ſignum diſtinctionis eſt ſeparabilitas realis, ita ut vel de novo adveniant, vel deperire poſſint abſque ſubjecti corruptione.

Prob. 2. Quia alioqui homo diceretur pater filiorum abſque filiis actu exiſtentibus, modò eſſent poſſibiles: ſed abſurdum conſeq. ergo, &c.

Dices, id verum eſſe ad hoc, ut relatio paternitatis reſultet, non verò, ut conſervetur, poſtquam ſemel reſultavit, ideò mortuis filiis homo retinet relationem, ac denominationem paternitatis.

Contra. Quia non eſt major ratio, cur conſervari poſſit talis relatio ſine termino, quàm primò reſultare, ergo, ſi non poſſit reſultare ſine termino, ita nec conſervari.

Objic. Intellectus habet relationem actualem ad objectum non exiſtens. Item cauſa finalis ad ſuum effectum, ergo relatio non exigit terminum realiter exiſtentem.

Reſp. diſtinguendo antec. Ad objectum nòn exiſtens ſecundum eſſe reale: idem eſt de cauſa finali, conc. ant. ſecundum eſſe intentionale, ac repræſentativum, neg. ant. & conſ. Nam objectum cognitum habet quandam realem exiſtentiam, mediante ſui repræſentatione, & potiùs dicerem eam relationem eſſe quidem realem, prout opponitur fictitio, & intentionalem, ſicut eſt terminus; ſicut Logica dicitur ſcientia realis intentionalis.

Objic. Relatio ſumit entitatem à fundamento, non à termino, ergo & realitatem.

Reſp. neg. ant. Ab utroque enim habet entitatem per reſultantiam.

Inſt. Plures relationes etiam prædicamentales terminantur ad non entia, ſcil. negationes, & privationes, ergo relatio prædicamentalis non accipit eſſe à termino. Conſequentia eſt evidens, quia ens poſitivum reale non poteſt accipere entitatem à non ente. Probatur antec. Nam homo albus dicitur diſ-

ſimilis

ſimilis propter negationem, vel privationem albedinis: ſed illa privatio eſt non ens, ergo relatio diſſimilitudinis accipit entitatem à privatione.

Reſp. diſt. ant. & min. probationis. Privationes, & negationes ſunt non entia poſitiva, conc. min. non entia, id eſt, non habent veram exiſtentiam ſibi proportionatam, nego min. Sufficit ergo, quòd pro eo tempore, quo exiſtit relatio terminata ad privationem, privatio ſit realis, & revera exiſtens ſuo modo.

Objicies 3. Relationes aptitudinales, verbi gratia, potentiæ ad actum, vel objectum, & relationes tranſcendentales, ſunt reales, & tamen non requirunt terminos realiter exiſtentes, ergo neque prædicamentales. Prob. antec. Materia habet veram aptitudinem ad omnes formas, quamvis non exiſtant: omnes res ſunt ſcibiles à meo intellectu, quamvis de facto non ſciantur, & erant ſcibiles, antequam exiſterent: Deus eſt creator Judæ, antequam exiſtat, & poſtquam eſſe deſiit, ergo, &c.

Reſpondeo neg. conſeq. & diſparitas eſt: quia relationes illæ ſunt identificatæ fundamentis, & ideò tranſcendentales: non debent de novo advenire fundamentis, nec ab eis dependere ſicut relationes prædicamentales, quæ ſunt accidentia, & quidem actualia, non aptitudinalia; item non exiſtunt per reſultantiam, ſeu manant ab eſſentiis rerum, velut proprietates earum.

Hæc clariùs patebunt ex dicendis de diſtinctione relationis à fundamento, & termino.

QUÆSTIO II.

An dentur relationes reales diſtincta ab extremis.

QUidam cenſuerunt relationes, quas dicimus prædicamentales, eſse pura entia rationis, quia entia, quæ dicimus relativa, non aliter ſe reſpiciunt, quàm per relationes rationis, quas in ipſis concipimus, ſeu fingimus reſultare in comparatione

tione illorum ad invicem. Alii cenſent, eas eſſe quidem reales, ſed non diſtinguunt eas à fundamento, & termino coexiſtentibus, & ſimul ſumptis. Alii denique cenſent, eas eſſe verè accidentia realia à parte rei exiſtentia, & diſtincta realiter, ſaltem modaliter à fundamento, & termino.

Per diſtinctionem realem hic intellige illam, qua diſtinguuntur ea, quorum unum poteſt exiſtere ſine alio, ſive utrumque poſſit exiſtere ſeparatim, ut in diſtinctione, quæ dicitur realis major, ſive illud alterum non poſſit exiſtere ſeparatim, ut in diſtinctione reali minori, ſeu modali; certum enim eſt, relationem non poſſe exiſtere extra, aut ſine ſuo fundamento, ideò non poteſt diſtingui realiter, niſi diſtinctione reali minori, ſeu modali, quam etiam quidam formalem vocant.

CONCLUSIO.

Dantur veræ relationes reales, ſeu à parte rei, & independenter ab omni operatione intellectus, etiam in creatis. Eſt communis contra quoſdam antiquos, & Nominales. [1] Scotus cum Ariſtotele id docet, dicens, quòd *verè relativorum quædam dicuntur ſecundum ſuam propriam formam ad alia, & quæ ſunt primò, & propriè relativa: alia ſunt verè relativa, & non dicuntur relativa ſecundum propriam formam ad alia.*

Probatur autem 1. ex eodem Doctore ſubtili. 1. Quia ſi relatio haberet tantùm eſſe in actu intellectus comparantis, deſtrueretur unitas univerſi, nam unitas univerſi conſiſtit in ordine partium ad invicem, qui ordo eſt relatio, ergo ſi relatio non ſit quid reale à parte rei, ſed tantùm in intellectu, non erit unitas vera univerſi.

2. Quia non daretur vera compoſitio in univerſo realis: nam compoſitio realis eſt unio realis: ſed unio eſt relatio, ergo ſi non datur relatio realis, ita nec compoſitio.

3. Quia non daretur ulla cauſa, nec cauſalitas realis: non enim datur cauſalitas realis ſine approxima-

[1] *q. 26. prædic. In 2 d. 1. q. 4. B. a. num. 5. & 11.*

Digitized by Google

ximatione, quæ eſt relatio, ergo ſi non datur relatio realis, ita nec cauſalitas.

4. Quia ſcientiæ mathematicæ non eſſent reales: nam illæ ſcientiæ reſpiciunt proportiones rerum, & menſuras, quæ ſunt relationes, ergo ſi non dantur à parte rei relationes Mathematicæ, non erunt reales.

Prob. 2. Quia in divinis dantur relationes veræ, & reales, ut fides docet: nam paternitas, filiatio, & ſpiratio tam activa, quàm paſſiva, ſunt relationes, non quidem accidentales, ſed ſubſtantiales, ergo dari poſſunt etiam in creatis, ſaltem accidentales: nulla enim repugnantia eſt, quin Deus poſſet ſuſcitare relationes in creaturis imitantes aliquo modo divinas.

Confir. Quia creatura à parte rei refertur ad Deum per dependentiam veram creationis paſſivæ, & conſervationis, & ſubjectionis, &c. ergo dantur iſtæ relationes in creatis.

Prob. 3. Quia à parte rei alia ſunt ſimilia, alia diſſimilia, alia æqualia, alia inæqualia: quædam dependent ab aliis, &c. ergo dantur à parte rei relationes ſimilitudinis, diſſimilitudinis, æqualitatis, inæqualitatis, dependentiæ, &c. Prob. conſeq. Nam denominatio realis non datur ſine forma reali: ſed denominationes ſimilis, diſſimilis, æqualis, &c. ſunt reales, ergo, &c.

Prob. 4. Quia multæ relationes percipiuntur ſenſibus ipſis externis, ut ſimilitudo, æqualitas, & inæqualitas ab oculis: item ſimphonia, & cacophonia percipiuntur ab auribus, ergo illæ relationes ſunt reales.

Dices, ſimilitudines nihil eſſe, quàm *duo alba* coexiſtentia, æqualitatem, duo *quanta palmaria*, & ſic de cæteris abſque ulla forma reali ſuperaddita, per quam dicantur ſimilia, æqualia, &c.

Contra. Quia ſi ſimilitudo nihil addit ſuper *album*, & *album*, ergo conceptus ſimilitudinis nihil eſt aliud, quàm conceptus albi, & albi, quod eſt apertè falſum, ergo conceptus ſimilis addit aliquid ſuper *album*, & *album*.

Objic. 1. Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, ſed nulla eſt neceſſitas aſſerendi relationes rea-

Digitized by Google

reales, ergo non ſunt aſſerendæ. Prob. ant. Si eſſent neceſſariæ, maximè ad ſalvandas denominationes æqualis, ſimilis, &c. ſed hæc nulla eſt, ergo, &c. Probatur minor 1. Quia in Deo ſalvatur denominatio Creatoris, Domini, &c. abſque ulla relatione reali. 2. Quia tales ſalvantur per coexiſtentiam duorum alborum, quorum uno deſtructo ceſſat ſimilitudo in alio abſque ulla mutatione reali.

Reſp. neg. min. primi, & 2. argumenti, & ad 1. prob. conc. ant. & neg. conſeq. Quia Deus non eſt capax novæ relationis realis in ſe, niſi fundamentaliter propter ſummam ſimplicitatem, & immutabilitatem ſuam, ideòque per creationem hominis, verbi gratia, terminat ſolùm actualem dependentiam hujus creaturæ, ſicut per unionem hypoſtaticam, quæ eſt nova relatio, Verbum Divinum nihil in ſe recipit de novo præter puram terminationem illius relationis, quæ ſubjectatur realiter in humanitate Chriſti.

Ad 2. neg. ant. Quia pura coexiſtentia duorum alborum eſt coexiſtentia duorum etiam abſolutorum ſecundum ſe, unde cum dicuntur ſimilia, id fit per aliquam denominationem venientem ex aliqua relatione reali reſultante.

Inſt. Si hoc eſſet, poſito uno albo Romæ, tot in illo reſultarent ſimilitudines reales, quot de novo producerentur alba Pariſiis, Lugduni, & ubique: ſed hoc eſt incredibile, & abſurdum, ergo falſum eſt quidquam reale de novo produci, aut reſultare.

Reſpondeo, neg. min. Quid enim in hoc repugnantiæ, vel inconvenientis, quod reſultent in uno albo tot novæ relationes reales, ſeu ſimilitudines, quot producuntur alba, quæ denominantur ſimilia, an difficilius illi eſt, eſſe realiter ſimile tot albis, quot producuntur, & quot coexiſtunt in rerum natura, quàm dici verè ſimile illis.

Objic. 2. Ariſtoteles docet, [1] relationem non eſſe ens per ſe, non intendi à natura, nec ad eam dari per ſe motum, ergo non eſt ens reale, ſed rationis. Reſp.

[1] 5. *Phyſic. t.* 10. *&* *l.* 8. *t.* 9. *&* *l.* 11. *Metap.* c. 3.

Digitized by Google

Reſp. neg. conſeq. Nam ad omne ens reale non requiruntur illę conditiones , adeò ut nullum ſit ens reale , quod non intendatur à natura , & producatur directè , & immediatè per actionem ad ejus entitatem terminatam : ſic enim ſola entia poſitiva , & abſoluta eſſent realia , ſunt aliqua , quæ producuntur per reſultantiam , indirectè ſc. & poſitis aliquot aliis ; & talis eſt relatio , quæ caſualiter , & occaſionaliter reſultat : & certè Ariſtoteles non poteſt excludere relationes ab entibus realibus , quandoquidem eas repoſuit in numero prædicamentorum , quę debent eſſe entia realia .

CONCLUSIO II.

R*Elatio prædicamentalis diſtinguitur realiter à fundamento, & termino coexiſtentibus* . Eſt Doctoris [1] , & Divi Thomæ , & aliorum magis communiter contra Nominales , & alios quoſdam .

Prob. 1. ex Theologia . Relatio divina paternitatis , v.g. non includit eſsentialiter filium , ſed conſtituit ſolam perſonam patris, & diſtinguitur realiter ab ipſo filio ; ergo relatio paternitatis diſtinguitur à termino , non verò includit illum .

Prob. 2. Quia terminus relationis eſt extra relationem, ergo diſtinguitur ab illa . Prob. ant. Quia terminus relationis eſt id , ad quod terminatur relatio ; ſed terminus eſt extra rem relatam , ergo, &c.

Confirm. Quia ſi terminus includeretur eſsentialiter in relatione , relatio ordinaretur ad ſeipſam ; abſurdum conſeq. ergo & ant.

Objic. Nulla eſt neceſsitas talis diſtinctionis , ergo non eſt aſserenda . Prob. ant. Poſitis duobus albis neceſsariò reſultat ſimilitudo : poſito filio neceſsariò intelligitur pater , ergo , &c.

Reſp. neg. ant. & conſeq. prob. Nam licèt poſitis duobus albis , reſultet neceſsariò ſimilitudo inter illa, non ſequitur , ſimilitudinem eſse quid ab eis indiſtinctum , imò id neceſsarium eſt , quòd ſit quid ſuperadditum , ut probatum eſt ſupra .

CON-

[1] *Scotus ibid.*

Digitized by Google

CONCLUSIO III.

R*Elatio prædicamentalis diſtinguitur realiter à ſuo fundamento*. Eſt Doctorum Subtilis, & Angelici cum utraque ſua ſchola, & aliis permultis. [1]

Prob. 1. Quæ ſunt ſeparabilia, diſtinguuntur realiter, ſed relatio poteſt ſeparari à ſuo fundamento, ergo ab eo diſtinguitur. Major patet ex communi ſententia. *Si alterum interimit, alterum autem non, profectò non ſunt idem*, inquit Ariſtoteles. [2] Prob. min. Nam Petrus, qui eſt modò pater, & habet paternitatem, non habebat, antequam exiſteret filius, nec habet amplius mortuo filio. Paries albus A. qui jam habet ſimilitudinem cum albo B. non habebat, antequam iſte eſſet albus, nec habebit, ſi iſtemet deſtruatur, ergo relatio eſt ſeparabilis à ſuo fundamento.

Dices, ſimilitudinem permanere in fundamento, licèt pereat quoad denominationem formalem, idem eſt de paternitate, & aliis.

Contra. Nam illa denominatio objectiva, quæ perit, vel eſt quid reale diſtinctum à fundamento, vel nihil: ſi eſt quid diſtinctum, ergo eſt relatio, quæ eſt cauſa formalis realis illius denominationis: ſi nihil eſt, ergo nihil perit.

Confirm. hoc, quia non poteſt perire denominatio realis, nec advenire, niſi pereat, aut adveniat aliqua forma realis: ſed perit, per te, denominatio realis ſimilitudinis, ergo & forma realis aliqua.

Dices 2. Pereunte termino manet ſimilitudo radicaliter, non formaliter, & actu, defectu exiſtentiæ termini, quem debet connotare actu, quia illa connotatio actualis eſt conditio, ſine qua non denominatur ſimile, & eſt ipſa actualis relatio.

Contra. Quia illa connotatio eſt quid realiter diſtinctum à fundamento, ergo & formalis ſimilitudo.

Dices 3. relationem præexiſtere in fundamento quoad ſuam totalem perfectionem intrinſecam in rela-

[1] *Scot. cit. §. contra iſtam opinionem. S.Th.* 1. 28. [2] *q. 7. topic. loco* 12.

Digitized by Google

relationis tranſcendentalis ratione, quæ non exigit exiſtentiam termini, &, hoc adveniente, relatio evadit prædicamentalis ob connotationem extrinſecam ejuſdem termini abſque eo, quod quidquam reale adveniat fundamento: unde, ante exiſtentiam termini, album A. erat aſſimilabilis albo B., quo poſito, fit actu ſimilis.

Contra. Quia ſic res identificata ſubjecto non poteſt fieri accidentalis, & diſtincta; ſed ante exiſtentiam termini relatio per ſe eſt identificata fundamento, ergo & poſtea erit.

Contra 2. Quia licet admitteretur ille tranſitus, ut poſſibilis, adhuc non poſſet fieri ſine aliqua immutatione in fundamēto, adeo ut de aſſimilabili fiat ſimile actu, & formaliter, ergo nulla reſponſio.

Contra 3. Quia nihil poteſt tranſire de potentia objectiva in actum realiter, ſine aliqua ſui mutatione reali; ſed per te poſito termino illa ſimilitudo aptitudinalis, ſeu potentialis tranſit in actualem realiter, ergo per aliquam mutationem realem, ergo ſimilitudo actualis realiter diſtinguitur à fundamento.

Objic. 1. Nulla eſt neceſſitas talis diſtinctionis, ergo non eſt afferenda, quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate. Prob. ant. ſi aliqua eſſet neceſſitas, maximè ad ſalvandam novam denominationem *ſimilis*, in albo A. dum exiſtit album B. ſed hæc ratio nulla eſt, ergo, &c. Prob. min. Nam poſitis duobus albis abſque ulla entitate, vel forma ſuperaddita, denominantur, & ſunt ſimilia formaliter, ergo ad illam novam denominationem non requiritur relatio, ſeu forma diſtincta.

Reſp. neg. ant. primi argumenti, minorem, 2. & diſt. ant. 3. ſunt ſimilia fundamentaliter, conc. ant. formaliter. neg. ant. & conſeq. ſicut, præciſa riſibilitate formali, homo dicitur riſibilis fundamentaliter, ita duo alba ex ſe, & præciſa relatione ſimilitudinis, ſunt ſimilia fundamentaliter, non formaliter, ergo &c.

Inſt. Dantur multæ denominationes novæ, & intrinſecæ ſine nova forma diſtincta à ſubjecto; ergo neceſſitas illa non rectè infertur ex nova denominatione. Prob. ant. In ipſo inſtanti, quo ponitur

Digitized by Google

tur terminus, fundamentum denominatur proximè diſpoſitum ad relationem ſimilitudinis, verbi gratia: ſed nulla aſſignatur nova forma intrinſeca, à qua oriatur talis denominatio, ergo, &c.

Reſpondeo neg. ant. & min. prob. Provenit enim à coexiſtentia, quæ reſultat in fundamento ad poſitionem termini, quæ coexiſtentia eſt intrinſeca fundamento.

Inſt. 2. Saltem relatio illa non debet diſtingui à coexiſtentia extremorum: ſed illa coexiſtentia eſt relatio extrinſecus adveniens, quia non reſultat ex natura illorum abſque actione agentis, quæ eſt *illis* extrinſeca, ergo, &c. Iſtud argumentum videtur Poncio difficile.

Reſpondeo tamen, & clarè, ut mihi videtur, neg. antec. Nam coexiſtentia duorum alborum eſt de ſe indifferens ad ſimilitudinem, vel diſſimilitudinem, ergo relatio ſimilitudinis, aut diſſimilitudinis eſt quid diſtinctum ab illa coexiſtentia extremorum.

Inſt. 3. Illa ſunt ſimilia formaliter, ex Philoſopho, [1] quorum qualitas eſt una, ſed abſque ulla forma ſuperaddita, duo alba habent unam qualitatem, ſc. albedinem, ergo & ſimilitudinem.

Reſp. diſt. maj. Sunt ſimilia fundamentaliter, conc. antec. formaliter, neg. ant. & conſeq. & ratio Scoti [2] eſt, quia cum relationes ſint minimæ entitatis, non poſſunt definiri, niſi per aliud, & maximè per fundamentum, quod in ſimilitudine eſt unitas qualitatis, & in æqualitate unitas quantitatis.

Inſt. 4. Album, & nigrum ſunt ſe ipſis diſſimilia, abſque ullo ſuperaddito, ergo & duo alba ſunt ſimilia ſeipſis. Prob. ant. Non ſunt ſimilia, ergo ſunt ſeipſis diſſimilia.

Reſp. neg. ant. & diſt. conſeq. probat. Fundamentaliter, conc. formaliter, neg. conſeq. Se ipſis enim, & ratione nigredinis, & albedinis ſunt formaliter album, & nigrum, & duo abſoluta, per diſſimilitudinem verò ſe ſe reſpiciunt, & ſunt formaliter diſſimilia.

Inſt. 5. Petrus eſt eſſentialiter diverſus à Bucephalo, æquè ac album, & nigrum: ſed illa diverſitas non eſt accidens ſuperadditum entitati Petri, ergo nec diver-

[1] 5. *Metaph.* [2] *loco cit. ſub H.*

diverſitas albi, & nigri erit accidens diſtinctum à fundamento. Prob. min. Nullum enim accidens eſt ſubſtantiale, ergo, &c.

Reſp. neg.min. & ant. prob. Nam accidentia relativa ſumunt denominationem ſubſtantialis, vel accidentalis ab extremis, unde unio inter materiam, & formam in compoſito ſubſtantiali, dicitur ſubſtantialis, licèt in entitate ſit pura relatio, ſic actio generativa ſubſtantiæ: idem eſt de relatione diverſitatis inter Petrum, & equum.

Inſt. 6. Idem eſt principium conſtitutivum, & diſtinctivum rei: ſed Petrus, & Bucephalus conſtituuntur per rationalitatem, & equinitatem: ergo per eaſdem inter ſe diſtinguuntur, ſeu differunt, non verò per ullum accidens diſſimilitudinis ſuperadditum.

Reſpondeo diſt.maj. Principium radicale, ac fundamentale, conc. maj. formale, neg. maj. & conſeq. Equinitas ergo, & rationalitas ſunt fundamentum, ſeu ratio fundandi relationem formalem diſſimilitudinis: nam, abſolutè loquendo, Petrus per rationalitatem eſt homo, & nullum reſpectum habet ad equum, ſimiliter Bucephalus per equinitatem: ſed per diſſimilitudinem ſe reſpiciunt, & illa diſtinguitur ab utroque, quia illis de novo advenit, & deperire poteſt, altero ſublato abſque ulla ſubjecti remanentis corruptione.

Objic. 2. Sequeretur, quòd Petro movente digitum, immutaretur totus orbis, quia mutarentur diſtantiæ omnium entium, & in ipſo digito exurgerent innumeræ relationes reales, & diſtinctæ. 2. Dum faceret unum album, cauſaret innumeras ſimilitudines per totum mundum, ſc. in omnibus albis, & diſſimilitudines in omnibus nigris. 3. Duo alba poſſent non eſſe ſimlia, quia poſſet Deus impedire, aut deſtruere illam ſimilitudinem diſtinctam. 4. Idem numero accidens eſſet in duobus ſubjectis, v.g. eadem relatio duplicitatis quatuor hominum reſpectu duorũ eſſet in ſingulis quatuor etiã loco diſſitis; & ſic etiam eſſet pars æqualis toti, illa enim, quæ ſubjectaretur in uno ex quatuor, eſſet æqualis illi, quæ eſt in quatuor ſimul. 5. Daretur proceſſus infinitus in entibus realibus: nam, ſicut duo alba eſſent ſimilia per

duas ſimilitudines diſtinctas, ita illæ duę ſimilitudines per alias, & iſtæ per alias, & ſic in infinitum: ſed hæc omnia ſunt abſurda, ergo & abſurda eſt illa diſtinctio realis relationis.

Reſpondeo neg. min. & quoad 1. Res omnes hujus mundi ſunt in perpetuo motu, & præterea mutatio, quæ fit per relationes, eſt valde impropria: nam, ut ait Doctor, illa mutatio eſt tantùm propria, qua quid mutatur in ordine ad ſe. Quoad 2. jam diximus, relationes cauſari, & quaſi manare per reſultantiam à fundamento, poſito termino, qui cùm ſit pura conditio ad illam, parum refert in quacumque ſit diſtantia. Quoad 3. negamus Deum poſſe impedire illam reſultantiam, poſitis extremis, propter eſſentialem dependentiam ejus ab illis; propterea enim dicitur intrinſecùs adveniens. Quoad 4. patet, quod, cùm numerus non ſit quid per ſe unum, ſed pura multitudo; ideò ſingula quatuor habebunt ſuas relationes reſpectivè ad illam multitudinem, ſicut quatuor eandem trahentes navim habent ſinguli ſuam actionem, quæ in ordine ad effectum ſunt relationes partiales: ſic relationes dupli comparativè ad illud duplum. Ad 6. denique patet, quòd cùm duo alba ſint de ſe abſoluta, non poſſunt ad invicem referri, niſi per relationes diſtinctas, ſed non ita eſt de ipſis relationibus, quæ ſunt entia de ſe relativa. & ideò per ſe ipſas, & ſine ullo ſuperaddito ſe ſe reſpiciunt, ergo in his nulla abſurditas.

Objic. 3. Si relatio eſſet quid reale diſtinctum realiter à fundamento haberet cauſam realem: ſed nulla cauſa realis poteſt aſſignari relationis; ergo non eſt quid reale diſtinctum. Major patet: nam omne ens reale habet cauſam ſui realem. Prob. min. quia non poteſt aſſignari talis cauſa.

Reſp. neg. min. & ant. probat. Aſſignatur enim fundamentum proximum, à quo pullulat per reſultantiam, poſito termino.

Inſt. Si fundamentum proximum, v. g. album, ſit cauſa realis ſimilitudinis cum alio, neceſſario illam cauſaret ſtatim, atque exiſtit, ſicut ignis calefacit hoc ipſo, quod eſt: ſed hoc non facit album, ergo, &c. Maj. patet ex notione cauſæ neceſſariæ. Prob. min. Quia album A. v. g. non cauſat ſimili-
tudi-

tudinem, niſi aliud album coexiſtat, ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Si adſint omnes conditiones requiſitæ ad cauſandum, conc. maj. Si non adſint, neg. min. & conſeq. utramque: nam coexiſtentia realis termini, ſeu alterius albi, eſt conditio requiſita neceſſariò.

CONCLUSIO III.

R*Elatio tranſcendentalis non diſtinguitur realiter à fundamento, non eſt tamen de eſſentia ejus, ſed ab eo diſtinguitur formaliter ex natura rei*. Eſt communis cum Doct. [1] ſaltem quoad 1. p. & 3. dicente, quòd, *Relatio ad Deum communis omni creaturæ eſt idem realiter fundamento, non tamen idem formaliter*: loquitur de dependentia creaturæ ad Deum, tanquam à cauſa univerſali, quæ ſine dubio eſt relatio tranſcendentalis.

Prob. autem 1. p. Quia illa relatio eſt realiter identificata fundamento, ſine qua illud eſſe non poteſt abſolutè: ſed fundamentum non poteſt per ullam potentiam eſſe ſine illis relationibus, ergo, &c. Min. ſupponitur ex ipſa definitione talis relationis: unde creatura non poteſt eſſe, ne quidem divinitùs ſine dependentia ad Deum, nec materia prima ſine potentia ad formam, nec accidens ſine dependentia ad ſubſtantiam, &c. Prob. maj. Quia inſeparabilitas, quæ venit ab intrinſeca ratione ſubiecti, arguit indiſtinctionem realem, nulli enim rei repugnat ab intrinſeco ſeparari ab alia, niſi propter identitatem realem: & maximè, ſi hæc alia ſit prior natura, quàm illa, ſed illa inſeparabilitas relationum venit ab intrinſeco rerum, & iſtæ res ſunt natura priores talibus relationibus, ergo, &c.

Prob. 2. p. Quia nulla relatio poteſt eſſe de conceptu formali entis abſoluti: ſed ſubjecta talium relationum ſunt de ſe entia abſoluta, ut ſupponitur, ergo relationes non ſunt de conceptu formali eſſentiali fundamenti,

Prob. 3. p. & confirm. precedens, quia evidens eſt, relationem dependentiæ hominis ad Deum non ingredi hominis definitionem, ergo illa relatio non eſt

S 2 de

[1] *in 2. d. 1. q. 4. n. 21. M.*

Digitized by Google

de conceptu formali ſui fundamenti, ergo diſtinguitur ab eo formaliter ex natura rei: ſic enim diſtinguuntur ea, quæ de ſe ſunt ſeorſim conceptibilia, ſeu quorum unum non ingreditur definitionem alterius.

Objic. contra 1. p. Relatio dependentiæ ad Deum eſt communis omni creaturæ, ergo ſi identificatur cum fundamento, omnis creatura erit relativa, & nulla erit abſoluta.

Reſp. diſt. conſeq. Erit relativa, id eſt, includet aliquam relationem, conc. conſeq. erit eſſentialiter, & formaliter relativa, neg. conſeq.

Objic. 2. contra 2. p. Multa ſunt entia inter abſoluta, quæ eſſentialem dicunt proportionem, ordinem, dependentiam, ac relationem ad alia, ita ut non poſſint definiri, nec concipi, niſi per ordinem ad alia: ſed tales relationes ſunt tranſcendentales, nec identificantur fundamentis, ergo relationes tranſcendentales ſunt de eſſentia fundamentorum. Prob. maj. Nam accidentia non poſſunt definiri, aut concipi ſine dependentia ad ſubſtantiam; potentiæ, & habitus ad objecta; actus vitales ad principia; creaturæ ad Deum; materia ad formam, & forma ad materiam; & denique omnes aptitudines, potentialitates, &c. ergo, &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam, licèt quoad nos entia hujuſmodi definiri, aut concipi non ſoleant, aut fortè non poſſint, niſi per ordinem ad alia; id oritur ex illorum imperfectione, qua fit, ut nō poſſimus habere conceptum quietativum de illorum quidditate, niſi per ordinem ad extrinſeca, quamvis eorum ratio, & differentia eſſentialis conſtitutiva ſit quid poſitivum, & abſolutum, ex quo pullulant illæ relationes aptitudinis, dependentiæ, &c. Certè dependentia ad Deum tam eſt eſſentialis creaturæ, quàm habitudo accidentis ad ſubſtantiam, aut potentiæ ad objectum, vel actus ad potentiam, & tamen illa dependentia non ponitur in definitione creaturæ, ut notat Doctor. [1]

Inſt. ex Ariſtot. [2] *Potentiæ diſtinguuntur per actus, & actus per objecta*, ergo conſtituuntur eſſentialiter per relationes.

Reſp.

[1] *in 4. d. 12, q. 2.* [2] *l. 2. de an. t. 18*

Reſpondeo ex eodem Scoto,[1] diſt. antec. Diſtinguuntur extrinſecè, & manifeſtativè, conc.ant. intrinſecè, & eſſentialiter, neg. ant. Habent enim intrinſecas ſuas differentias notas Deo, per quas conſtituuntur.

QUÆSTIO III.

De ratione formali conſtitutiva relationis, an conſiſtat in eſſe in, an verò in eſſe ad.

CErtum eſt, inhærentiam pertinere ad Relationem eo modo, quo diximus, illam pertinere ad Accidens, *ut ſic*, & ideò in ratione accidentis neceſſariò importat *eſſe in* ſubjecto per inhærentiam, velut proprietatem inſeparabilem. Sed videtur, quod inhærentia, ſeu inexiſtentia ſit multò magis intrinſeca accidentibus relativis, quàm abſolutis; hæc enim poſſunt exiſtere ſaltem divinitùs extra ſubjecum, ut patet in Sacramento Euchariſtiæ; relationes autem non poſſunt exiſtere ſine fundamento, ne divinitus quidem.

Diſtinguenda igitur eſt ratio fundamenti, & ſubjecti in relativis.

Ratio fundamenti conſiſtit in referibilitate ad aliud per inexiſtentiam formæ relativæ; ratio verò ſubjecti in ſubjicibilitate, ſeu receptibilitate talis formæ: & ideò relatio aliter reſpicit relatum, ut fundamentum, aliter verò, ut ſubjectum. Prout reſpicit ſubjectum, dicitur *inhærere*, & hoc illi convenit, quatenùs eſt accidens, & prout reſpicit fundamentum, illi convenit *ineſſe*, *& referre* illud ad aliud; & hoc illi convenit formaliter, & reduplicativè, quatenùs eſt relatio; hoc valdè notandum propter relationes divinas, quæ verè *inſunt*, & habent vera fundamenta, non autem *inhærent*, nec habent ſubjectum *inhæſionis*, quia ſunt ſubſtantiales.

Quærimus igitur, utrum eſſe in ſubjecto, vel fundamento, ſit de ratione formali relationis, atque, ac *eſſe* ad terminum.

S 3 CON-

[1] *Quodl.* 13. *Hb. & in* 2. *d.* 24. *q.*1. *ad* 2.

Digitized by Google

CONCLUSIO.

Eſſe in ſubjecto non eſt de ratione formali, ſeu de eſſentia Relationis, benè verò eſſe in fundamento, unde relatio conſtituitur eſſentialiter per eſse in, *&* *per* eſse ad. Eſt Doctoris, & aliorum.

Prob. 1. ex Scoto, tota concl. [1] *Nam reſpectus, eſt eſſentialiter habitudo inter duo extrema, & ideò, ſicut tollere ad quem eſt reſpectus, eſt tollere, vel deſtruere reſpectum; ita tollere illud, cujus eſt reſpectus* (ſc. fundamentum) *eſt tollere reſpectum, & deſtruere rationem reſpectus* (nota conſequentiam) *non ergo, quia accidens reſpectivum eſt accidens, ideò requirit, cujus ſit, & ad quod ſit, etiam in divinis*, ergo, ex Scoto, *eſſe in ſubjecto inhæſionis*, non eſt de ratione formali relationis, benè verò *eſſe* in fundamento, & ad terminum.

Prob. 2. quoad 1. p. Nam, ſi inhærentia eſſet de ratione formali conſtitutiva relationis, id eſſet vel in ratione accidentis, vel in ratione talis accidentis, ſeu relationis: ſed neutrum dici poteſt, ergo, &c. Prob. min. quoad 1. Nam, ut dictum eſt ſuprà, inhærentia actualis, nec aptitudinalis, non eſt de ratione conſtitutiva accidentis, ut ſic, ſed proprietas ejus, ergo ita eſt de relatione, prout accidens eſt. Probatur eadem min. quoad 2. Nam relationes divinæ ſunt veræ relationes: ſed illæ non habent ſubjectum inhæſionis, ergo inhæſio non eſt de ratione relationis, ut relatio eſt.

Prob. 2. p. 1. Relatio eſſentialiter eſt duorum, quorum unum refertur ad aliud, ergo æquè eſſentialiter reſpicit utrumque ſuo modo, ſed reſpicit eſſentialiter terminum per *eſſe ad*, ergo & fundamentum per *eſſe in:* imò iſtud eſt prius altero.

Objic. Ariſtoteles, & omnes Philoſophi definiunt relationem per *eſſe ad*, ergo & ſolùm iſtud eſt de ratione ſpecifica relationis.

Reſp. neg. conſeq. Quia *eſſe ad* videtur quidem magis ſpecificum in relatione; & ideò illud definitur, ſed non ſequitur, quòd *eſſe in* ſit minùs eſſentiale, & ſpecificum, nec enim poteſt referre, niſi id,

[1] *in* 4. *d.* 12. *q.* 1. *D. n.* 8.

Digitized by Google

id, in quo eſt, ergo prius, & ideo eſſentialius eſt *eſſe in*, quàm *eſſe ad*.

Objic. 2. Sequeretur, relationem eſſe ens per accidens, & ſic non eſſet prædicamentalis, ergo non includit *eſſe in*. Prob. ant. Quia ex duobus conſtitueretur.

Reſp. neg. ant. & prob. ejus. Nam relatio eſt una ſimplex entitas, reſpiciens fundamentum in quo, & terminum, ad quem eſt.

Inſt. Fundamentum, & terminus eſſent de eſſentia Relationis: ſed illa ſunt res diverſorum prædicamentorum à relatione, imò & entia per ſe completa, ergo relatio eſſet ens per accidens.

Reſp. neg. maj. & conſeq. Nam, ut dictum eſt, relatio reſpicit quidem eſſentialiter utrumque, & tamen neuter eſt illi intrinſecus, & ratio eſt, quia fundamentum, & terminus ſunt abſoluta entia: nullū autem abſolutū poteſt eſſe de eſſentia relationis, ſicut nec relatio de eſſentia abſoluti; item nulla res unius prædicamenti poteſt eſſe de ratione conſtitutiva alterius; & denique cùm creatura fundet relationem realem ad Deum, ſequeretur, Deum, qui eſt terminus, eſſe de eſſentia illius relationis, quod eſt abſurdum.

Inſt. 2. Illud eſt de eſſentia relationis, ſine quo illa nec eſſe, nec concipi poteſt: ſed relatio nec eſſe, nec concipi poteſt ſine fundamento, & termino, ergo, &c.

Reſp. neg. maj. Nam aliqua ſunt ita exiguæ, ac ſimplicis entitatis, ut non poſſint definiri, nec concipi, nec eſſe, niſi cum dependentia ad aliquod extrinſecum, ut diximus de accidente, quod ſine ſubjecto non poteſt concipi, nec potentia ſine objecto & id maximè, & peculiari ratione verum eſt de relatione, cujus totum munus, & eſſe conſiſtit in referre, ſeu ordinare unum ad aliud.

QUÆSTIO IV.

De fundamento Relationis, quale ſit.

Quærimus hìc conditiones fundamenti Relationis. 1. An debeat eſſe quid reale. 2. An quid

 ſimi-

Digitized by Google

finitum, ita ut Deus non poſſit fundare relationem prædicamentalem ad creaturas. 3. An quid abſolutum, ita ut una relatio nequeat fundare aliam.

Diximus, eſse duplex fundamentum, *proximum*, & *remotum*, iſtud eſt id, quod dicitur referri, & in quo eſt relatio mediatè tantùm: ſic paries, A, eſt fundamentum, *quod*, ſeu *remotum*, relationis ſimilitudinis cum pariete, B, albedo verò eſt fundamentum *proximum*, ſeu *quo*.

CONCLUSIO I.

F*Undamentum relationis prædicamentalis debet eſſe quid reale, & poſitivum*. Ita communiter contra Nominales.

Prob. ex Scoto. *Non ens non poteſt eſſe fundamentum, vel ratio fundandi Relationem aliquam realem, quin nec terminus*, [1] ergo, &c.

Prob. ant. Nam ens reale, & poſitivum non poteſt pendere à non ente, ſed relatio prædicamentalis eſt ens reale, & poſitivum, & pendet à ſuo fundamento, ergo iſtud debet eſſe ens reale.

Prob. 2. Quia relatio pendet à fundamento, velut à cauſa quaſi effectiva, & materiali, ergo illud debet habere eſſe reale poſitivum; alioqui non poſſet dare illud eſse relationi: nemo enim dat, quod non habet, &c. ergo, &c.

Objic. 1. Privatio dicitur principium generationis, ergo non ens poteſt fundare relationem realem. Ant. ſupponitur ex phyſica. Prob. conſeq. Inter principium, & principiatum datur vera, & realis relatio, ſed privatio eſt principium, ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Principium negativum, & velut terminus à quo, conc. ant. poſitivum, & influens, nego ant. & conſeq. Ad prob. diſt. maj. Inter verum principium influens, & poſitivum datur relatio realis, poſitiva, & propria, conc. maj. inter principium negativum, & non influens, nego ant. & conſeq. Nam privatio non eſt propriè principium reale, & influens, nec per conſequens illę relationes ſunt propriæ, nec reales poſitivæ, ſed negativæ, ſicut tenebræ dicuntur reales.

Ob-

[1] *in* 4. *d*, 6. *q*, 1. *H. n*. 10.

Digitized by Google

Objic. 2. Cauſa finalis fundat veram relationem cauſalitatis ad ſuum effectum: ſed illa non exiſtit, quando cauſat, ergo non ens poteſt fundare relationem realem.

Reſp. diſt. ſimiliter maj. Relationem cauſalitatis impropriæ, ac moralis, conc. maj. propriæ, ac realis, nego maj. & conſeq. Cauſa enim finalis non eſt phyſica, nec propria, ſed metaphyſica, & moralis, & idem eſt de relatione cauſalitatis ejus.

CONCLUSIO II.

D*Eus non poteſt fundare relationem prædicamentalem ad creaturas.* Eſt etiam communis cum Doct. contra Nominales, qui cum non diſtinguant relationes ab extremis coexiſtentibus, poſſunt eas admittere in Deo,

Prob. 1. pars ex Scoto. [1] Quia *relatio realis non eſt ſine ordine: Deus autem non habet ordinem realem ad creaturam, quæ eſt ſupra ordinem*, ergo &c.

Prob. 2. ex eodem. Quia Deus eſt perfectiſſimè ſimplex, & ens neceſſarium, ergo non poteſt admittere in ſe accidens ullum reale, & diſtinctum. Prob. conſeq. Nam illud accidens diſtinctum, & reale faceret compoſitionem aliquam in Deo, quod repugnat ſimplicitati, immutaret illum, quod repugnat immutabilitati, ac neceſſitati eſſendi, ergo &c.

Confirmatur. Quia quotidie, imò ſingulis momentis producuntur novæ creaturæ, nova entia, & aliqua pereunt, ergo ſingulis momentis advenirent illi novæ relationes, & innumeræ perirent.

Dices, emergere, & perire quoad denominationem, non quoad entitatem, quæ ſemper manet.

Contra. Quia, ut diximus, relationes illæ ſunt reales entitates, ergo ſi remanent quoad entitatem, ita & quoad denominationem.

Objic. Deus verè, & realiter denominatur creator, & conſervator: ſed illæ denominationes ſunt, aut important relationes reales, ergo dantur in Deo relationes reales.

S 5 Reſp.

[1] *in* 1.*d*.30.*q*.2.*n*. *q*.*n*.14.

Reſp. diſt. maj. Denominatur creator in tempore per denominationem extrinſecam, conc. mai. intrinſecam, neg. maj. & conſeq. Deus igitur in tempore denominatur creator, propter creationem paſſivam, quæ recipitur in creatura, & terminatur ad ipſum.

Inſt. Inter producentem, & productum, cauſam, & effectum, datur relatio mutua, ergo & inter creatorem, & creaturam, ergo erit in Deo relatio realis, ſicut in creatura.

Reſp. diſt. ant. Si producens ſit capax talis relationis novæ, conc. ant. ſi non ſit capax, nego antec. & conſeq. Deus enim non eſt capax talium accidentium, & formarum propter ſummam ſuam ſimplicitatem, neceſſitatem, & immutabilitatem.

Objic. 2. In Deo admittuntur relationes reales *ad intra*, ergo & ad *extra*. Patet ant. Nam paternitas, filiatio, & ſpiratio ſunt veræ, & reales relationes. Prob. conſeq. Quia non minùs verè Deus producit hominem, & creat mundum, licèt liberè, & in tempore, quàm generat Verbum, licèt neceſſariò, & æternè, &c. ergo, &c.

Reſp. neg. utramque conſeq. Nam relationes internæ nullam in Deo arguunt compoſitionem, aut mutationem, ſicut arguerent temporales, & æternæ, propter diſtinctionem, & contingentiam. Item internæ dicunt ordinem ad æquale, ſi verò referretur ad creaturas, eſſet ordo ad inæquale, ut docet Scotus citatus.

Objic. 3. Admittuntur in Deo tranſcendentales, ergo & prædicamentales. Prob. ant. Nam, nullo cogitante, Deus eſt omnipotens, omniſciens, &c. ſed hæ ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices in illo, & reſpiciunt creaturas poſſibiles, & ſcibiles, ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & 2. p. min. Sunt enim perfectiones abſolutę fundamentaliter, quamvis ſecundum aliquam denominationem extrinſecam reſpiciat creaturas, ſeu potiùs explicetur, & à nobis concipiatur per ordinem ad creaturas. Nam, licèt implicarent omnes creaturæ, non minùs eſſet omnipotens, idem eſt de denominationibus Domini, &c. quæ ſunt quidem reales, ſed extrinſecæ.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO III.

Una *relatio realis poteſt fundare aliam.* Eſt Doctoris [1] cum ſuis, & aliis magis communiter.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [2] *quòd poſſent fortè aliæ relationes propriæ fundari ſuper res aliorum generum, ſicut proportionalitas ſuper relationem, ſive ſimilitudinem duarum proportionum*, quod confirmat magis poſitivè l. 2. Dicit prætereà, *quòd filiatio in filio poſſet eſſe fundamentum alicujus habitudinis filii ad patrem; puta obligationis ad dilectionem naturalem, & ſi poſſibile eſſet filiationem ſolam eſſe, &c.* quod probat auctor. Euclidis definientis, [3] *proportionalitatem eſſe duarum propoſitionum ſimilitudinem.*

Prob. 2. Quia Relationes ſuſcipiunt denominationes veras, & reales non minùs, quàm cætera accidentia abſoluta, ergo una relatio poteſt fundare aliam. Prob. ant. Duæ paternitates dicuntur ſimiles, æquè ac duæ albedines: ſed ſimilitudo eſt relatio, ſeu denominatio illa eſt à relatione, & eſt ſeparabilis à ſuis extremis, æquè ac ſimilitudo duorum alborum, ergo &c.

Objicies 1. Relatio dicitur tenuiſſima entitas, ergo una non poteſt fundare aliam. Probatur conſeq. Nam fundare idem eſt, ac ſuſtentare: ſed in ſuſtentante requiritur major entitas, quàm in ſuſtentato, ergo una relatio non poteſt fundare aliam.

Reſp. 1. neg. conſeq. & min. probationis. Nam materia prima eſt minoris, ſeu tenuioris entitatis, quàm forma, quam ſuſtentat.

Reſpondeo 2. neg. eandem conſeq. & ſuppoſitum probationis. Supponit enim, non poſſe dari unam relationem perfectiorem alia, quod fortè eſt falſum, & ideò una poterit fundare aliam. Denique illa ſuſtentatio non exigit tantum robur, quia relatio non eſt ullius ponderis.

Objic. 2. Relatio fundata in alia relatione non pertineret ad ullam ex ſpeciebus aſſignatis ab Ariſtotele, ergo

S 6

[1] *In 1. d. 19. q. 125.* [2] *in 2. d. 1. q. 5. n. 23. n. & in 4. d. 6. q. 10. E. & quodl. 3. p.* [3] *l. 5 Geomet.*

Digitized by Google

ergò vel non aſſignavit omnes ſpecies relationum, vel nulla eſt, quæ poſſit fundari in relatione. Prob. ant. Fundamenta illa ſunt unitas ſubſtantiæ, Quantitatis, & qualitatis: ſed unitas Relationis ad nullam illarum trium reduci poteſt, ergo, &c. Prob. min. Relatio non pertinet ad ſubſtantiam, nec quantitatem, ergo, &c.

Reſp. nego antec. primi argumenti, min. ſecundi, & ant. tertii. Nam per unitatem ſubſtantiæ intelligitur unitas eſſentiæ, & ſic omnes relationes, quæ fundantur in ſimilitudine, vel diverſitate eſſentiæ, pertinent ad illam primam ſpeciem, talis eſt relatio, quæ fundatur in alia: eſt enim inter duas relationes eſſentialiter ſimiles, aut diverſas.

Objic. 3. Daretur proceſſus in infinitum, ſed hoc eſt abſurdum, ergo, &c. Prob. maj. Nam ſicut paternitas una fundaret relationem ſimilitudinis, fundaret aliam ſimilitudinem cum alia, & ſic in infinitum, ergo, &c.

Reſpondeo, ex Scoto, [1] neg. maj. & ant. probat. Nam, ut fert commune axioma, in rebus ejuſdem rationis ſiſtendum eſt in primo, *Quo*, unde, licèt inter duas paternitates reſultet relatio realis ſimilitudinis, & ab illis paternitatibus diſtincta, quia eſt ab eis ſeparabilis, non ſequitur, quòd iſta ſimilitudo poſſit fundare aliam ſimilitudinem diſtinctam, ita ut detur ſimilitudo ſimilitudinis quia ſunt ejuſdem rationis, & inſeparabiles; & ideò in prima ſiſtendum eſt, ſicut non datur albedo albedinis, nec actio actionis, nec modus modi.

Inſt. In relationibus rationis Scotus admittit proceſſum in infinitum, [2] ergo & in realibus. Probatur conſeq. Quia non eſt major ratio de illis, quàm de iſtis.

Reſp. neg. ant. & conſeq. prob. Nam aliud eſt de entibus realibus, aliud de entibus rationis, & fictitiis, quæ ab intellectus facultate pendent.

QUÆ-

[1] *Quodlib. 3. p. n. 15.* [2] *in 4. d. 6. q. 10. ſub E. n. 6.*

Digitized by Google

QUÆSTIO V.

Quotuplex ſit fundamentum Relationis, ſeu de triplici genere Relationum.

JAm diximus, fundamentum Relationis aliud eſſe *remotum*, ſeu *materiale*, & eſt res, quæ refertur per Relationem: aliud *proximum*, ſeu *formale*, & eſt Ratio, ſub qua refertur. Paries albus eſt fundamentum *remotum*, & *materiale* ſimilitudinis cum alio pariete albo: albedo verò eſt *formale*, ſeu *proximum*. Ex triplici autem fundamento Ariſtoteles tres modos, ſeu tria genera relationum diſtinxit. 1. eſt *unitas*, & *multitudo*, ſeu numerus. 2. *potentia activa*, & *paſſiva*, ſeu potentiarum actiones, & paſſiones. 3. *menſura*, & *menſurabile*.

Igitur res omnes, quæ habent inter ſe unitatem, vel multitudinem, ſeu numerum, ſunt fundamenta remota primi generis relationum, & præcipuè Subſtantia, Quantitas, & Qualitas: unitas verò, & multitudo ſunt fundamenta proxima illarum: unde iſtud genus eſt inter ea, quæ ſunt inter ſe una, vel diverſa; & ad illud pertinent relationes *identitatis*, & *diverſitatis*; *æqualitatis*, & *inæqualitatis*; *ſimilitudinis*, & *diſſimilitudinis*.

Relatio *identitatis* eſt inter ea: quorum ſubſtantia, ſeu eſſentia eſt una, v. g. inter Petrum, & Paulum, quorum eſſentia, ſc. humanitas eſt una: & ſimiliter inter duas albedines in abſtracto, quatenùs ſunt ejuſdem naturæ: nam hìc ſubſtantia, & eſſentia, idem ſignificant; &ècontra relatio diſtinctionis, ſeu diverſitatis eſt inter ea, quorum ſubſtantia non eſt una, ſed multiplex: ut inter Petrum, & Paulum frigus, & calorem, &c.

Relatio *æqualitatis* eſt inter ea, quorum quantitas eſt una, ut inter duas ulnas, duos palmos: *inæqualitatis* verò eſt inter ea, quorum quantitas eſt multiplex, ſeu non una, ut inter ulnam, & palmum, & quidem hoc intelligitur tam de quantitate *perfectionis*, & *virtutis*, quam *molis*: ſic nobilis, & ruſticus dicuntur inæquales, ſc. dignitate, Petrus, & Paulus æquales perfectione eſſentiali.

Rela-

Digitized by Google

Relatio *ſimilitudinis* eſt inter ea, quorum qualitas eſt una, & hoc tam de qualitate eſsentiali, quàm de accidentali, ideò Petrus, & Paulus ſunt ſimiles in rationalitate, & duo parietes in albedine, & ſic relatio diſſimilitudinis eſt eorum, quorum qualitas non eſt una, ut Petrus, & equus; album, & nigrum: primi diſſimiles ſunt in qualitate eſſentiali, & ſecundi in qualitate accidentali.

Ad 2. genus pertinent potentiæ omnes activæ, & paſſivæ, quæ ſunt fundamenta remota ſecundum Thomiſtas, actiones autem, & paſsiones ſunt proxima: ſed ego exiſtimo, ipſam ſubſtantiam agentium, ſive potentias radicales eſse fundamenta remota, & potentias activas, atq; paſsiones eſse fundamẽta formalia, & proxima; actiones verò, & paſſiones eſſe vel ipſaſmet relationes, per quas agens, & paſſum ſeſe reſpiciunt, vel ſaltem conditiones, ſine quibus relationes inter producens, & productum, agens, & paſsum, generans, & generatum non reſultarent.

Ratio eſt ex Scoto. [1] *Quia illæ relationes, quæ videntur fundari ſuper actionem, & paſſionem, non inſunt, quandò actio, & paſſio eſt.* Relatio paternitatis non eſt adhuc, quandò *Petrus* generat, ſed tantùm reſultat, *quandò proles* formata eſt; tunc enim, *ſicut proles incipit eſſe filius, ita qui genuit, incipit eſſe pater*, licèt non ſit ampliùs actio generandi: item eadem Relatio *ineſt etiam, quando actio, & paſſio non ſunt*. Relatio autem non poteſt eſſe ſine ſuo fundamento, ergo actio, & paſſio non ſunt fundamenta relationum paternitatis, & filiationis. Tranſacta igitur generatione, homo generans dicitur pater, à potentia, & actione, ſed per denominationem, quæ remanet ex actione præterita, & nihil aliud ſignificat, niſi, quòd ille genuit; & ſimiliter in filio deſignat paſſionem præteritam.

Igitur ad genus relationum reducuntur relationes omnes tam intrinſecùs, quàm extrinſecùs advenientes, fundatæ ſuper potentiam activam, & paſſivam, ſive reſultantes inter producens, & productum, inter agens, & paſſum, poſt actionem, & paſſionem, & ideò ſex ultima prædicamenta,

quæ,

[1] *in 4. d. 13. q. 5. P. 7.*

Digitized by Google

quæ, ut dicemus, ſunt relationes extrinſecus advenientes, & involvunt aliquid actionis, & paſſionis.

3. Genus Relationum diſtinguitur à duobus præcedentibus, non *per mutuam, vel non mutuam dependentiam*, inquit Scotus, [1] *ſed per fundamenta alia, & alia*. Quia fundantur ſuper *menſuram*, & *menſurabile*, ideò fundamentum proximum iſtarum eſt intima cujuſque rei perfectio ab alio tanquam ab extrinſeca menſura proveniens, & ideò relationem realem in uno tantùm extremo fundat, ſic ſcientia refertur ad objectum ſcibile, quam terminat extrinſecè, & menſurat ejus perfectionem: ſed iſtud non refertur ad ſcientiam, ſaltem relatione reali, ita eſt de ſenſu ad ſenſibile: nam ſenſus ordinatur realiter ad objectum ſenſibile per actum ſentiendi, ſed iſtud non habet ſentiendi facultatem, perfectio autem, vel imperfectio ſcientiæ, aut ſenſationis menſuratur ab objectis, ſecundum quod eſt magis, aut minùs conformis eiſdem, ſed hæc nihil accipiunt, id eſt nulla ratione dependent, aut perficiuntur à ſcientia, vel ſenſationibus.

Ad hoc igitur genus ſpectant ſcientiæ, ſenſationes, conformitates imaginum ad exemplaria, idearum ad objecta, & denique unitas, veritas; bonitas, malitia, perfectio, & imperfectio; hęc enim pendent à commenſuratione.

QUÆSTIO VI.

De termino relationis, an ſit quid abſolutum, vel relativum.

JAm diximus, terminum Relationis prædicamentalis debere eſſe actu exiſtentem: hìc ſpecialiter inquirimus, an relatio ſit in illo ratio terminandi relationem, v. g. an relatio paternitatis in Petro terminetur ad relationem reciprocam filiationis, qua Paulus filius reſpicit Petrum, ut patrem, an verò ad ſubſtantiam ipſius Pauli, quam Petrus genuit. Quæſtio autem procedit tam de mutuis relationibus, quàm de non mutuis.

CON-

[1] 5. *Metaph.* q. 22.

Digitized by Google

CONCLUSIO.

R*Elatio ſive non mutua, ſive mutua, terminatur ad abſolutum*. Eſt Doctoris [1] quoad utramque partem cum ſuis omnibus, & aliis contra Thomiſtas.

Prob. 1. p. *ex Scoto*. Relationes menſurati, id eſt, tertii generis, ſemper terminantur ad abſolutum. *Relationes creaturarum ad Deum terminantur, inquantum abſolutus eſt*: ſed illæ ſunt non mutuæ, ergo relationes non mutuæ terminantur ad abſolutum. Prob. maj. Quia in illis terminis nulla eſt relatio realis, qua reſpiciant relatum; ſunt enim entia purè abſoluta, ut Deus, ergo non terminant per ullam relationem.

Dices, quòd tunc intellectus illis attribuit relationem rationis, per quam reſpiciunt relatum.

Contra. Relatio in relato, ſeu fundamento præcedit omnem actum intellectus circa terminum, ergo præcedit omnem illam relationem rationis, ergo illa non eſt ratio terminandi relationem realem. Probatur antecedens. Quia relatio fundamenti eſt realis, ergo præcedit omnem actum intellectus.

Confirmatur. Quia ens reale non poteſt pendere ab ente rationis, ergo relatio prædicamentalis non poteſt pendere à termino per correlationem rationis.

Dices 2. Terminum denominari relativum à relatione ipſa, quam terminat, & ſecundum illam denominationem extrinſecam terminat.

Contra 1. Quia denominatio illa poſterior eſt Relatione, ergo relatio non poteſt pendere ab illa denominatione, tanquam a termino, ex quo reſultet. Patet antecedens. Nam ideò paries denominatur viſus, quia terminat viſionem, quæ eſt in oculo. Patet etiam conſeq. Nam relatio prædicamētalis cauſatur per reſultantiam inter extrema realia, & ſic pendet ab illis, ut coexiſtentibus, & concauſis, & per conſequens eſt poſterior illis, ſaltem natura.

Con-

[1] *In* 1. 1. *d.* 26. *q. un. T. n.* 43. & *d.* 30. *n.* 2. §. *Reſpondeo E. n.* 8. & 9.

Digitized by Google

Contra 2. Quia, ſi relatio, quæ eſt realis in fundamento, eſſet in termino ratio terminandi, illa terminaretur ad ſe ipſam: ſed hoc eſt abſurdum, ergo, &c.

Contra 3. Quia referri propriè eſt habere in ſe relationem, & nihil poteſt referri per relationem, quæ eſt in alio, ergo terminus non poteſt referri ad fundamentum, nec illud reſpicere per denominationem à relatione, quæ eſt in fundamento.

Prob. 2. eadem pars ex ſecunda. Nam relationes mutuæ non terminantur ad relativum, ergo multò minùs ſic terminantur non mutuæ. Ant. patebit ex dicendis mox.

Prob. 3. quo ad utramque partem, &, ut loquitur Scotus, *per omnia relativa*. *Nam terminus, ut terminus eſt prior relatione*, ergo non terminat per ullam relationem. [1] Prob. ant. Nam relatio cauſatur, ſeu reſultat inter fundamentum, & terminum realiter coexiſtentia: ſed omnis cauſa, ut cauſa, eſt prior effectu, ergo tam terminus, quàm fundamentum eſt prior Relatione.

Confirmatur hoc. Quia non minùs Relatio pendet à termino, quàm à fundamento: ſed iſtud eſt prius relatione, ergo & ille. Prob. maj. Tam eſſentiale eſt relationi reſpicere terminum, quàm referre fundamentum, ergo, &c.

Dices. Terminus actionis non eſt prior actione: ſed actio eſt relatio, ergo terminus non eſt prior relatione.

Sed contra. Nam actio eſt quidem relatio, ſed extrinſecùs adveniens, & non mutua, quæ non reſultat in agente ex termini exiſtentia, ſed eſt potiùs motus, & via, qua agens dat exiſtentiam termino. Agimus autem de relatione, quæ eſt de tertio prædicamento accidentis, & quæ reſultat in fundamento ad poſitionem termini, ergo non valet paritas.

Contra 2. Quia actio generativa, qua *Petrus* generat *Paulum*, non terminatur 1. ad filiationem Pauli, ſed ad ſubſtantiam, quam generat, ergo, &c.

Prob.

[1] *ibid. ſub F. §. hoc etiam prob.*

Digitized by Google

Prob. 2. Præciſa quacumque relatione ab albo, B, ſimilitudo albi, A, terminatur ad illud, ergo ſimilitudo albi, A, non terminatur ad ſimilitudinem albi, B, ſed ad ejus albedinem.

Confirmatur. Quia diſſimilitudo albi ad nigrum non terminatur ad diſſimilitudinem nigri ad album, ergo idem eſt de ſimilitudine. Probatur antec. Album, & nigrum non ſunt diſſimilia ratione diſſimilitudinis reciprocæ: ſed potiùs in hoc ſunt ſimilia, ergo diſſimilitudo illorum terminatur ad nigredinem, & albedinem, ergo ad abſoluta.

Probatur denique ex vulgari axiomate. Quod in uno quoque extremo eſt ratio fundandi relationem, eſt etiam in alio terminandi alteram correlationem: ſed in pariete albo, A, abſolutum, ſc. albedo, eſt ratio fundandi relationem ſimilitudinis ad album B, ergo & abſolutū, ſc. albedo, erit ratio terminandi.

Non negamus tamen, quin una relatio poſſit terminare aliam, v.g. ſimilitudo inter duas paternitates terminatur ad illas, & in illis fundatur, ſed hoc eſt per accidens.

Objic. 1. ex Philoſopho. [1] Unum relatum ponitur in definitione alterius, ergo eſt terminus ejus ſecundum relationem. 2. Quocunque abſoluto præciſo ab homine, modò remaneat in eo *eſſe domini*, adhuc terminabit *ſervitutem*, ergo relatio ſervitutis terminatur ad relationem domini, ex Ariſtotele, ergo relatio terminatur ad relationem, non ad abſolutum.

R. Reſpondeo neg. conſeq. Nam, licèt unum relativorum non ſoleat, aut fortè non poſſit benè cognoſci ſine alio (correlativa enim ſunt ſimul natura, & cognitione) id non venit ex eo, quòd terminentur ad relationem; alioquin etiam fundamentū deberet fundare per relationem, ſed venit ex eo, quòd objecta æquè, & ſimul applicentur intellectui, & ideò determinant illum ad utrumque ſimul intelligendū.

Dixi, *aut fortè non poſſit benè intelligi ſine alio*: non enim video, cur non poſsit cognoſci Petrum habere relationem paternitatis abſque eo, quòd intelligatur alium habere relationem filiationis ad ipſum

[1] *l.2, topic. t. 56. & 57.*

Digitized by Google

ipſum, quamvis una relatio non poſsit eſſe à parte rei ſine alia.

Objic. 2. Illud eſt terminus formalis relationis, quo poſito ponitur, & quo ſublato tollitur, ſed poſita correlatione in termino, verbi gratia, filiatione, ponitur paternitas, & ea ſublata tollitur, ergo filiatio eſt ratio terminandi relationem paternitatis.

Reſpondeo 1. retorquendo argum. Nam poſita albedine in pariete, B, ponitur ſimilitudo in pariete, A, & ea ſublata tollitur, ergo albedo eſt ratio terminandi ſimilitudinem.

Reſpondeo 2. diſt. mai. Si illud ſit aliquid prius, quo poſito ponatur relatio, velut effectus, conc. maj. ſi ponatur tantùm velut concomitans, neg. maj. Correlatio verò filiationis non eſt quid prius, nec veluti cauſa relationis paternitatis, & debet eſſe terminus, ſed eſt aliquid purè concomitans abſque ullo influxu in paternitatem.

Objic. 3. Datur oppoſitio inter correlativa, ut correlativa ſunt, ergo relatio terminatur ad relationem. Prob. conſeq. Ratio terminandi oppoſitionem relativam debet eſſe relativa: ſed omnis oppoſitio prædicamentalis eſt relativa, ergo terminus formalis, ſeu ratio terminandi eſt relativa. Prob. maj. Illa eſt ratio terminandi oppoſitionem relativam, per quam terminus contraponitur, & correſfertur relativo: ſed hæc ratio eſt formaliter ipſa correlatio, ergo, &c.

Reſpondeo neg. conſeq. & maj. utramque. Quia munus termini formaliter, ut terminus eſt, non eſt reſpicere fundamentum, ſed eſt ſiſtere, non verò referre relationem, ergo eſt aliquid abſolutum etiam in ipſis relationibus. Igitur paternitas, & filiatio, verbi gratia (idem eſt de cæteris) ratione fundamenti, & termini formalis: non ſecundum ſe præciſè, & formaliter opponuntur, vel, ſi opponantur, ut poteſt fieri, ſpeciali oppoſitione id fit.

Inſt. Si Petrus pater, & Paulus filius non opponerentur formaliter per relationes, haberent duas oppoſitiones, unam fundatam in eorum eſſe abſoluto, alteram in relationibus: ſed hoc eſt abſurdum, ergo,

Digitized by Google

ergo, &c. Prob. min. Non enim ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate.

Reſp. quòd licèt hoc admitteretur, non eſſet hoc magnum inconveniens, nec id negare poſſunt adverſarii: nam ſive relatio Paternitatis terminetur ad filiationem, ſive ad ſubſtantiam geniti, habet ſemper oppoſitionem ad utrumque, & maximè cum admittamus, unam relationem fundare aliam.

Inſt. 2. Si per impoſſibile paternitas, & filiatio præſcinderentur à fundamentis, adhuc inter ſe opponerentur, ergo terminarent ſe invicem ut relationes.

Reſpondeo 1. poſſe negari ſuppoſitionem, quia implicat per locum intrinſecum illa ſeparatio, ſeu præciſio.

Reſp. 2. Terminarent, ut oppoſita, concedo conſequentiam, ut relativa, nego conſequentiam. Nam, ut diximus, terminare eſt ſiſtere reſpectum, non referre. Referre, & terminare ſunt duo munia oppoſita: primum pertinet ad relationem, eſtque effectus ejus formalis; ſecundum pertinet ad rationem abſoluti.

Inſtabis. Relatio ipſa opponitur ſuo termino: ſed oppoſitio relativa non tendit ad abſolutum, ergo ad relativum, ergo terminatur ad relationem.

Reſp. diſtinguo minorem. Oppoſitio relativa inter duas correlationes non tendit ad abſolutum, concedo minorem: relativa, quæ eſt ſimpliciter ad terminum, nego minorem, & conſequentiam. Verbi gratia, paternitas, quatenùs reſpicit filium, tendit ad illum, ut abſolutum, & dicitur relatio terminativa, quatenùs verò reſpicit filiationem formaliter, ut correlationem, vera eſt minor, ſed hoc eſt per accidens, & in alia hypotheſi.

Objicies 3. Relatio Paternitatis Divinæ terminatur, immediatè ad Filiationem Verbi, ergo terminus relationis eſt quid relativum, ſeu relatio. Ant. ſupponitur ex Theologia. Probatur conſequentia. Nam eadem eſt ratio de relationibus Divinis, ac de creatis.

Re-

Digitized by Google

Reſpondeo, nego conſequentiam, & antecedens probat. Nam in divinis perſonæ Patris, & Filii conſtituuntur per ipſas relationes paternitatis, & filiationis, & ideò nihil eſt in eis prius relationibus illis, per quod poſſint terminari: non ita eſt in creatis, ubi relationes reſultant inter entia realia jam conſtituta in ſuo eſſe. Qui autem opinantur, perſonas divinas conſtitui primò per ſubſiſtentias abſolutas, poſſunt negare antecedens, ſed de hoc in Theologia.

Reſpondeo ſecundò, diſtinguo antecedens. Terminatur ad filiationem materialiter, & ſub aliquo munere abſoluto, concedo antecedens, formaliter, & reduplicativè, ut relatio eſt, nego antecedens. Relationes divinæ paternitatis, & filiationis duplici munere funguntur, conſtituunt perſonas, & hoc munus habet aliquam rationem abſoluti, & ſecundò referunt illas perſonas ad ſe invicem, & ſic habet rationem relativi.

Reſpondeo denique, quòd, licèt una relatio poſſit terminare aliam, hoc non facit referendo, ſed potiùs ſiſtendo relationem, ut dictum eſt: & ſic hoc habet rationem abſoluti.

Inſtabis. Si relatio paternitatis in Petro non terminaretur ad filiationem Pauli, Petrus eſſet pater priùs, quàm haberet filium: ſed hoc eſt implicans, ergo, &c. Prob. maj. Homo eſt priùs natura genitus, quàm ſit filius, quia filiatio reſultat in Paulo genito, & exiſtenti, ergo Petrus eſſet priùs Pater, quàm haberet filium.

Reſpondeo, nego majorem, & conſequentiam probationis. Sequitur enim tantùm, quòd Petrus in aliquo inſtanti naturæ priùs generat Paulum, & iſte ſit genitus, quàm reſultent relationes patris, & filii. Correlationes ſunt ſimul natura, & ſupponunt generantem, & genitum coexiſtentem.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO VII.

Unde ſumatur unitas , vel diſtinctio relationis.

DIſtinctio ſpecifica alia eſt *intrinſeca* , quæ venit à principiis intrinſecis rei , maximè à differentia eſſentiali conſtitutiva; alia *extrinſeca* , quæ petitur ab iis , quæ ſunt extra eſſentiam rei , quamvis hæc ab eis dependeat. Unde relationes habent duas differentias eſſentiales, per quas diſtinguuntur intrinſecè ; habent & cauſas , & circumſtantia extrinſeca , ſc. fundamentum, & terminum, à quibus dependent neceſſariò , & quæ , cùm ſint notiora, & ſenſibus obvia , inſerviunt ad earum diſtinctionem.

Rurſus unitas , & diſtinctio alia eſt *numerica* , alia *ſpecifica* ; diſtinctio *numerica* eſt inter ea , quæ ſolo numero differunt, ut duæ paternitates ; *ſpecifica* verò è contra .

Quærimus hìc de ſpecificativis extrinſecis, an relationes ſpecificentur à ſolis fundamentis , ut volunt aliqui; an à ſolis terminis , ut placet aliis , an ab utriſque, ut cenſent plurimi . Idem quærimus de diſtinctione numerica .

CONCLUSIO.

R*Elatio ſpecifica intrinſecè petitur à propria differentia; extrinſeca verò , tam à fundamento , quàm à termino formali* . Eſt Doctoris [1] cum ſuis , & aliis .

Probatur ex Scoto . *Quia relatio habet ſuam diſtinctionem in ſuas ſpecies , ſicut aliud genus habet diſtinctionem in ſpecies ſuas* (ſcilicet per differentias diviſivas, & conſtitutivas) *& tamen illa non innoteſcit , niſi per fundamenta propter modicam entitatem ſuam , quam habet in fundamentis ſuis : ita etiam in aliis , quæ habent majorem entitatem , & realitatem , quæ aliquandò diſtinctio fit per extrinſeca , & per illam cognoſcitur diſtinctio intrinſeca , quæ eſt in eis. Eſt tamen formalis intrinſeca* . Unde igitur

Prob.

[1] *in 2. d.1. q. 4. H. n.16. & q.12. Metaph. l.5. n.2.*

Digitized by Google

Prob. 1. pars. Quia idem eſt de hoc accidente, ac de aliis: ſed alia conſtituuntur, ac diſtinguuntur in ſuas ſpecies per proprias differentias ſuas eſſentiales, ergo & relationes: Quia idem eſt principium conſtitutivum, & diſtinctivum.

Patet etiam 2. pars. Primò. Quia alia accidentia ſpecificantur per extrinſeca, ergo & relationes, quæ minorem habent entitatem: ſed tam dignoſcuntur per terminos formales, quàm per fundamenta, ergo per utraque ſpecificantur.

Secundò. Quia relationes ſimilitudinis, & diſſimilitudinis in uno albo ad aliud album, & ad nigrum ſunt in fundamento eodem etiam formali, & proximo, & diſtinguuntur ſpecie: ergo eorum ſpecificatio petitur à termino, & non à fundamento ſolo, quod eſt idem in utraque. Similiter relationes, quæ fundantur & in albo, & nigro, & terminantur ad illud primum album, non ſpecificantur ab iſto termino: nam eſt idem etiam formaliter; terminat enim utramque ſecundum albedinem. Ergo diſtinctio ſpecifica non petitur à ſolo termino, ſed etiam à fundamento, ergo petitur ab utroque, aut diviſim, ut in allatis exemplis, aut conjunctim, ut in relationibus paternitatis, ſeu generationis humanæ, & equinæ.

Objic. primò. Eadem ſunt principia eſſendi, & diſtinguendi: ſed terminus non eſt principium eſſendi relationis, ergo nec diſtinguendi. Prob. min. Terminus non eſt, niſi conditio, ſine qua non reſultaret relatio, ergo, &c. Prob. antec. Quomodò enim paries, qui dealbatur Romæ, influit in relationem, quæ fundatur in pariete Camberii?

Reſpondeo, diſt. maj. Quatenùs principium eſſendi cauſat in rebus principia intrinſeca diſtinctionis, & unitatis, conc. majorem, quatenùs facit ad diſtinctionem extrinſecam, nego majorem, & conſequentiam, quidquid ſit de minori, de qua diximus ſupra. Cùm relatio ex natura ſua reſpiciat terminum eſſentialiter, undecumque habeat eſſe, id ſufficit, ut ex cognitione terminorum poſſit dignoſci differentia unius relationis ab alia, ſaltem, quandò illa differentia non poteſt haberi à fundamentis.

Objic.

Digitized by Google

Objic. 2. Relationes ſimilitudinis inter duo alba, & inter duo nigra, ſunt ejuſdem ſpeciei: ſed fundamenta illarum ſimilitudinum ſunt diverſa, ergo diverſitas fundamenti non ſpecificat relationes. Minor patet. Nam alba, & nigra ſunt diverſe ſpeciei. Major etiam clara eſt: nam utraque ſimilitudo ſpectat ad primum genus relationum, ut patet ex dictis ſuprà.

Reſp.neg.maj. Nam, ſicut viſio nigredinis differt ſpecie à viſione albedinis, ita & ſimilitudo albedinis cum alia differt à ſimilitudine nigredinis cum alia; ſunt diverſæ ſpecies ſub eodem genere, ſicut & ipſæ albedines, & nigredines ſub eodem genere qualitatis.

Inſt. Si hoc eſſet, ſimilitudines alborum diverſæ ſpeciei, v.g. inter duas nives, & inter duos cygnos, eſſent etiam diverſæ ſpeciei, ſed hoc eſt falſum, ergo & illud.

Reſpondeo nego minorem. Eſt enim eadem ratio.

Objic. Totum eſſe relationis eſt ad terminum, ergo à ſolo termino ſumit ſpecificationem.

Reſp. neg. antec. Nam pendet etiam à fundamento, & illud æquè reſpicit eſſentialiter, imò & intimiùs ab eo pendet.

CONCLUSIO II.

U*Nitas numerica, ſaltem extrinſeca, relationis petitur non ſolùm à fundamento, ſed etiam à termino, ita ut, multiplicatis terminis, multiplicentur etiam relationes: ſi termini ſunt ſeparabiles.* Eſt etiam Doctoris, & ſuorum cum aliis contra Thomiſtas. [1] Dico *ſaltem extrinſeca*. Nam relationes individuantur intrinſecè, ſicut cætera omnia accidentia, de quo aliàs.

De fundamento non dubitant Thomiſtæ, quia putant, relationes individuari per ſubjecta: ſed nos hoc non admittimus, ſed inde probamus, quia idem numero accidens non poteſt eſſe naturaliter in duobus ſubjectis, ergo nec eadem numero relatio in duobus fundamentis, quia relatio ſubiectatur in fundamēto.

Prob.

[1] *In 3. d.8. q.un. per totam.*

Probatur de terminis ex Scoto ſuſtinente, quòd in Chriſto ſunt duæ filiationes reales, una, quæ terminatur ad patrem, & eſt æterna, & una, quæ ad Mariam, & eſt temporalis, licèt denominent idem ſuppoſitum, ergo, multiplicatis terminis, multiplicantur relationes, ut patebit in Theologia.

Probatur 2. ex eodem. Quia ideò negant Thomiſtæ duas filiationes reales in Chriſto, & ideò duas relationes ejuſdem ſpeciei, quia *duæ diſpoſitiones ejuſdem ſpeciei non poſſunt poni in eodem*: ſed hæc ratio eſt falſa, ergo, &c. Probatur minor. Quia plura accidentia ſolo numero diſtincta poſſunt eſſe in eodem ſubjecto, ergo, &c. Probatur antecedens. Idem numero corpus poteſt habere plura *ubi*; eadem numero cauſa plures effectus: idem numero pater plures filios, & per conſequens plures generationes, & paternitates: plures ſpecies in eodem oculo, vel ſenſu communi, aut intellectu: verbi gratia, ſpecies plurium albedinum, aut unitatum, &c.

Probatur 3. ex eodem. Quia, ſi Petrus, verbi gratia, qui ſucceſſivè genuit filios plures, non haberet totidem numero paternitates, relativa non eſſet ſimul natura, ſed conſequens eſt contra Philoſophum, & eſt falſum, ergo, multiplicatis numero terminis, multiplicantur numero relationes. Probatur ſequela. Nam, genito primo filio, reſultat in Petro relatio paternitatis, ut patet, ergo paternitas eſſet prior tempore, quàm ſecundus, aut tertius, aut quartus filius, aut ſecunda filiatio, & poſterior primo, ſi moreretur.

Dices. Eſſet ſimul natura cum primo ſecundum ſubſtantiam relationis, & cum ſecundo ſecùndum extenſionem accidentalem ejuſdem paternitatis, unde ſecundum adverſarios, naſcentibus aliis filiis, manet ſemper eadem paternitas, quæ reſultavit in primo, ſed extenditur, & hæc ſimultas eſſentialis ſufficit, nec requiritur accidentalis.

Contra. Reſpicere terminum eſt eſſentiale relationi: nam totum eſſe relationis eſt eſſe ad aliud, ergo ſi relativa ſunt ſimul natura, illud eſt ſubſtantiale relationi, &, ſi reſpicit ſecundum, & tertium filium, id facit ex natura ſua, & non per

Digitized by Google

extenſionem; ergo à ſingulis eſſentialiter pendet.

Probatur 4. ex alio abſurdo. Nam ſequeretur eandem numero relationem eodem tempore intendi, & remitti; ſed hoc eſt impoſſibile, ergo, &c. Minor patet. Quia impoſſibile eſt idem ſimul, & ſemel moveri duobus motibus contrariis. Probatur major. Nam ponamus tria calida inæqualia, ſcilicet calidum, A, ut ſex, & calidum, B, & C, ut quatuor. Similitudo calidi, A, intenderetur, dùm calor, B, intenderetur ad quintum, aut ſextum gradum, & eodem tempore remitteretur, dùm calor deſineret ad tertium, & ſecundum gradum, B, enim fieret magis ſimile, C, minùs ſimile calido, A,

Probatur denique. Quia, dùm producitur calidum, B, reſultat ſimilitudo in calido, A, ergo etiam reſultabit alia ſimilitudo, cùm producitur calidum, C, ergo multiplicatis terminis, relationes multiplicantur in eodem ſubjecto. Probatur antecedens. Quia non eſt major ratio de primo, quàm de ſecundo.

Dices, rationem eſſe pro calido, B, quia, niſi reſultaret relatio, calidum, A, non denominaretur ſimile. Poſita autem ſemel tali denominatione, poſitio ſecundi non addit novam denominationem, ſed ſolùm extendit primam abſque nova forma relativa.

Contra. Ut, A, calidum denominetur ſimile calido, B, neceſſaria eſt reſultantia realis ſimilitudinis, ergo idem eſt, ut denominetur ſimile calido, C, alioqui denominatio reſpectu iſtius non eſſet nova, nec intrinſeca.

Et *Confirmatur* hoc. Nam relatio dependet neceſſariò, ſeu eſſentialiter à termino, ad quem illa refert fundamentum; ſed prima ſimilitudo non pendet ſpecialiter à calido, C, erat enim exiſtens realiter, antequam illud exiſteret; ergo non eſt relatio realis ad ipſum, ergo non poteſt denominare, ut realiter, & intrinſecè calidum, A, ut ſimile calido, C.

Objicies. Plura accidentia ejuſdem ſpeciei non poſſunt ineſſe eidem ſubjecto, ergo neque plures relationes ejuſdem ſpeciei, verbi gratia, plures paternitates, aut ſimilitudines. Probatur antecedens. Unitas, & diſtinctio numerica accidentium petitur à ſubjecto, ergo ſi eſt unicum numero ſubjectum,

ita & unica relatio. Iſtud eſt præcipuum fundamentum Thomiſtarum.

Reſpondeo cum Doctore noſtro, negando utrumque antecedens. Nam (ut dictum eſt, & ex profeſſo dicemus ſuo loco) individuatio non petitur à materia, nec à ſubjecto, ſed unaquæque res individuatur intrinſecè per propriam hæcceitatem.

Objicies 2. Si unus homo haberet plures numero paternitates, ſecundum numerum filiorum, eſſet plures patres: Chriſtus habens duas filiationes eſſet plures filii; abſurdum conſequens, ergo, &c. Probatur major. Nam, multiplicatis terminis, multiplicantur concreta, ergo, &c.

Reſpondeo cum eodem, nego majorem, & antecedens probat. loquendo maximè de formis accidentalibus, ſive ſint ejuſdem, ſive differentis ſpeciei; homo peritus in Logica, & phyſica non dicitur plures ſcientes; & tamen adverſarii non negabunt, illas ſcientias eſſe diſtinctiſſimas ſpecie, & numero. Debent ergo multiplicari ſuppoſita. Ideò Chriſtus Dominus, licèt habeat duas filiationes, imò & duas naturas, non dicitur duo filii, ſed unus Chriſtus, non duo, propter unitatem ſuppoſiti.

Inſtabis. Idem filius reſpicit patrem, & matrem eadem relatione; ſed pater, & mater ſunt duo termini diſtincti, ergo, &c.

Reſpondeo nego majorem. Nam duæ ſunt relationes filii ad Patrem, & matrem, & quidem diſtinctiſſimæ. Nam, mortua matre, ceſſat relatio realis filii ad illam, & conſervatur alia ad patrem.

Reſpondeo 2. diſtinguo minorem. Duo termini partiales, concedo minorem; duo totales, & adæquati, nego minorem, & conſequentiam; loquimur autem de pluribus terminis totalibus, & adæquatis.

QUÆSTIO VIII.

Qualis debeat eſſe diſtinctio inter extrema Relationis.

QUæſtio procedit de extremis *quæ*, & *quibus*; id eſt tàm de fundamento, & termino formali, ſeu ratione fundandi, & terminandi, quàm de

Digitized by Google

materialibus, ſeu fundamento, & termino remotis: an fundamentum, & terminus debeant eſſe realiter diſtincta: an verò ſufficiat diſtinctio virtualis, aut formalis ex natura rei, aut rationis. Item quæritur de ratione fundandi, an verbi gratia, eadem numero albedo exiſtens in duobus parietibus per reproductionem ſufficeret ad realem ſimilitudinem inter illos.

CONCLUSIO.

Inter fundamentum, & terminum, quæ referuntur, requiritur diſtinctio realis ad relationem, realem, & propriam; non autem in ratione fundandi, & terminandi. Eſt Doctoris [1] quoad utramque partem cum ſuis, & aliis magis communiter.

Pr. 1. ex Doct. docente, inter conditiones neceſſarias ad relationem realem *requiri diſtinctionem realem* extremorum, etiam in divinis. Dico, inquit, *quòd æqualitatis in divinis, extrema ſunt realiter diſtincta. 2. quòd ipſa etiam requirit diſtinctionem extremorum illorum. 3. ipſa non qualitercumque requirit, puta concomitanter: ſed præexigit illam diſtinctionem, primum patet, quia perſonæ divinæ dicuntur æquales iſta æqualitate una alteri: non autem dicitur eſſentia æqualis ſibi, vel perſonæ, vel è converſo* (ſe defectu diſtinctionis realis inter eſſentiam, & perſonas) *perſona autem à perſona diſtinguitur raliter.* [2] Secundum probatur auctoritate Hilarii. Similitudo ſibi ipſi non eſt: ſi autem non ſimilitudo requireret diſtinctionem extremorum, poſſet aliquid idem eſſe ſibi ſimile, ſicut eſt de identitate: idem enim eſt ſibi ipſi idem, pro eo, quod identitas non requirit extremorum diſtinctionem, &c.

Ergo non tantùm ſequitur requiri diſtinctionem realem inter fundamentum, terminum relationis realis, & propriæ, ſed etiam ſequitur ſufficere, quòd eadem numero forma, ſeu ratio fundandi ſit in utroque: nam ex eodem Doctore, & ſecundum omnes Theologos, & ex fide, æqualitas realis inter perſonas divinas attenditur penes æternitatem, ac magnitudinem virtutis, quæ eſt ca-

[1] *Quodlib. 6. ſ. n. 19. & 1. d. 35. q. un. n. 2. & 4. A. &c.* [2] *3. de Trin.*

Digitized by Google

eadem prorsùs in tribus perſonis divinis.

Patet, inquam, ex hoc diſcurſu prima pars, quia nil dicitur ſimile, vel æquale ſibi, ergo ad realem ſimilitudinem, & æqualitatem (& ſic de aliis relationibus) requiritur diſtinctio realis.

Patet etiam 2. Nam, ſicut ad hoc, ut Chriſtus Dominus dicatur æqualis Deo patri ſecundum divinitatem, ſecundum ſapientiam, potentiam, &c. ſufficit, quòd divinitas, ſapientia, potentia, &c. cum qua eſt in Patre, ſit etiam in ipſo: ergo, ut unum album dicatur ſimile alteri, ſufficit, quòd in utroque ſit eadem albedo.

Dixi autem realem propriè dictam: nam ad relationem impropriam, aut rationis ſufficit quæcumque alia diſtinctio.

Objicies 1. *contra primam partem*. Ex Scoto. [1] Relationes moti, & moventis ſunt veræ, & reales: ſed tales relationes non repugnant in eadem perſona, ſive ſuppoſito, quia idem poteſt acquirere ſibi, & efficere in ſe perfectionem ſuam accidentalem, ergo diſtinctio realis vera non requirit diſtinctionem realem extremorum.

Reſpondeo, diſtinguo majorem. Si per movens, & motum intelligas producens, & productum, cauſam, & effectum, concedo majorem, ſi cauſam motus, ſeu accidentis, & ſubjectum ejuſdem, nego minorem, & conſequentiam. Nam in exemplo Scoti, homo, & perfectio, quam in ſe cauſat, diſtinguuntur realiter, & fundant realem relationem: non idem eſt de homine, prout cauſat illam perfectionem reſpectu ſui ipſius, quatenùs illam recipit in ſe, non eſt niſi diſtinctio, & relatio impropria, ſeu rationis.

Reſpondeo ſecundò, diſtinguo minorem. In perſona eadem realiter, ſeu individualiter, concedo minorem, eadem accidentaliter, nego minorem, & conſequentiam. Nam ex eodem Scoto, inquantum medicus eſt ſanans, eſt aliud à ſeipſo, inquantum ſanatur: ſed accidentaliter, & hoc ſenſu admitti poſſet inter ſanantem, & ſanatum relatio realis. Sanatur quippe inquantum infirmus, & non inquantum medicus. Tunc enim illa particula reduplicati-

[1] *In tr. d. 2. q. 7.*

Digitized by Google

cativa, *in quantum*, cadit ſuper illas qualitates medici, & infirmi, quæ diſtinguuntur inter ſe realiter.

Objicies 2. contra 2. p. Extrema referuntur ſecundum formas, ſeu rationes fundandi, & terminandi, ergo; ſi relatio requirit extrema realiter diſtincta, forma, ſeu rationes iliæ debent etiam diſtingui realiter. Probatur conſequentia. Illæ enim ſunt ipſa extrema proxima, quæ primò ſe reſpiciunt, & per quæ remota referuntur, verbi gratia, duæ albedines, duæ quantitates ſunt primò per ſe ſimiles, & æquales, vel inæquales, & ipſis mediantibus ſubjecta dicuntur ſimilia, & æqualia.

Reſpondeo diſtinguo conſequentiam. Quandò inter illas eſt vera, & realis relatio, ut in exemplis allatis in objectione, concedo conſequentiam, quandò non eſt talis relatio, ut in noſtra hypotheſi, nego conſeq. Nam illa albedo reproducta in duobus parietibus non referretur ad ſeipſam per veram ſimilitudinem, ſed tantùm ſub ratione duplicis effectus; ſc. dealbationis, qui, ſicut diſtinguerentur, ita & inter ſe eſſent ſimiles.

Objicies 3. contra eandem. Per formas extrema fundant relationes oppoſitas, ergo & ipſæ formæ debent eſſe oppoſitæ, ſeu diſtinctæ realiter; idem enim non poteſt opponi ſibi ipſi.

Reſpondeo n. conſeq. Oppoſitio enim veniens ab hujuſmodi relationibus, quæ dicuntur æquiparantiæ, non ſunt tales, quin poſſint oriri ab eadem forma realiter, prout reproducta in duobus ſubjectis realiter diſtinctis, ſi aut actio, & paſſio veniunt ab eadem voluntate producente in ſe volitionem, & illam patiente, ſeu recipiente in ſe ipſa.

QUÆSTIO IX.

Quodnam ſit ſupremum genus hujus prædicamenti,

Quænam ejus proprietates.

QUando quidem reponimus relationes in ſpeciali prædicamento, & plures ſpecies relationum recenſuimus, quæ poſſunt ſpectare ad alia; videndum

dum reſtat , quænam ſint illæ , quæ ad iſtud propriè pertinent , & ſub quo uno genere comprehendantur ; & , ut magis diſtinguantur, videndæ ſunt illius etiam proprietates.

CONCLUSIO I.

Supremum genus hujus prædicamenti eſt relatio intrinſecus adveniens , realiter ſeparabilis à fundamento . Colligitur ex Scoto , & eſt communis. [1]

Probatur ex eodem. Nam hæc definitio connectit , & complectitur omnes relationes , quæ pertinent ad hoc prædicamentum ; & diſtinguit illas ab aliis., ergo ſic rectè collocatur , ut ſummum genus hujus prædicamenti . Probatur ant. Ea ad *aliquid ſunt* , ſecundum Ariſtotelem , *quorum eſt eſſe ad aliud ſe habere. Iſtud ineſt omnibus, quæ ſunt ad aliquid per ſe primo modo , &c.*

Confirmatur . Quia non poteſt quidquam aliud commodiùs aſſignari , ergo &c.

Dicitur autem *relatio*. & ſic excluduntur qualitas, & quantitas , quæ ſunt accidentia abſoluta . 2. *intrinſecùs adveniens*, & per hoc excluduntur ſex ultima prædicamenta , quæ ſunt relationes , ſed extrinſecùs advenientes . 3. *ſeparabilis à fundamento* ; ut excludantur relationes tranſcendentales , quæ ſunt inſeparabiles , & ideo pertinent ad prædicamenta ſuorum ſubjectorum , ſeu fundamentorum .

Objicies . Genus ſupremum relationis debet eſſe ratio una abſtracta ab omnibus ſpeciebus relationum , & de illis univocè prædicabilis : ſed talis ratio eſt impoſſibilis, ergo & genus. Probatur minor , quia non poteſt abſtrahi ratio una communis omnibus fundamentis , aut terminis relationum ; ergo nec ratio communis omnibus relationibus, probatur conſeq. quia ſicut relatio non poteſt concipi , ne in communi quidem ſine fundamento , ita fundamentum debet concipi ſub aliqua ratione communi.

Reſpondeo; nego minorem primi argumenti , con-

T 4

[1] *q.25.prædic.* §.*ad principale n.1.*

Digitized by Google

conſequentiam ſecundi, & antecedens tertii. Nam fundamentum non ponitur in definitione relationis, ſicut neque terminus, niſi velut aliquid extrinſecum: & ideo non debet eſſe quid unum determinatum.

Objicies 2. Genus ſummum prædicamenti debet eſſe quid unum: ſed nullus poteſt haberi conceptus relationis, qui ſit verè quid unum: ergo, &c. Prob. min. nulla enim eſt relatio ſine correlatione: ergo nulla datur relatio verè una, & in præciſione.

Reſpondeo: nego min. & ant. probationis, nam relationes tertii generis non ſunt mutuæ, ut dictum eſt. Reſpondeo, 2. tàm relatio, quàm correlatio in definitione allata conveniunt: tàm correlatio, quàm relatio eſt abſolutè relatio, & hæc definitio illi convenit, ideo neg. min. & ant. prob.

CONCLUSIO II.

Proprietates relationis, ſeu relativorum, ab Ariſtotele aſſignatæ ſunt, 1. quòd habeat contrarium: ſecunda, quòd habeat magis, & minus. 3. quòd relativa dicantur ad convertentiam 4. quòd ſint ſimul natura, & 5. quòd ſint ſimul cognitione.

Prima, & ſecunda non conveniunt relationi per ſe immediatè, neque etiam fortè ipſis relativis, inquit Scotus, [1] ſed ratione eorum, in uibus per ſe fundatur relatio, ſc. fundamenti & termini formalis, nam una relatio, ut relatio eſt, non expellit aliam à ſubjecto; ſed id ſpectat ad qualitates, in quibus fundatur immediatè. Item ſuſcipit magis, & minùs ratione earumdem formarum; nam ſecundum quod unum extremorum fit magis, aut minus album, vel extenſum fit, creſcit, aut minuitur ſimilitudo.

Tertia facilis eſt. Nam ſicut unum relativorum, v. g. pater dicitur ad filium, ita filius ad patrem, & hæc proprietas convenit tribus generibus relationum.

Quarta etiam facilis, nam id ſignificat, quòd unum correlativum, ut tale non poſſet eſſe, ne quidem per ullum inſtans naturæ, quin aliud exiſtat. Quin-

[1] *q. 21. præd.*

Digitized by Google

Quinta denique ſignificat, quòd una correlationum, ſeu unum correlativum, ut tale, non petit, nec poteſt cognoſci ante aliud.

Arbor, ſeu ſeries hujus prædicamenti poſſet diſponi, ut ſequitur. *Relatio intrinſecùs adveniens* ut ſupremum genus dividitur in relationem *æquiparantiæ*, & *diſquiparantiæ*. Relatio *æquiparantiæ*, *in ſuperpoſitionis*, & *ſuppoſitionis*: Relatio *ſuperpoſitionis*, in relationem *cauſæ*, & *dominii*: Relatio *cauſæ*, in *cauſæ internæ*, quæ ſunt materia, & forma compoſiti, & *externæ*, quæ ſunt efficiens, & formalis, denique relatio *cauſæ efficientis*, in hanc, & illam individualiter.

Et hæc de Metaphyſica, ſeu de ſcientia entis, & communiorum ſpecierum ejus dicta ſufficiant ad laudem, & gloriam D. o. M. v. & S. P. F.

Quidam hic agunt de ſummo ente, & de ente ſpirituali creato, ſc. de Angelis, ſed hæc philoſophis Seraphicis reſervantur in Theologia.

Finis Metaphyſicæ.

Digitized by Google

DISPUTATIO UNICA.

De Meteoris.

HÆC Diſputatio extra ordinem hìc reponitur, cùm pertineat potiùs ad phyſicam; ſed ne quid huic ſummæ phyſicæ deſit eorum, quæ ſcitu digna ſunt, & quia hic tomus tenuior eſſet aliis, ſic illius cum aliis æqualitati conſulimus. Nec id forte ingratum erit lectori, ſi poſt longas rerum abſtractarum contemplationes, & à ſenſibus remotiſſimarum, ideoque difficiliorum, ad hæc ſenſibilia, eaque curioſa, & familiaria diſtrahatur, & tantiſper in illis conſiderandis ab importuno recreetur labore. *Iſta ſcientia*, inquit Scotus, [1] *eſt valde utilis, & pulchra, & nobilis; utilis quidem primò, quia qui inclinatur ad judicandum de futuris per ſtellas, & impreſſiones ſublunares, citius judicabit, quàm ille, qui judicat ſecundum ſtellas fixas. 2. utilis ad periculorum evitationem; quia per hanc ſcientiam poſſunt eligi loca, ubi præſervamur à fulmine, à terræ motu, &c. 3. Ad habitaculi electionem, quia per illam cognoſcitur, ubi eſt bonitas fontium, & fluminum, & hujuſmodi, quæ requiruntur ad convenientem habitationem. 4. Pulchra, & nobilis, quia pulchrum, & nobile eſt ſcire cauſas hujuſmodi mirabilium effectuum, qui accidunt ſub cœlo: ut ſunt ſtellæ cadentes, capræ ſaltantes, cometæ. Galaxia, &c.* Pauca ſunt diſputanda, & ideo ab his quàm breviſſimè, & ferè ſine diſputatione me expediam. Qui prolixiora voluerit, adeat Doctorem noſtrum ſubtilem, qui poſt Ariſtotelem quatuor de his libros ſcripſit ſolidè, & erudite, ut ſolet: conſulat Cabæum, qui de iiſdem quatuor Tomos edidit, &c.

QUÆ-

[1] *L.1.q.1.n.2.*

Digitized by Google

QUÆSTIO I.

De nomine, Exiſtentia, Quidditate, & materia efficiente, & loco Meteorum.

MEteoros [1] græcè, ſignificat *ſublime*, apud latinos, & hic uſurpatur ad ſignificanda quædam eventa, quæ ex Elementis alteratis, & mixtis in ſublime fiunt, pro ut halitus, ex quibus conſtant, plùs, aut minùs attolluntur. Vocantur etiam *Mixta imperfecta*; quia non habent formas ſubſtantiales diſtinctas eſſentialiter à formis elementorum; ut *nix*, *grando glacies*, &c. non differunt eſſentialiter ab aqua, ſed tantùm per quaſdam qualitates peregrinas.

Hæc autem nomen Meteororum habent à locis ſublimibus, in quibus, ut plurimùm fiunt. Dico, *ut plurimum*; multa enim fiunt etiam in imis terræ viſceribus, ut ventus ſubterranei: ſed maxima eorum pars generatur in regionibus aeris, unde alia terrea, alia aquea, alia aerea, alia ignea dicuntur, ut patebit.

Porrò, ſupponendum. 1. quòd calore cœleſti inferior orbis moles internè agitatur, vel induratur, vel incraſſatur, vel attenuatur, & in halitus, ac ſpiritus ſubtiliſſimos reſolvitur. Hi autem halitus, ſeu ſpiritus, ſi ex terra elevantur, *exhalationes*, ſi ex aqua, *vapores*, dicuntur. Ambo ſunt ex ſe frigidi, & per accidens, atque ab extrinſeco calidi, nempe vi caloris cæleſtis, quo ex reliqua ſua materia extrahuntur: ſed, qui ex terra ſicciores ſunt, & qui ex aqua humidiores: Utrique tamen ob tenuitatem, & raritatem alienis facilè terminis coercentur, quod humiditati proprium eſt.

Hinc eſt, quòd hujuſmodi halitus copioſiores ſunt, ubi nec calor vehementior eſt, quia illos abſumeret, nec frigus acerbius, quia nimium adderet, & attenuationem impediret. Unde in autumno, & hyeme, mane, & veſpere major fit evaporatio, maxime poſt pluvias, quia terra imbri-

[1] *Scotus l.1.meteor.q.1.n.7.*

bribus madefacta ſolvitur faciliùs. Sic continuè talium halituum vis per aerem aſcendit, & divagatur, quia ingens eſt caloris cœleſtis virtus, & ingentem illi materiam ſubminiſtrant paludes, ſtagna, flumina, &c. His adde cicularem tranſmutationum viciſſitudinem, quibus denſiora Elementa in ſublimiora, & hæc rurſus in illa, reciprocè, & alternatim convertuntur.

¶ *Notandum etiam*, quòd in Meteoris [1] explicandis, ſæpiùs utimur nomine impreſſionis: hoc autem impropriè, & largè ſignificat. *Omnem actionem, qua imprimitur ſubjecto forma aliqua, vel*
„ *qualitas*, inquit Scotus: *ſed in propoſito*, impreſ-
„ ſio poteſt dici de quatuor. 1. de alteratione ſe-
„ cundum qualitatem aliquam ſecundam, quæ im-
„ mediatè conſequitur alterationem primarum
„ qualitatum, vel etiam elementorum, & talis al-
„ teratio eſt, ſicut *inflammatio*, *coloratio*, *congela-*
„ *tio*, &c. 2. dicitur de mixto conſequente altera-
„ tionem iſtam: ſicut *de hiatibus*, *voraginibus*, de
„ *grandine*, *pluvia*, &c. 3. dicitur *de qualitatibus*,
„ & *operationibus* talium mixtorum, ut ſunt *color*
„ nubis; *ſonus tonitrui*, *ictus fulminis*, *motus ven-*
„ *ti*, &c. hæc inquam dicuntur *impreſſiones Meteori-*
„ *cæ*. 4. dicitur de *impreſſionibus apparentibus* ex re-
„ flexione radiorum corporis luminoſi, ſicut de
„ *Halo*, Iride, parheliis, virgis, &c.

Vapor eſt [2] *quidam fumus per aſtrorum, & ſolis actionem elevatus ab aqua, & corporibus aqueis, cujus naturalis complexio eſt calida, & humida, & ex quo natæ ſunt fieri nubes, pluviæ, grandines, rores, pruinæ*, &c. Exhalatio verò, *eſt fumus per actionem ſolis, & aliorum aſtrorum calefacientium à terra, & corporibus terrenis elevatus, qui naturaliter eſt calidus, & ſiccus, & ex quo natæ ſunt fieri impreſſiones ignitæ*, verbi gratia ſtellæ, Cometæ, Venti, terræ motus, &c. Diſputatur autem, an vapor, & exhalatio differant eſſentialiter à natura Elementorum, à quibus extrahuntur.

CON-

[1] *L.* 1. *Meteor. q.* 1. *n.* 7. [2] *ibid. q.* 6. *n.* 3.

Digitized by Google

CONCLUSIO I.

V*Apor, & exhalatio, quantùm ad diſpoſitiones qualitativas non ſunt de natura aquæ, nec terræ:* bene verò quoad formam ſubſtantialem.

Prob.1. Pars. ex Scoto [1] Illa non ſunt ejuſdem naturæ, quæ habent inclinationes oppoſitas, ſed vapor, & exhalatio habent inclinationes naturales oppoſitas inclinationibus aquæ, & terræ, ergo non ſunt ejuſdem naturæ. Major eſt certa; nam ſimilis natura ſimiliter inclinat; probatur min. vapor, & exhalatio ex ſe inclinant ferri ſurſum, aqua verò, & terra deorſum; ergo habent inclinationes oppoſitas.

Prob.2.par.1. ex Ariſt. [2] dicente, *vapores eſſe partes aquæ ſecretiores*, 2.quia experientia docet, eos vapores, cùm liquefiunt, & ſibi relinquuntur, reſolvi in aquam, non per novam generationem, vel converſionem, ſed per reſolutionem. 3. quia nulla eſt neceſſitas diſtinguendi vapores ab aqua, pluſquam accidentaliter, ut patebit ſolutione objectionum, & idem eſt de exhalationibus, ergo non diſtinguitur quoad formas ſubſtantiales.

Objic.1.ex Scoto. [3] Vapor eſt de natura aeris, ergo quoad formam ſubſtantialem non eſt de natura aquæ; probatur ant. habet diſpoſitiones aeris, ſcilicet caliditatem, & humiditatem, ergo & naturam.

Reſpondeo d. ant. quantum ad ſuas diſpoſitiones qualitativas, conc. ant. quoad formam ſubſtantialem n. ant. & diſt. ſimiliter. 2. habet caliditatem ab extrinſeco, conc. ant. ab intrinſeco, & à propria forma n. ant. nam habent caliditatem ab agente, quod elevat ipſum ab aqua, inquit Doctor, humiditatem vero ab ipſa aqua.

Objic. ſi vapor eſſet ſubſtantialiter aqua, motus ſeorſum eſſet illi violentus, nam aqua eſt corpus grave: ſed conſequens eſt contra experientiam; ergo vapor non eſt ſubſtantialiter aqua.

Reſpondeo d. maj. eſſet illi violentus ratione ſtatus ſui naturalis, conc. maj. ratione ſtatus præſentis, neg. maj. & conſeq. Aqua in ſtatu ſuo fluido, & elemen-

[1] *ibid.n.4.* [2] 1. *Meteor. c.3.* [3] *ib. Concl.2.*

mentari gravitat, & ideo motus ſeorſum eſt illi violentus, in ſtatu verò fumoſo, nebuloſo, & ſubtilizationis aliqualiter levitat, & maxime per attractionem ſyderum, ideoque ille motus eſt ſemper aliqualiter violentus.

Inſt. ſi vapor eſſet ejuſdem naturæ ſubſtantialis cum corpore, à quo elicitur, aqua vitæ eſſet ſubſtantialiter vinum, & poſſet conſecrari in calice: ſed hoc eſt falſum, ergo & illud. Prob.maj. Vinum enim eſt materia conſecrationis in calice.

Reſpondeo neg. ſeq.1. Quia vinum non eſt corpus ſimplex, ſed mixtum, ideò vapor ab illo extractus non eſt vinum. 2. quia aqua vitæ non eſt pura, & ſimplex exhalatio, ſed aliud corpus ex vino generatum. 3. quia, etiam dato, quòd eſſet purus vapor, adhuc non eſſet materia idonea conſecrationis, illa enim, ex omnium Theologorum ſenſu, eſt vinum commune, & uſuale, qualis non eſt aqua vitæ: quia non utimur illa ad ſitim ſedandam, & cibos diluendos, ſed hoc in Theologia.

Inſt.2. Vapores etiam fiunt per veram generationem: ergo tam differunt ſubſtantialiter ab aqua, quàm ille liquor à vino. Prob. conſeq. nam generatio fit per tranſmutationem unius formæ in aliam: ant. etiam prob. nam eadem eſt ratio de vaporibus aquæ, & vini.

Reſpondeo neg. ant. nam vapores exhalantur per alterationem accidentalem, ſcilicet vi caloris ab extra inducti, quo partes ſubtiliores rareſiunt, & incaleſcunt, ac elevantur.

Objic.3. Exhalatio, & vapor ſunt corpora mixta, terra verò, & aqua ſunt elementa ſimplicia: ergo exhalationes, & vapores differunt ſubſtantialiter ab aqua, & terra.

Reſpondeo Diſt. ant. ſunt mixta imperfecta: conc. ant. perfecta: n. ant. nam, ut jam notavimus: dicuntur mixta imperfecta, quia non habent formas ſubſtantiales diverſas ab elementis ſuis.

Hinc Meteora deſcribi ſolent, *corpora mixta imperfecta formam Elementi retinentia*, quæ deſcriptio patet ex dictis.

Colligis 2. cauſas materiales Meteori remotas eſſe Elementa, & præcipuè terram, & aquam, proximas

mas verò vapores, & exhalationes ſupradictas.

Dico, *præcipuè*: nam cùm vapores, & exhalationes, ſeu ſpiritus nihil aliud ſint ſubſtantialiter, quàm partes tenuiſſimæ ſubſtantiarum, à quibus extrahuntur, quælibet ſubſtantia habet ſuos vapores, aut exhalationes.

Colligis 3. quòd non ſolum vapor, & exhalatio differunt eſſentialiter ratione principiorum, ex quibus fiunt, ſed etiam ipſi vapores inter ſe differunt æquè, ac corpora omnia, ex quibus elevantur. Ita eſt de Exhalationibus. Ratio clara eſt ex concluſione: nam includunt formas ſubſtantiales rerum, à quibus extrahuntur, ideò conveniunt accidentaliter, & differunt etiam ſubſtantialiter.

Conveniunt. 1. quod utraque habent ſpeciem fumi: ambo calida ſunt ab extrinſeco, ſcilicet à ſole, aut alio ſydere: differunt verò 1. quia vapor ex locis humidis elevatur, exhalatio ex ſiccis. 2. vapor eſt calidus, & humidus; Exhalatio calida, & ſicca. 3. per formas ſuas ſubſtantiales, ut dictum eſt.

Cauſæ aliæ Meteororum, ſunt 1. *efficientes*. Ut Deus, qui eſt cauſa principalis, & univerſalis omnium, & Aſtra, maximè ſol. 2. *inſtrumentales* ſunt quatuor qualitates Elementares, quæ attenuant, aut condenſant materiam ſecundum varias activitates, & naturas. *Formales ſubſtantiales* ſunt ipſæ formæ Elementorum; ſeu corporum Evaporantium. *Accidentales* verò, diverſæ qualitates alteratæ. *Finales* denique, univerſi perfectio; per ſimiles enim Evaporationes purgantur corpora viva, metalla, &c.

Quantum ad exiſtentiam hujuſmodi vaporum, & Meteororum, illam ſupponunt omnes, & indubitatam reddit continua experientia.

Quantum denique ad loca, in quibus formantur, jam diximus inſigniora formari ſurſum, & in aere, unde *Meteori* nomen ſumptum eſt, ſed tamen certum eſt, plura formari in terræ viſceribus, ut ignes, & ventus ſubterranei, terræ hiatus, & motus; plura in aquis, ut ſalſedo maris, fluxus, & refluxus, glacies, &c. alia in aere infimo, ut ignes fatui, rores, &c. Alia in medio, ut pluviæ, grandines, nives, tonitrua, &c. Alia in ſupremo, ut cometæ, alii putant etiam in ipſo cælo planetario, & ſu-

Digitized by Google

ſupra lunam, cometas ſe vidiſſe aſſerunt.

Communis Meteororum diviſio eſt in *terrea*, *aquea*, *aerea*, & *ignita*, de quibus ſingulis deinceps breviter, quæ notabiliora ſunt, dicemus.

QUÆSTIO II.

De Meteoris ignitis, & primò de Cometis.

Meteora dicuntur *ignita*, quia ſunt accenſa, & inflammata ab igne, ut *pyramides*, *columnæ*, *candelæ*, *lanceæ ardentes*, *capreæ ſaltantes*, *titio*, *draco tortuoſus*, *ignis perpendicularis*, *aut lambens*, aut *fatuus*, *Helena*, *Caſtor*, *& pollux*, *fulgura*, *fulmina*, *ſtellæ cadentes*, *cometæ*, *&c.* cum enim materia eorum ſit fumea, calida, & ſicca, facile ignem concipit, & inflammatur. Incipimus à cometis, qui reliqua ſuperant elevatione, duratione, motu, magnitudine, & effectis, & majorem excitant admirationem.

Cometa, nomen ſumit à *coma*, nempe à radiis quibuſdam ſubtiliſſimis, quibus, velut coma ornatur, vel undequaque, & tunc *crinitus*, vel ex parte poſteriori, & in longum, & ex oppoſito ſolis, & tunc *caudatus*, vel ex parte anteriori, qua ſolem reſpicit, & tunc *barbatus* dicitur. De natura cometarum, de illorum materia, & loco maxima eſt controverſia inter Philoſophos, & inter Aſtronomos, & mathematicos. Nos quid probabilius videatur, & quantùm philoſopho religioſo ad Theologiam properanti ſufficiat, breviter dicemus.

Cometam deſcribere potes ex Ariſtotele, *Exhalationem calidam*, *& ſiccam multum*, *perquam craſſam*, *conſtantem partibus benè coagmentatis*, *quæ ſupra aerem evecta ad regionem ignis accendatur*, *luceat*, *& moveatur: & ſi alicui ſtellæ ſuppoſita ſit*, *tum ipſi comam*, *ſeu crines appingat*, *motumque ejus imitetur*, *& pro materiæ diverſitate varietur in magnitudine*, *figura*, *& colore*, *cum facile incendatur ob pinguedinem*, *& diu inflammationem retineat.* Scotus [1] verò ſic deffinit. Cometa eſt, *vapor terrenus habens partes fortiter cohærentes, elevatus ad ſupremam regionem aeris*, *æſtus regnorum*, *& aliarum ma-*

[1] *Ibid. q.*18.*n.*6.

Digitized by Google

magnarum rerum alterationem ſignans in hoc mundo. Licet autem non omninò exacta ſit, tamen utraque ſufficienter naturam hujus Meteori explicat, & ex illis ſatis conſtat de mente Philoſophi, & Scoti circa materiam, & locum ejus, de quibus tam variæ ſunt opiniones.

CONCLUSIO I.

Cometę ordinariè non ſunt de materia cœleſti, nec in cœlo, ſed ex materia ſublunari, & ſub cœlo lunæ. Ita Peripatetici communiter cum Ariſtotele, & Scoto contra plurimos antiquos, & modernos, dicentes, eos formari in cęlo ex aliqua ſtella, vel pluribus, vel ex vaporibus ſolis, & lunæ, vel à Deo ſolo.

Prob. 1. tota concluſio, ex deſcriptionibus allatis ex Philoſopho, & Scoto, quibus conſtat, materiam, & locum cometarum eſſe ſub Luna.

Dimiſſis opinionibus de modo generationis, reſtat opinio Ariſtotelis, quę eſt iſta: quod ab iſtis inferioribus elevatur multa exhalatio terreſtris, tenax, unctuoſa, & inflammabilis, atque ad ſuperiorem regionem aeris, in quam agit calor ipſius regionis ſuperioris, qui non eſt multùm intentus, cùm adjutorio corporis cęleſtis, qui calor ipſum inflammat, & apparet ſtella comata, & continue nova, & conſimilis exhalatio elevatur ſeorſum, & concurrit ad iſtam materiam accenſam, & hoc vel per attractionem, ſicut guttulæ aquæ circumquaque generatæ concurrunt ad principium fontis; & ex tali continuo aſcenſu exhalationis continuatur diù ſtella comata, & propter diverſitatem illius exhalationis, ſecundum ſitum vel raritatem, vel denſitatem apparet coma, vel cauda.

Quod autem ſic generetur, probatur; quia tempore apparitionis ſtellæ comatæ ſunt multi venti, ſiccitates, ſterilitates, impreſſiones ignitæ, &c. quæ omnia ex conſimili materia generantur, ſcilicet, quia quidquid eſt humidi vicini, abſumitur à calida exhalatione, ac igne cometali, indeque venti, &c. ergo ex Ariſtotele, ex Scoto, & ratione iſta, quæ eſt ab effectis, ſive ſignis,

Digitized by Google

materialibus, ſeu fundamento, & termino remotis: an fundamentum, & terminus debeant eſſe realiter diſtincta: an verò ſufficiat diſtinctio virtualis, aut formalis ex natura rei, aut rationis. Item quæritur de ratione fundandi, an verbi gratia, eadem numero albedo exiſtens in duobus parietibus per reproductionem ſufficeret ad realem ſimilitudinem inter illos.

CONCLUSIO.

INter fundamentum, & terminum, quæ referuntur, requiritur diſtinctio realis ad relationem realem, & propriam; non autem in ratione fundandi, & terminandi. Eſt Doctoris [1] quoad utramque partem cum ſuis, & aliis magis communiter.

Pr. 1. ex Doct. docente, inter conditiones neceſſarias ad relationem realem *requiri diſtinctionem realem* extremorum, etiam in divinis. Dico, inquit, *quòd æqualitatis in divinis, extrema ſunt realiter diſtincta.* 2. *quòd ipſa etiam requirit diſtinctionem extremorum illorum.* 3. *ipſa non qualitercumque requirit, puta concomitanter: ſed præexigit illam diſtinctionem, primum patet, quia perſonæ divinæ dicuntur æquales iſta æqualitate una alteri: non autem dicitur eſſentia æqualis ſibi, vel perſonæ, vel è converſo* (ſe defectu diſtinctionis realis inter eſſentiam, & perſonas) *perſona autem à perſona diſtinguitur realiter.* [2] Secundum probatur auctoritate Hilarii. Similitudo ſibi ipſi non eſt: ſi autem non ſimilitudo requireret diſtinctionem extremorum, poſſet aliquid idem eſſe ſibi ſimile, ſicut eſt de identitate: idem enim eſt ſibi ipſi idem, pro eo, quod identitas non requirit extremorum diſtinctionem, &c.

Ergo non tantùm ſequitur requiri diſtinctionem realem inter fundamentum, terminum relationis realis, & propriæ, ſed etiam ſequitur ſufficere, quòd eadem numero forma, ſeu ratio fundandi ſit in utroque: nam ex eodem Doctore, & ſecundum omnes Theologos, & ex fide, æqualitas realis inter perſonas divinas attenditur penes æternitatem, ac magnitudinem virtutis, quæ eſt ea-

[1] *Quodlib. 6. y. n. 19. & 1. d. 35. q. un. n. 2. & 4. A. &c.* [2] *3. de Trin.*

eadem prorſus in tribus perſonis divinis.

Patet, inquam, ex hoc diſcurſu prima pars, quia nil dicitur ſimile, vel æquale ſibi, ergo ad realem ſimilitudinem, & æqualitatem (& ſic de aliis relationibus) requiritur diſtinctio realis.

Patet etiam 2. Nam, ſicut ad hoc, ut Chriſtus Dominus dicatur æqualis Deo patri ſecundum divinitatem, ſecundum ſapientiam, potentiam, &c. ſufficit, quòd divinitas, ſapientia, potentia, &c. cum qua eſt in Patre, ſit etiam in ipſo: ergo, ut unum album dicatur ſimile alteri, ſufficit, quòd in utroque ſit eadem albedo.

Dixi autem realem propriè dictam: nam ad relationem impropriam, aut rationis ſufficit quæcumque alia diſtinctio.

Objicies 1. *contra primam partem*. Ex Scoto. [1] Relationes moti, & moventis ſunt veræ, & reales: ſed tales relationes non repugnant in eadem perſona, ſive ſuppoſito, quia idem poteſt acquirere ſibi, & efficere in ſe perfectionem ſuam accidentalem, ergo diſtinctio realis vera non requirit diſtinctionem realem extremorum.

Reſpondeo, diſtinguo majorem. Si per movens, & motum intelligas producens, & productum, cauſam, & effectum, concedo majorem, ſi cauſam motus, ſeu accidentis, & ſubjectum ejuſdem, nego minorem, & conſequentiam. Nam in exemplo Scoti, homo, & perfectio, quam in ſe cauſat, diſtinguuntur realiter, & fundant realem relationem: non idem eſt de homine, prout cauſat illam perfectionem reſpectu ſui ipſius, quatenùs illam recipit in ſe, non eſt niſi diſtinctio, & relatio impropria, ſeu rationis.

Reſpondeo ſecundò, diſtinguo minorem. In perſona eadem realiter, ſeu individualiter, concedo minorem, eadem accidentaliter, nego minorem, & conſequentiam. Nam ex eodem Scoto, inquantum medicus eſt ſanans, eſt aliud à ſeipſo, inquantum ſanatur: ſed accidentaliter, & hoc ſenſu admitti poſſet inter ſanantem, & ſanatum relatio realis. Sanatur quippe inquantum infirmus, & non inquantum medicus. Tunc enim illa particula redupli-

[1] *In tr.d.2.q.7.*

eativa, *in quantum*, cadit ſuper illas qualitates medici, & infirmi, quæ diſtinguuntur inter ſe realiter.

Objicies 2. *contra* 2. *p.* Extrema referuntur ſecundum formas, ſeu rationes fundandi, & terminandi, ergo; ſi relatio requirit extrema realiter diſtincta, forma, ſeu rationes illæ debent etiam diſtingui realiter. Probatur conſequentia. Illæ enim ſunt ipſa extrema proxima, quæ primò ſe reſpiciunt, & per quæ remota referuntur, verbi gratia, duæ albedines, duæ quantitates ſunt primò per ſe ſimiles, & æquales, vel inæquales, & ipſis mediantibus ſubjecta dicuntur ſimilia, & æqualia.

Reſpondeo diſtinguo conſequentiam. Quandò inter illas eſt vera, & realis relatio, ut in exemplis allatis in objectione, concedo conſequentiam, quandò non eſt talis relatio, ut in noſtra hypotheſi, nego conſeq. Nam illa albedo reproducta in duobus parietibus non referretur ad ſeipſam per veram ſimilitudinem, ſed tantùm ſub ratione duplicis effectus; ſc. dealbationis, qui, ſicut diſtinguerentur, ita & inter ſe eſſent ſimiles.

Objicies 3. *contra eandem*. Per formas extrema fundant relationes oppoſitas, ergo & ipſæ formæ debent eſſe oppoſitæ, ſeu diſtinctæ realiter; idem enim non poteſt opponi ſibi ipſi.

Reſpondeo n. conſeq. Oppoſitio enim veniens ab hujuſmodi relationibus, quæ dicuntur æquiparantiæ, non ſunt tales, quin poſſint oriri ab eadem forma realiter, prout reproducta in duobus ſubjectis realiter diſtinctis, ſi aut actio, & paſſio veniunt ab eadem voluntate producente in ſe volitionem, & illam patiente, ſeu recipiente in ſe ipſa.

QUÆSTIO IX.

Quodnam ſit ſupremum genus hujus prædicamenti,

Quænam ejus proprietates.

QUando quidem reponimus relationes in ſpeciali prædicamento, & plures ſpecies relationum recenſuimus, quæ poſſunt ſpectare ad alia; videndum

Digitized by Google

dum reſtat, quænam ſint illæ, quæ ad iſtud propriè pertinent, & ſub quo uno genere comprehendantur; &, ut magis diſtinguantur, videndæ ſunt illius etiam proprietates.

CONCLUSIO I.

Supremum genus hujus prædicamenti eſt relatio intrinſecus adveniens, realiter ſeparabilis à fundamento. Colligitur ex Scoto, & eſt communis. [1]

Probatur ex eodem. Nam hæc definitio connectit, & complectitur omnes relationes, quæ pertinent ad hoc prædicamentum; & diſtinguit illas ab aliis, ergo ſic rectè collocatur, ut ſummum genus hujus prædicamenti. Probatur ant. Ea ad *aliquid ſunt*, ſecundum Ariſtotelem, *quorum eſt eſſe ad aliud ſe habere. Iſtud ineſt omnibus, quæ ſunt ad aliquid per ſe primo modo, &c.*

Confirmatur. Quia non poteſt quidquam aliud commodiùs aſſignari, ergo &c.

Dicitur autem *relatio*. & ſic excluduntur qualitas, & quantitas, quæ ſunt accidentia abſoluta. 2. *intrinſecùs adveniens*, & per hoc excluduntur ſex ultima prædicamenta, quæ ſunt relationes, ſed extrinſecùs advenientes. 3. *ſeparabilis à fundamento*; ut excludantur relationes tranſcendentales, quæ ſunt inſeparabiles, & ideo pertinent ad prædicamenta ſuorum ſubjectorum, ſeu fundamentorum.

Objicies. Genus ſupremum relationis debet eſſe ratio una abſtracta ab omnibus ſpeciebus relationum, & de illis univocè prædicabilis: ſed talis ratio eſt impoſſibilis, ergo & genus. Probatur minor, quia non poteſt abſtrahi ratio una communis omnibus fundamentis, aut terminis relationum; ergo nec ratio communis omnibus relationibus, probatur conſeq. quia ſicut relatio non poteſt concipi, ne in communi quidem ſine fundamento, ita fundamentum debet concipi ſub aliqua ratione communi.

Reſpondeo; nego minorem primi argumenti, con-

[1] *q.25.prædic.§.ad principale n.1.*

Digitized by Google

conſequentiam ſecundi, & antecedens tertii. Nam fundamentum non ponitur in definitione relationis, ſicut neque terminus, niſi velut aliquid extrinſecum: & ideo non debet eſſe quid unum determinatum.

Objicies 2. Genus ſummum prædicamenti debet eſſe quid unum: ſed nullus poteſt haberi conceptus relationis, qui ſit verè quid unum: ergo, &c. Prob. min. nulla enim eſt relatio ſine correlatione: ergo nulla datur relatio verè una, & in præciſione.

Reſpondeo: nego min. & ant. probationis, nam relationes tertii generis non ſunt mutuæ, ut dictum eſt. Reſpondeo, 2. tàm relatio, quàm correlatio in definitione allata conveniunt: tàm correlatio, quàm relatio eſt abſolutè relatio, & hæc definitio illi convenit, ideo neg. min. & ant. prob.

CONCLUSIO II.

PRoprietates relationis, ſeu relativorum, ab Ariſtotele aſſignatæ ſunt, 1. quòd habeat contrarium: ſecunda, quòd habeat magis, & minus. 3. quòd relativa dicantur ad convertentiam 4. quòd ſint ſimul natura, & 5. quòd ſint ſimul cognitione.

Prima, & ſecunda non conveniunt relationi per ſe immediatè, neque etiam fortè ipſis relativis, inquit Scotus, [1] ſed ratione eorum, in uibus per ſe fundatur relatio, ſc. fundamenti & termini formalis, nam una relatio, ut relatio eſt, non expellit aliam à ſubjecto; ſed id ſpectat ad qualitates, in quibus fundatur immediatè. Item ſuſcipit magis, & minùs ratione earumdem formarum; nam ſecundum quod unum extremorum fit magis, aut minus album, vel extenſum fit, creſcit, aut minuitur ſimilitudo.

Tertia facilis eſt. Nam ſicut unum relativorum, v. g. pater dicitur ad filium, ita filius ad patrem, & hæc proprietas convenit tribus generibus relationum.

Quarta etiam facilis, nam id ſignificat, quòd unum correlativum, ut tale non poſſet eſſe, ne quidem per ullum inſtans naturæ, quin aliud exiſtat. Quin-

[1] *q. 21. præd.*

Digitized by Google

Quinta denique ſignificat, quòd una correlationum, ſeu unum correlativum, ut tale, non petit, nec poteſt cognoſci ante aliud.

Arbor, ſeu ſeries hujus prædicamenti poſſet diſponi, ut ſequitur. *Relatio intrinſecùs adveniens* ut ſupremum genus dividitur in relationem *æquiparantiæ*,& *diſquiparantiæ*. Relatio *æquiparantiæ*, *in ſuperpoſitionis*, & *ſuppoſitionis*: Relatio *ſuperpoſitionis*, in relationem *cauſæ*, & *dominii*: Relatio *cauſæ*, in *cauſæ internæ*, quæ ſunt materia, & forma compoſiti, & *externæ*, quæ ſunt efficiens, & formalis, denique relatio *cauſæ efficientis*, in hanc, & illam individualiter.

Et hæc de Metaphyſica, ſeu de ſcientia entis, & communiorum ſpecierum ejus dicta ſufficiant ad laudem, & gloriam D. o. M. v. & S. P. F.

Quidam hic agunt de ſummo ente, & de ente ſpirituali creato, ſc. de Angelis, ſed hæc philoſophis Seraphicis reſervantur in Theologia.

Finis Metaphyſicæ.

Digitized by Google

DISPUTATIO UNICA.

De Meteoris.

HÆC Diſputatio extra ordinem hìc reponitur, cùm pertineat potiùs ad phyſicam; ſed ne quid huic ſummæ phyſicæ deſit eorum, quæ ſcitu digna ſunt, & quia hic tomus tenuior eſſet aliis, ſic illius cum aliis æqualitati conſulimus. Nec id forte ingratum erit lectori, ſi poſt longas rerum abſtractarum contemplationes, & à ſenſibus remotiſſimarum, ideoque difficiliorum, ad hæc ſenſibilia, eaque curioſa, & familiaria diſtrahatur, & tantiſper in illis conſiderandis ab importuno recreetur labore. *Iſta ſcientia*, inquit Scotus, [1] *eſt valde utilis, & pulchra, & nobilis; utilis quidem primò, quia qui inclinatur ad judicandum de futuris per ſtellas, & impreſſiones ſublunares, citius judicabit, quàm ille, qui judicat ſecundum ſtellas fixas. 2. utilis ad periculorum evitationem; quia per hanc ſcientiam poſſunt eligi loca, ubi præſervamur à fulmine, à terræ motu, &c. 3. Ad habitaculi electionem, quia per illam cognoſcitur, ubi eſt bonitas fontium, & fluminum, & hujuſmodi, quæ requiruntur ad convenientem habitationem. 4. Pulchra, & nobilis, quia pulchrum, & nobile eſt ſcire cauſas hujuſmodi mirabilium effectuum, qui accidunt ſub cœlo: ut ſunt ſtellæ cadentes, capræ ſaltantes, cometæ. Galaxia, &c.* Pauca ſunt diſputanda, & ideo ab his quàm breviſſimè, & ferè ſine diſputatione me expediam. Qui prolixiora voluerit, adeat Doctorem noſtrum, ſubtilem, qui poſt Ariſtotelem quatuor de his libros ſcripſit ſolidè, & erudite, ut ſolet: conſulat Cabæum, qui de iiſdem quatuor Tomos edidit, &c.

QUÆ-

[1] *L.* 1. *q.* 1. *n.* 2.

QUÆSTIO I.

De nomine, Exiſtentia, Quidditate, & materia efficiente, & loco Meteorum.

METeoros [1] græcè, ſignificat *ſublime*, apud latinos, & hic uſurpatur ad ſignificanda quædam eventa, quæ ex Elementis alteratis, & mixtis in ſublime fiunt, pro ut halitus, ex quibus conſtant, plùs, aut minùs attolluntur. Vocantur etiam *Mixta imperfecta*; quia non habent formas ſubſtantiales diſtinctas eſſentialiter à formis elementorum; ut *nix, grando glacies*, &c. non differunt eſſentialiter ab aqua, ſed tantùm per quaſdam qualitates peregrinas.

Hæc autem nomen Meteororum habent à locis ſublimibus, in quibus, ut plurimùm fiunt. Dico, *ut plurimum*; multa enim fiunt etiam in imis terræ viſceribus, ut ventus ſubterranei: ſed maxima eorum pars generatur in regionibus aeris, unde alia terrea, alia aquea, alia aerea, alia ignea dicuntur, ut patebit.

Porrò, ſupponendum. 1. quòd calore cœleſti inferior orbis moles internè agitatur, vel induratur, vel incraſſatur, vel attenuatur, & in halitus, ac ſpiritus ſubtiliſſimos reſolvitur. Hi autem halitus, ſeu ſpiritus, ſi ex terra elevantur, *exhalationes*, ſi ex aqua, *vapores*, dicuntur. Ambo ſunt ex ſe frigidi, & per accidens, atque ab extrinſeco calidi, nempe vi caloris cæleſtis, quo ex reliqua ſua materia extrahuntur: ſed, qui ex terra ſicciores ſunt, & qui ex aqua humidiores; Utrique tamen ob tenuitatem, & raritatem alienis facilè terminis coercentur, quod humiditati proprium eſt.

Hinc eſt, quòd hujuſmodi halitus copioſiores ſunt, ubi nec calor vehementior eſt, quia illos abſumeret, nec frigus acerbius, quia nimium addenſaret, & attenuationem impediret. Unde in autumno, & hyeme, mane, & veſpere major fit evaporatio, maxime poſt pluvias, quia terra im-

[1] *Scotus l.1.meteor.q.1.n.7.*

Digitized by Google

bribus madefacta ſolvitur faciliùs. Sic continuè talium halituum vis per aerem aſcendit, & divagatur, quia ingens eſt caloris cœleſtis virtus, & ingentem illi materiam ſubminiſtrant paludes, ſtagna, flumina, &c. His adde cicularem tranſmutationum viciſſitudinem, quibus denſiora Elementa in ſublimiora, & hæc rurſus in illa, reciprocè, & alternatim convertuntur.

Notandum etiam, quòd in Meteoris [1] explicandis, ſæpiùs utimur nomine impreſſionis: hoc autem impropriè, & largè ſignificat. *Omnem actionem, qua imprimitur ſubjecto forma aliqua, vel*
„ *qualitas*, inquit Scotus: *ſed in propoſito*, impreſ-
„ ſio poteſt dici de quatuor. 1. de alteratione ſe-
„ cundum qualitatem aliquam ſecundam, quæ im-
„ mediatè conſequitur alterationem primarum
„ qualitatum, vel etiam elementorum, & talis al-
„ teratio eſt, ſicut *inflammatio*, *coloratio*, *congela-*
„ *tio*, &c. 2. dicitur de mixto conſequente altera-
„ tionem iſtam: ſicut *de hiatibus*, *voraginibus*, de
„ *grandine*, *pluvia*, &c. 3. dicitur *de qualitatibus*,
„ & *operationibus* talium mixtorum, ut ſunt *color*
„ nubis; *ſonus tonitrui*, *ictus fulminis*, *motus ven-*
„ *ti*, &c. hæc inquam dicuntur *impreſſiones Meteori-*
„ *cæ*. 4. dicitur de *impreſſionibus apparentibus* ex re-
„ flexione radiorum corporis luminoſi, ſicut de
„ *Halo*, Iride, parheliis, virgis, &c.

Vapor eſt [2] *quidam fumus per aſtrorum, & ſolis actionem elevatus ab aqua, & corporibus aqueis, cujus naturalis complexio eſt calida, & humida, & ex quo natæ ſunt fieri nubes, pluviæ, grandines, rores, pruinæ*, &c. Exhalatio verò, *eſt fumus per actionem ſolis, & aliorum aſtrorum calefacientium à terra, & corporibus terrenis elevatus, qui naturaliter eſt calidus, & ſiccus, & ex quo natæ ſunt fieri impreſſiones ignitæ*, verbi gratia ſtellæ, Cometæ, Venti, terræ motus, &c. Diſputatur autem, an vapor, & exhalatio differant eſſentialiter à natura Elementorum, à quibus extrahuntur.

CON-

[1] *l.* 1. *Meteor. q.* 1. *n.* 7. [2] *ibid. q.* 6. *n.* 3.

Digitized by Google

CONCLUSIO I.

V*Apor, & exhalatio, quantùm ad diſpoſitiones qualitativas non ſunt de natura aquæ, nec terræ:* bene verò quoad formam ſubſtantialem.

Prob. 1. *Pars.* ex Scoto [1] Illa non ſunt ejuſdem naturæ, quæ habent inclinationes oppoſitas, ſed vapor, & exhalatio habent inclinationes naturales oppoſitas inclinationibus aquæ, & terræ, ergo non ſunt ejuſdem naturæ. Major eſt certa; nam ſimilis natura ſimiliter inclinat; probatur min. vapor, & exhalatio ex ſe inclinant ferri ſurſum, aqua verò, & terra deorſum; ergo habent inclinationes oppoſitas.

Prob. 2. *par.* 1. ex Ariſt. [2] dicente, *vapores eſſe partes aquæ ſecretiores*, 2. quia experientia docet, eos vapores, cùm liqueſiunt, & ſibi relinquuntur, reſolvi in aquam, non per novam generationem, vel converſionem, ſed per reſolutionem. 3. quia nulla eſt neceſſitas diſtinguendi vapores ab aqua, pluſquam accidentaliter, ut patebit ſolutione objectionum, & idem eſt de exhalationibus, ergo non diſtinguitur quoad formas ſubſtantiales.

Objic. 1. ex Scoto. [3] Vapor eſt de natura aeris, ergo quoad formam ſubſtantialem non eſt de natura aquæ; probatur ant. habet diſpoſitiones aeris, ſcilicet caliditatem, & humiditatem, ergo & naturam.

Reſpondeo d. ant. quantum ad ſuas diſpoſitiones qualitativas, conc. ant. quoad formam ſubſtantialem n. ant. & diſt. ſimiliter. 2. habet caliditatem ab extrinſeco, conc. ant. ab intrinſeco, & à propria forma n. ant. nam habent caliditatem ab agente, quod elevat ipſum ab aqua, inquit Doctor, humiditatem vero ab ipſa aqua.

Objic. ſi vapor eſſet ſubſtantialiter aqua, motus ſeorſum eſſet illi violentus, nam aqua eſt corpus grave: ſed conſequens eſt contra experientiam; ergo vapor non eſt ſubſtantialiter aqua.

Reſpondeo d. maj. eſſet illi violentus ratione ſtatus ſui naturalis, conc. maj. ratione ſtatus præſentis, neg. maj. & conſeq. Aqua in ſtatu ſuo fluido, & elemen-

[1] *ibid. n.* 4. [2] 1. *Meteor. c.* 3. [3] *ib. Concl.* 2.

mentari gravitat, & ideo motus ſeorſum eſt illi violentus, in ſtatu verò fumoſo, nebuloſo, & ſubtilizationis aliqualiter levitat, & maxime per attractionem ſyderum, ideoque ille motus eſt ſemper aliqualiter violentus.

Inſt. ſi vapor eſſet ejuſdem naturæ ſubſtantialis cum corpore, à quo elicitur, aqua vitæ eſſet ſubſtantialiter vinum, & poſſet conſecrari in calice: ſed hoc eſt falſum, ergo & illud. Prob. maj. Vinum enim eſt materia conſecrationis in calice.

Reſpondeo neg. ſeq. 1. Quia vinum non eſt corpus ſimplex, ſed mixtum, ideò vapor ab illo extractus non eſt vinum. 2. quia aqua vitæ non eſt pura, & ſimplex exhalatio, ſed aliud corpus ex vino generatum. 3. quia, etiam dato, quòd eſſet purus vapor, adhuc non eſſet materia idonea conſecrationis, illa enim, ex omnium Theologorum ſenſu, eſt vinum commune, & uſuale, qualis non eſt aqua vitæ: quia non utimur illa ad ſitim ſedandam, & cibos diluendos, ſed hoc in Theologia.

Inſt. 2. Vapores etiam fiunt per veram generationem: ergo tam differunt ſubſtantialiter ab aqua, quàm ille liquor à vino. Prob. conſeq. nam generatio fit per tranſmutationem unius formæ in aliam: ant. etiam prob. nam eadem eſt ratio de vaporibus aquæ, & vini.

Reſpondeo neg. ant. nam vapores exhalantur per alterationem accidentalem, ſcilicet vi caloris ab extra inducti, quo partes ſubtiliores rarefiunt, & incaleſcunt, ac elevantur.

Objic. 3. Exhalatio, & vapor ſunt corpora mixta, terra verò, & aqua ſunt elementa ſimplicia: ergo exhalationes, & vapores differunt ſubſtantialiter ab aqua, & terra.

Reſpondeo Diſt. ant. ſunt mixta imperfecta: conc. ant. perfecta: n. ant. nam, ut jam notavimus: dicuntur mixta imperfecta, quia non habent formas ſubſtantiales diverſas ab elementis ſuis.

Hinc Meteora deſcribi ſolent, *corpora mixta imperfecta formam Elementi retinentia*, quæ deſcriptio patet ex dictis.

Colligis 2. cauſas materiales Meteori remotas eſſe Elementa, & præcipuè terram, & aquam, proxi-

mas

mas verò vapores, & exhalationes ſupradictas.

Dico, *præcipuè*: nam cùm vapores, & exhalationes, ſeu ſpiritus nihil aliud ſint ſubſtantialiter, quàm partes tenuiſſimæ ſubſtantiarum, à quibus extrahuntur, quælibet ſubſtantia habet ſuos vapores, aut exhalationes.

Colligis 3. quòd non ſolum vapor, & exhalatio differunt eſſentialiter ratione principiorum, ex quibus fiunt, ſed etiam ipſi vapores inter ſe differunt æquè, ac corpora omnia, ex quibus elevantur. Ita eſt de Exhalationibus. Ratio clara eſt ex concluſione: nam includunt formas ſubſtantiales rerum, à quibus extrahuntur, ideò conveniunt accidentaliter, & differunt etiam ſubſtantialiter.

Conveniunt. 1. quod utraque habent ſpeciem fumi: ambo calida ſunt ab extrinſeco, ſcilicet à ſole, aut alio ſydere: differunt verò 1. quia vapor ex locis humidis elevatur, exhalatio ex ſiccis. 2. vapor eſt calidus, & humidus; Exhalatio calida, & ſicca. 3. per formas ſuas ſubſtantiales, ut dictum eſt.

Cauſæ aliæ Meteororum, ſunt 1. *efficientes*. Ut Deus, qui eſt cauſa principalis, & univerſalis omnium, & Aſtra, maxime ſol. 2. *inſtrumentales* ſunt quatuor qualitates Elementares, quæ attenuant, aut condenſant materiam ſecundum varias activitates, & naturas. *Formales ſubſtantiales* ſunt ipſæ formæ Elementorum; ſeu corporum Evaporantium. *Accidentales* verò, diverſæ qualitates alteratæ. *Finales* denique, univerſi perfectio; per ſimiles enim Evaporationes purgantur corpora viva, metalla, &c.

Quantum ad exiſtentiam hujuſmodi vaporum, & Meteororum, illam ſupponunt omnes, & indubitatam reddit continua experientia.

Quantum denique ad loca, in quibus formantur, jam diximus inſigniora formari ſurſum, & in aere, unde *Meteori* nomen ſumptum eſt, ſed tamen certum eſt, plura formari in terræ viſceribus, ut ignes, & ventus ſubterranei, terræ hiatus, & motus; plura in aquis, ut ſalſedo maris, fluxus, & refluxus, glacies, &c. alia in aere infimo, ut ignes fatui, rores, &c. Alia in medio, ut pluviæ, grandines, nives, tonitrua, &c. Alia in ſupremo, ut cometæ, alii putant etiam in ipſo cęlo planetario, & ſu-

Digitized by Google

ſupra lunam, cometas ſe vidiſſe aſſerunt.

Communis Meteororum diviſio eſt in *terrea*, *aquea*, *aerea*, & *ignita*, de quibus ſingulis deinceps breviter, quæ notabiliora ſunt, dicemus.

QUÆSTIO II.

De Meteoris ignitis, & primò de Cometis.

Meteora dicuntur *ignita*, quia ſunt accenſa, & inflammata ab igne, ut *pyramides*, *columnæ*, *candelæ*, *lanceæ ardentes*, *capreæ ſaltantes*, *titio*, *draco tortuoſus*, *ignis perpendicularis*, *aut lambens*, aut *fatuus*, *Helena*, *Caſtor*, *& pollux*, *fulgura*, *fulmina*, *ſtellæ cadentes*, *cometæ*, *&c.* cum enim materia eorum ſit fumea, calida, & ſicca, facile ignem concipit, & inflammatur. Incipimus à cometis, qui reliqua ſuperant elevatione, duratione, motu!, magnitudine, & effectis, & majorem excitant admirationem.

Cometa, nomen ſumit à *coma*, nempe à radiis quibuſdam ſubtiliſſimis, quibus, velut coma ornatur, vel undequaque, & tunc *crinitus*, vel ex parte poſteriori, & in longum, & ex oppoſito ſolis, & tunc, *caudatus*, vel ex parte anteriori, qua ſolem reſpicit, & tunc *barbatus* dicitur. De natura cometarum, de illorum materia, & loco maxima eſt controverſia inter Philoſophos, & inter Aſtronomos, & mathematicos. Nos quid probabilius videatur, & quantùm philoſopho religioſo ad Theologiam properanti ſufficiat, breviter dicemus.

Cometam deſcribere potes ex Ariſtotele, *Exhalationem calidam*, *& ſiccam multum*, *perquam craſſam*, *conſtantem partibus benè coagmentatis*, *quæ ſupra aerem evecta ad regionem ignis accendatur*, *luceat*, *& moveatur: & ſi alicui ſtellæ ſuppoſita ſit*, *tum ipſi comam*, *ſeu crines appingat*, *motumque ejus imitetur*, *& pro materiæ diverſitate varietur in magnitudine*, *figura*, *& colore*, *cum facile incendatur ob pinguedinem*, *& diu inflammationem retineat*. Scotus [1] verò ſic deffinit. Cometa eſt, *vapor terrenus habens partes fortiter cohærentes*, *elevatus ad ſupremam regionem aeris*, *æſtus regnorum*, *& aliarum ma-*

[1] *Ibid. q.18. n.6.*

Digitized by Google

magnarum rerum alterationem ſignans in hoc mundo. Licet autem non omninò exacta ſit, tamen utraque ſufficienter naturam hujus Meteori explicat, & ex illis ſatis conſtat de mente Philoſophi, & Scoti circa materiam, & locum ejus, de quibus tam variæ ſunt opiniones.

CONCLUSIO I.

Cometę ordinariè non ſunt de materia cœleſti, nec in cœlo, ſed ex materia ſublunari, & ſub cœlo lunæ. Ita Peripatetici communiter cum Ariſtotele, & Scoto contra plurimos antiquos, & modernos, dicentes, eos formari in cęlo ex aliqua ſtella, vel pluribus, vel ex vaporibus ſolis, & lunæ, vel à Deo ſolo.

Prob. 1. *tota concluſio*, ex deſcriptionibus allatis ex Philoſopho, & Scoto, quibus conſtat, materiam, & locum cometarum eſſe ſub Luna.

Dimiſſis opinionibus de modo generationis, reſtat o-
„ *pinio Ariſtotelis, quę eſt iſta:* quod ab iſtis inferio-
„ ribus elevatur multa exhalatio terreſtris, tenax,
„ unctuoſa, & inflammabilis, atque ad ſuperiorem
„ regionem aeris, in quam agit calor ipſius regionis
„ ſuperioris, qui non eſt multùm intentus, cùm ad-
„ jutorio corporis cęleſtis, qui calor ipſum inflam-
„ mat, & apparet ſtella comata, & continue nova,
„ & conſimilis exhalatio elevatur ſeorſum, & con-
„ currit ad iſtam materiam accenſam, & hoc vel
„ per attractionem, ſicut guttulæ aquæ circumqua-
„ que generatæ concurrunt ad principium fontis; &
„ ex tali continuo aſcenſu exhalationis continuatur
„ diù ſtella comata, & propter diverſitatem illius
„ exhalationis, ſecundum ſitum vel raritatem, vel
„ denſitatem apparet coma, vel cauda.

Quod autem ſic generetur, probatur; quia tempore apparitionis ſtellæ comatæ ſunt multi venti, ſiccitates, ſterilitates, impreſſiones ignitæ, &c. quæ omnia ex conſimili materia generantur, ſcilicet, quia quidquid eſt humidi vicini, abſumitur à calida exhalatione, ac igne cometali, indeque venti, &c. ergo ex Ariſtotele, ex Scoto, & ratione iſta, quæ eſt ab effectis, ſive ſignis,

Digitized by Google

ſignis, cometæ ſunt ex materia, & in loco ſublunari.

Prob. 2. ex ipſo lumine cometæ, quod ſive aſpiciamus per tubum opticum, ſive per liberum intuitum, non eſt ita vividum, nec clarum, nec ſolidum, ut lumen ſtellarum, ſed languidum, obtuſum, palleſcens, & ſubobſcurum, ergo cometa non eſt aliqua ſtella, nec fixa, nec errans in cęlo, nec plures ſimul junctæ.

Prob. 3. ſi enim eſſet ex materia cęleſti, non appareret creſcere, nec decreſcere, nec ſcindi, nec diſſecari, nec adverterentur in illo ſimiles mutationes, & alterationes, quibus non ſubſunt corpora purè cęleſtia, cometæ ſiquidem habent ſuas excretiones ſulphureas, ſcintillas, & flammas, hinc, & inde proficiſcantur, & poſtquam conſumpti ſunt, ſpargunt per aera flatus inſalubres, & toxicos, ergo cometa, qui ſic variatur, non eſt corpus cęleſte, nec intra cęlum.

Confir. quia non apparet, nec huc uſque potuit probari, quomodo intra cęlos generari poſſint tales cometæ, quippe cęli ſunt corpora puriora, & ſaltem ab extrinſeco incorruptibilia, ut dicetur ſuo loco, & quidem 1. non poſſunt generari ex halitibus è corpore ſolis, & planetarum collectis, quæ lucem, aut ignem concipiant, ut dicunt quidam, quia in illis planetis non ſunt qualitates Elementares, ergo nec vaporationes, nec alterationes. 2. non ex vaporibus è terra in cęlos attractis virtute aſtrorum, ut alii volunt, quia ſic cęli eſſent omnino fluidi, & alterationibus, atque corruptionibus ab extra obnoxii, quod nullus bonus philoſophus dixerit. 3. non poſſunt coaleſcere ex conjunctione variorum corporum lucidorum, & cęleſtium: verbi gratia planetarum, aut ſtellarum, ut placet aliis. 1. quia ſic nunquam extra Zodiacum apparerent cometæ; apparerent per partes, & ſucceſſivè, ſcilicet ea proportione, qua adunarentur illæ ſtellulæ, ſeu corpora luminoſa, ergo ſecundum diverſos motus illarum ſtellularum diverſas figuras efformarent cometæ. 4. Non poſſent videri planetæ illi ſeorſim, quamdiu lucet cometa, ſed hæc ſunt contra experientiam, ergo non ſic efformantur cometæ.

Dixi autem, *ordinariè*, cometas eſſe ex materia

&

Digitized by Google

& loco ſublunari, quia non negarem, quin poſſit fieri, & forte aliquando contigit, ut à Deo producantur in ipſis cęlis, & ex materia cęleſti ex conſiliis providentiæ ſuæ ad eventus aliquos extraordinarios præſignandos. Sine dubio talis fuit ille, qui in forma gladii per annum integrum dicitur apparuiſſe Jeroſolymis [1] ad excidiũ urbis illius præmonſtrandũ. Talis creditur ille, qui viſus fuit anno 1527. præſignans Turcæ irruptionem, & Romæ expugnationem, & alii plures. Loquimur ergo de cometis naturalibus, qui ordinaria cauſarum ſecundarum via formantur.

Objic. 1. Ariſtotelem, [2] qui videtur multis in locis agnoviſſe cometas cęleſtes, & ſuper Lunam elevatos, ſcilicet circa locum maxime propinquum lationi aſtrorum, qui eſt octava ſphæra, & aſſerit ſe [3] vidiſſe in femore canis ſtellam cometam, & agnoſcit duplices cometas, ſcilicet cęleſtes, & Elementares, ergo ex Ariſtotele [4] dantur cometæ in cęlo, & ſuper Lunam.

Reſpondeo neg. conſeq. Nam per *locum proximum lationi aſtrorum* intelligit ſupremam aeris partem, per ſtellas comatas, intelligit eas, quibus videntur aliquando appendi comæ, vel caudæ, ut contingere aliquãdo fatetur Doctor: [5] non quod coma hæreat corpori ſtellæ, ſed ſit illi perpendiculariter oppoſita in regione Elementari: non enim apud ipſa aſtra fit coma, inquit Ariſtoteles, ſed quemadmodum areæ circa Solem, & Lunam apparent.

Objic. 2. Cometæ circumeunt terram intra 24. horas ab oriente in occidentem, & tandiu morantur infrà, quàm ſupra horizontem, ſed hoc non poſſent facere, ſi eſſent in aere: ergo ſunt in cęlo, Prob. min. ut ſic moverentur in aere circa terram, deberet aer ſecari in duas medietates æquales, ut non plus ſtarent ſuprà, quam infrà horizontem: ſed hoc non poteſt fieri de ſphæra aeris reſpectu ſuperficiei terræ, ergo nec cometa ſic moveri, prob. min. quia propter parvitatem terræ, & immenſitatem cęli, illa habet verè rationem centri, & ille circuli, & ideo poteſt ſecari

[1] *Joſeph. l. 7. de Bello jud.* [2] 1. *Meteor. ſ. 1. c. 1.*
[3] *ibid. cap. 3.* [4] *ibid. cap. 4.* [5] *q. 18. n. 4.*

Digitized by Google

ſecari per medium, ſed non ita eſt de aere, qui non tàm ſuperat magnitudine globum terræ, & ob eandem rationem cometę non poſſent ſequi curſum ſtellarum, & cum illis oriri, & occidere, & ſi eſſent in aere, tam velociter moverentur, & tranſirent ut fulgura, viderentur potiùs quam cometæ, qui tamen non videntur velociùs moveri, quàm aſtra. Item ob eandem propinquitatem aeris, cometæ non poſſunt videri ſimul à pluribus regionibus remotis, & tamen anno 1618. idem, qui viſus eſt in Italia, viſus fuit in Indiis orientalibus, ſed hæc ſunt contra experientiam, ergo cometæ non ſunt ſub Luna.

Reſpondeo neg. min., & maj. prob. quia poſſet formari cometa immediatè ſub cęlo Lunæ, & ſic moveri cum illa, falſa etiam minor altera, illa enim pars aeris, aut ſpatii, quæ immediate implet concavum ſphæræ lunaris, æqualiter ſecari poteſt cum proportione, & ob eandem rationem videri poteſt cometa ex pluribus regionibus, ſicut luna, ſaltem cum proportione,

Inſt. immediate ſub ſphæra lunæ eſt ſphæra ignis, ſed ibi nullus formari poteſt cometa propter activitatem illius Elementi omnia devorantis, & ita docet Scotus [1] expreſsè.

Reſpondeo neg. ant. & rationem ejus, nam ignis ibi propter ſummam raritatem ſuam non eſt ſummè vehemens, ut poſſit tam citò conſumere tantam vaporum, & exhalationum molem; poteſt quidem incendere, ſed non tam citò abſumere. *Reſpondent aliqui*. 2. non adeo certum eſſe, quod ibi ſit verus ignis Elementaris, nec ibi Scotus videtur loqui adeò aſſertive: affert rationes in utramque partem, nec ſolvit contrarias, ſed de hoc aliàs.

Inſt. 2. ex eodem Scoto, [2] propter nimiam ſubtilitatem, & raritatem ignis, non poſſet ibi ſuſtentari tanta, & tam gravis materiæ moles; ergo non poteſt ibi formari cometa.

Reſpondeo neg. ant. quia, ex ipſo Scoto, materia cometæ fertur ſursùm, non ſolùm ex aliqua levitate, ſed etiam ex attractione ſyderum, & per illam attractionem cometæ moles ibi detineri poteſt.

Objic.

[1] *ibid. n.* 5. [2] *ibid.*

Digitized by Google

Objic.3. Si cometæ eſſent infra Lunam velociùs moverentur; ſed non moventur velociùs; nam Luna, licet tarda in motu, decem gradus uno die conficit, cometa verò velociſſimus, qualis anno 1577. apparuit, non tantum ſpatium conficiebat; ergo non ſunt infra Lunam. Prob. maj. quo ſydera ſunt altiora, eo tardiùs moventur, ergo, ſi cometæ eſſent inferiores Luna, velocius moverentur, quàm Luna.

Reſpondeo neg. maj & conſeq. prob. nam velocitas, aut tarditas ſyderum venit vel à motu primi mobilis, vel ab intelligentia, cometæ autem motus cùm ſit irregularis, ejus tarditas, aut velocitas venit ex natura corporis ejus, ſecundum quod eſt craſſius, corpulentius, aut ardentius; item ex majori, vel minori attractione alicujus ſyderis.

Quæres 1. *an cometæ formari poſſint in ſphæra ignis?*

Reſpondeo communiter eos formari in ſuprema regione aeris, attamen, ex dictis ad 2. objectionem, poſſunt etiam formari in regione ignis, nec poſitive diſſentit Scotus; nam in igne tàm fiunt impreſſiones, quàm in cæteris Elementis, tamen ob rationes allatas ex Scoto rariùs ibi contingunt.

Dico, *in ſuprema*; nam ſuppono philoſophos dividere aera in tres regiones, *ſupremam*, *mediam*, & *infimam*, in quibus ſingulis varia generantur meteora juxta diverſas eorum qualitates, & diſpoſitiones.

Quæres 2. *unde veniat coma, vel cauda, vel Barba.*

Reſpondeo poſſe quidem aliquando cometas formari ſine illis comis, ſed non advertimus, nec eas facilè diſtinguimus ab aliis ſtellis veris, & ſic non judicamus eſſe de natura Elementari: inquit Doctor, [1] ſed ordinariè tales apparent, quia ſemper, vel in pluribus, ſeu ordinariè eſt difformitas in partibus iſtius exhalationis ſecundum raritatem, aut denſitatem; quia in corpore eſt denſior, & in extremitatibus eſt rarior, & ſic vèlut per capillos diſperguntur radii, qui efformant comam, ſi totum orbem veſtiant, vel barbam, ſi partem anteriorem, & inferiorem, vel caudam, ſi in longum protrahantur.

Quæ-

[1] *ibid. n.5.*

Digitized by Google

Quæres 3. *quare appareat in forma ſphærica ſaltem in corpore?*

Reſpondeo, quia materia cometæ propter ſui tenacitatem, & viſcoſitatem inclinatur unire partes ſuas, & ad invicem fortiter adjicere, & licet fortè, & quandoque ſit modica difformitas in lateribus, tamen illa propter nimiam diſtantiam non apparet nobis, inquit Doctor. [1]

Quæres 4. *quare flamma cometæ non aſcendit ad pyramidis modum, ſicut flamma candelæ, & aliarum rerum flammantium?*

Reſpondet Doctor, [2] ſic de facto aſcendere, ſed non apparet illa flamma propter interpoſitionem corporis cometæ.

Quæres 5. *cur dum movetur cometa non dimittit flammam à tergo, & velut ſequentem ſe: ſicut dum movemus candelam.*

Reſpondet idem Doctor, quia movetur ad motum continentis, ſicut dum candela movetur in lanterna, tunc enim flamma ejus recta aſcendit.

Quæres 6. *cur cauda ſemper appareat in oppoſitum ſolis?*

Reſpondeo, quia regulariter exhalatio eſt denſior in medio, ibique propterea eſt major inflammatio, in extremis verò exhalatio eſt ſubtilior, & rarior, & ideo minor inflammatio, & ſic claritas, qua parte reſpicit ſolem, offuſcatur, & abſorbetur à Sole, ne appareat, aut certè parùm micat, non ita eſt de parte poſteriori, & remotiori à Sole. Cùm verò ex parte ſolis illi comæ denſiores ſunt, etiam rutilant, nec totaliter abſorbentur ab ejus ſplendore, & tunc comatus dicitur. Idem dicendum, quando apparet barbatus.

Quæres 7. *unde ſint motus cometæ?* ſiquidem aliqui moventur circulariter, & diurnè ab ortu ad occaſum, aliqui ſeorſum, aliqui à Septentrione ad auſtrum: vel è contra, aliqui velocius, aliqui tardius.

Reſpondeo, primus motus venit à primo mobili, quod ſecum trahit Elementum ignis, & ſupremam aeris regionem, reliqui veniunt vel ab aliquo ſydere dominante, & trahente in unam, vel aliam partem; vel à natura, & materia ipſius cometæ, qui ver-

[1] *Ibid. n. 6.* [2] *Ibid.*

Digitized by Google

verſus materiam combuſtibilem paulatim ſerpit, *&* *qua cum vena pabuli ducit, ille repit*, inquit Seneca; ſi pabulum eſt ſurſum, ignis aſcendit; ſi eſt deorſum, deſcendit, &, cùm deficit pabulum, evaneſcit cometa.

Quæres 8. *cauſam, aut menſuram durationis cometarum.*

Reſpondeo nullam menſuram eis præfigi poſſe, durationemque pendere à majori, & ſolidiori materiæ quantitate, & qualitatibus, ſecundum quas citius, aut tardiùs conſumitur pabulum ignis.

Quæres 9. *Quo tempore generentur?*

Reſpondeo, eos poſſe quidem generari in omnibus anni tempeſtatibus, ſed tamen magis ordinarie in autumno contingunt, quia veris calor temperatus non ſufficit ad elevandam materiam, quæ adhuc humidior, & frigidior eſt: & hyemis frigus, & humiditas exhalationibus, quæ ſunt ignis pabulum, obſiſtunt; æſtatis ardor halitus omnes reſolvit, & abſumit: Autumnus verò liber eſt ab illis impedimentis; & aliundè plures tunc adſunt exhalationes viſcoſæ, & craſſæ, quæ calore æſtivo genitæ deliteſcebant in terræ cavernis, & per moderatiorem calorem extrahuntur, & elevantur.

Quæres 10. *cauſas cometarum.*

Reſpondeo, ut diximus ex Ariſtotele: cauſa *materialis* eſt halitus ex fumo, & vaporibus mixtus: *efficiens*. 1. Deus, 2. ſol, ſydera, & ignis, à quibus hi halitus creantur, extolluntur, & accenduntur.

Inſt. eſt calor cœleſtis, aut ſubterraneus, unde attractio, inflammatio, ſuſpenſio, & motus cometarum plurimum pendent: *forma*, eſt diſpoſitio, ſeu figura, ſub qua micant (de forma extrinſeca loquor) forma ſi quidem cometis non eſt una, unde præter *crinitum*, *barbatum*, & *caudatum*, qui ſunt communiores, alii formam habent *jaculi*, *enſis*, *diſci*, *trabis*, *lampadis*, *jubæ Equinę*, &c. ſed rari ſunt: *finalis* denique, mundi hujus ſalus, aut pęna, his enim ſæpe utitur Deus ad præmonendos homines de imminenti calamitate, & ad pęnitentiam provocandos.

Quæres 11. *Unde veniant differentiæ cometarum?*

Reſpondeo præter illas diverſitates, quæ veniunt

ex

Digitized by Google

ex diverſitate materiæ, quæ eſt vel ſubtilior, aut denſior, &c. & ex diverſitate formarum, quas mox aſſignabamus, aliqui etiam differunt colore, & ſecundum iſtam diverſitatem cenſentur pendere à diverſis planetis, unde planeta ſubnigri coloris dicitur eſſe *Saturni*, argenteus, aut albus dicitur eſſe *Jovis*; Marti tribuitur veru, quod eſt horribile aſpectu, & *pertica terracula*, & *matula rubea*.

Tribuitur *Veneri* cometa dictus *nubes*; & Mercurio ille, quem vocant, *Dominum attaſve*, qui minor eſt aliis; *ſoli* verò, & *Lunæ* nulli tribuuntur; quia ille per calorem nimium exhalationes abſumit, & iſta per humiditatem & frigiditatem non generat niſi humores aqueos, & frigidos, qui cometis gignendis inepti ſunt.

Quæres denique *effectus*, *& ſignificata cometarum*; nam dicitur, *nuſquam cælo ſpectatum impunè cometem*, & ſi credimus Ciceroni; [1] *ab ultima antiquitatis memoria notatum eſt cometas ſemper calamitatum prænuntios fuiſſe*.

Reſpondeo 1. non ſemper noxios eſſe cometas: dicitur, cometam, qui in Ludis Auguſti apparuit, fuiſſe mundo ſalutarem, aliqui annonæ copiam attuliſſe perhibentur; certè cum ignis cometæ validus eſt, craſſiores, & malignos terræ halitus abſumit, & purgat aerem.

Reſpondeo 2. communiter malignos effectus cauſare cometas; nam præſagiunt, & cauſant aliquatenus *ſiccitates*, *ventos*, *terræ motus*, *tempeſtates*, *ſterilitates*, *fames*, *morbos Epedemicos*, & alios: *bella*, & *mores*, maximè magnatum; mutationes Regnorum, variationes Legum, &c.

Ratio horum omnium eſt. 1. quia humidioribus & pinguioribus vaporibus conſumptus, aduſti, & nitroſi ſpiritus ſparguntur, qui humidam aeris qualitatem minuunt, terræ pinguedinem vorant, & ſemina exſiccant, humores, & maximè bilem, accendunt, inquit Doctor, [2] & inde ſiccitates. 2. Cometa generatur & ex Exhalatione calida, & ſicca, unctuoſa, & tenaci; ideo tempore cometæ generantur multi halitus in viſceribus terræ, & elevantur, quarum partes tenaces, unctuoſæ, & fortiores aſcen-

[1] *L.2. de natur. Deor.* [2] *q.19. n.6.*

Digitized by Google

aſcendunt ſuperiùs, & cedunt in materiam cometæ; debiliores verò, & minus unctuoſæ cedunt in materiam *ventorum* 3. quod ſi halitus illi calidi, & ſicci in terræ viſceribus geniti impediantur exire propter frigiditatem externam, & alias contrarietates, vim faciunt, magis excandeſcunt ex antiperiſtaſi, petendo exitum, quem ſi liberum non inveniant, terram vehementibus impulſibus quatiunt, & inde ſunt *Terræ motus*, ſi verò exitus liberos inveniant, aeris partes fortiter percutiunt, & commovent, *Turbines*, ventoſque cauſant vehementiores. Ex iiſdem cauſis, ſeu ventis veniunt *procellæ, & tempeſtates*, & ex ſiccitate *ſterilitates, & fames*.

4. *Morbos* cauſant, quia tunc aer eſt alteratus: eſt enim valde calidus, & ſiccus, & ſic ponitur extra naturales diſpoſitiones continentes vitam, quæ conſiſtit in calido, & humido, item tunc aer ſic calidus, & ſiccus adurit plantas, & fructus nimium exſiccat; item ex corpore cometæ ſpiritus fęculenti decidunt, quibus inficiuntur corpora, ſicut videmus ex carbone, vel candela extincta exire fumum lethiferum, & fętidum.

4. *Bella*, quia ex ea ſiccitate, & calore immoderato, & intempeſtivo *incitatur, & augetur cholera in hominibus, quæ eſt maxima cauſa rixationis, & iræ, dixitque Ptolemæus: quod cometa mutat homines ad omnes res, quæ ſunt facilis motus*, ut cholera, ſeu Bilis: inde igitur *Bella, ſeditiones, homicidia, morteſque violentæ*, & ex his *mutationes Regnorum*.

6. Indidem etiam naſcuntur *mutationes legum*, & ſectarum; quia tunc quodam modo mutantur homines ratione caloris ad credendum, vel aliter opinandum.

7. *Quoad mortes regum*, multi multa dicunt; crederem cum Scoto [1] cometas ordinariè non cauſare potiùs mortes principum, quàm pauperum, & plebejorum, niſi quia illi notabiliores ſunt, & ſic mortes eorum magis notantur, & quia delicatiores, & ideo magis obnoxii ſunt malignis impreſſionibus aeris, quas cauſant cometæ, & Bellis, & commotionibus, ac ſeditionibus ſunt magis expoſiti.

Dixi, *ordinariè*: nam Deus poteſt, & de facto ſæpe

[1] *ibid. cap.7.*

Digitized by Google

ſæpe mediis cometis mortem aliquorum principum prænuntiari voluit.

Deniquecometæ ſpeciales habent influxus bonos, aut malos ex ſyderibus, ac planetis, à quibus diriguntur, qui ſi maligni ſunt, inde cometæ fiunt maligniores, ſi benefici, & iſti fiunt benigniores, aut minùs nocivi.

QUÆSTIO III.

De aliis Meteoris Ignitis.

PRæter cometas, qui ſunt rariores, videmus alias plures impreſſiones igneas in aere minoris momenti, ſed quarum naturam breviter explicamus, ſupponentes ſemper quòd ignitarum impreſſionum una eſt materia, ſcilicet exhalatio calida, & ſicca, formæ verò diverſæ, prout diverſa eſt inflammationis ratio, vel halituum diſpoſitio.

Hi halitus facilè inflammantur in ſummo aere 1. propter calorem eorum motuum. 2. per radios directè repercuſſos. 3. per ſphæram ignis aeri proximam (ſi detur) 4. per crebras partium ignis in aera eruptiones. 5. per antiperiſtaſim, ut cùm in nubibus fulmen inflammatur propter frigus ambiens, ſed hoc non accidit in ſuprema regione. His ſuppoſitis

1. *Galaxiam*, ſeu viam lacteam, quam vulgus, viam ſancti Jacobi ſolet appellare, Ariſtoteles,& alii reponunt inter Meteora, ſed nos cum Scoto [1] dicimus eam pertinere ad cœlos: ideo de illa hìc non diſputamus.

2. *Fulgur*,ſeu *Coruſcatio*,eſt lumen exhalationis accenſæ,& erumpentis cum impetu, & brevis durationis, & ſi fit ſine fragore dicitur *ſimplex coruſcatio*: quia ſcilicet multi ſpiritus inflammabiles elevantur, & antequam in nubes cogantur, accenduntur. *Fulgur* dicitur à micante fulgore, quem exhibet, reperiturque interdum ſine nubibus, nocte ſerena, & calore ambientis aeris, & accenſis flammis, & plerumque *tonitru* auditur.

2. *Fulmen* à fulgure non differt niſi accidentaliter, nam cùm exhalatio eſt nimis rara, cauſat ſplendorem, & co-

[1] *Diſp. 2. de cœlo. q. 9.*

& coruſcationem ad modum lucis, quæ dicitur fulgur, ſi autem denſior fuerit, & in unum ob materiæ viſcoſitatem, aliaſque diſpoſitiones compacta, dicitur fulmen, magnaque vi expellitur, ita ut arbores, & ædificia diruat, *fulgur* ad terram uſque non pervenit; ut *fulmen*; unde *fulgur* dicitur *fulmen inchoatum* eſt comminatio, & conatio ſine ictu, eſt ignis explicitus, & fuiſſet fulmen, ſi plus virium, ac materię habuiſſet: ſed eſt ignis tàm modicus, ut antequam ad terram perveniat, extinguatur. *Fulmen* è contra, *eſt ignis ſtrictus, ſolidus, & violenter factus deorſum*, inquit, Scotus, [1] unde dicitur, *exhalatio ignita magno impetu deſcendens*.

Triplex eſt fulmen. 1. *penetrans*, [2] & *ſubtile*, & *tenebrans*, quod præ ſubtilitate, & tenuitate penetrat poros ligni, illæſa ejus ſubſtantia. 2. *groſſum*, ſeu *diſcutiens*, aut *diſſipans*, quod eſt magis forte, & conglobatum ob viſcoſitatem materiæ, & iſtud non tam penetrat corpora, quàm frangit, & conterit. 3. *urens*, quia eſt magis igneus, & ideo res, quas tangit, adurit.

Differunt etiam in colore, & motu; nam, pro diverſitate materiæ aliud eſt quaſi album: aliud eſt rubeum, aliud quaſi croceum, aliud nigrum, ſicut flamma diverſos induit colores ſecundum materiæ varietatem. Item aliud movetur tranſverſaliter, ſicut aves: aliud quaſi directè deorſum cadit, non tamen perpendiculariter perfectè, *quia omnis impreſſio ignita deorſum cadens, non deſcendit directè, ſed quodam motu laterali, & tranſverſali*; obliquo denique, & tortuoſo.

Fulminis effectus [3] adeò mirabiles ſunt, ut non videantur naturales: ideòque Antiqui fulmen tribuebant Jovi Deorum ſupremo. Scotus 17. numerat, & explicat, alii plures cenſent. Præcipui ſunt.

1. Ventus vehemens præcedit, & comitatur fulmen, & ideò corpora ferienda tremunt, antequam feriantur, quia ex impulſu exhalationis aer medius movetur, & impellitur, quaſi ventus: & hic impulſus venit ab exhalatione erumpente de nube. 2. quandoque abſumit; & liquefacit gladium in vagina, aurum in burſa, oſſa animalium, ſalva carne, vagina,

[1] *L.3.q.2.n.2.* [2] *ibid.n.3.* [3] *Ibid.*

Digitized by Google

gina, & burſa; quia materia hujus fulminis, cùm ſit ſubtiliſſima, penetrat poros priorum corporum, & agit in duriora, quæ non poteſt ſic penetrare, quæque magis reſiſtunt. 3. indidem eſt, quòd non penetrat, nec adurit aliquando dura, & ſolida, ſed illa frangit, & conterit; quia materia ejus valdè compacta eſt, & fortis: ideò impulſus fortior, & impetuoſior. 4. aliquando adurit ea, quæ tangit, ut Domos, Urbes, nemora, & hoc per nimium ardorem. 5. corpora illa relinquit nigra, aut crocea propter aduſtionem flammæ levioris. 6. relinquit poſt ſe fœtorem malignum, odorem ſulphureum, & peſtilentem, propter malignitatem, & viſcoſitatem materiæ ſuæ; & ideò eſt venenoſum. Animalia, & plantæ percuſſæ comedentibus noxiæ ſunt. 7. quandoque cadens in dolium vini, vas ipſum abſumit, remanente vino in quadam cruſta, in qua conſervatur aliquandiù, quia viſcoſitatem vini extrahit ad ſuperficiem, & eam indurat ad modum pellis, aut cruſtæ. Abſit potus talis liquoris. 8. contrarium aliàs accidit: ſcilicet vinum exſiccat ſalvo dolio. 9. ſi percutiat res venenoſas, diſſipat venenum, ſed inficit ſanas, ſecundum diverſas diſpoſitiones agentis, & paſſi. 10. ob id etiam interimit hominem ſtatim, ubicumque feriat illum, ſcilicet propter venenum ſuum, & ſi percutitur dormiens, moritur oculis apertis, ſi vigilans feritur, moritur oculis clauſis, quia dormiens expergiſcitur, aperitque oculos, & vigilans præ timore claudit. Notatur etiam, quòd in eodem ſitu permanet mortuus, in quo percuſſus eſt. 11. mirum quòd, qui ex veneno moriuntur, vermes non faciunt; benè verò, qui fulmine percutiuntur, cujus cauſam aliam non novit Doctor, niſi quòd iſta venena ſunt diverſæ naturæ, id poſſet tribui ſympathiæ venenorum, qua fit, ut unum trahat aliud, velut pabulum ſuum, & ſi non illud inveniat, proprium relinquat. 12. Regulariter alta ferit, ut turres, campanilia, arbores proceras, montes, &c. *feriuntque ſummos fulmina montes*; nec tamen loca humilia ſemper ab eo ſunt immunia, *Ratio* eſt, quia ſæpiùs materia fulminis eſt conſumpta, priuſquàm ad ima perveniat, & major eſt in ſuperioribus. 13. narratur de Martia nobili fœmina Romana & prægnan-

gnante, quòd tacta fulmine fętus necatus eſt, & ipſa incolumis relicta, de aliis è contra dicitur, quòd matres necatæ ſunt, ſalvis fętibus. Denique plurima creduntur à fulmine non tangi: ut *Laurus, Hyacinthus, Aquila, Gemmæ, vituli marini*, ideoque illorum pelle ſe tegebant Commodus, & Auguſtus imperatores. Quidam dicunt, aliquando fulmen cum lampadibus in aere formatis cadere, & hoc poſſibile putat Scotus, plura de fulmine occurrunt apud auctores.

3. *Tonitru* eſt ſonus factus in nubibus ex violenta percuſſione exhalationis calidæ, & ſiccæ cum illis, aut illarum inter ſe colliſione, aut ex fractione nubis, aut eruptione illius è nube, aut ex motu violento ejus in ventre nubis, ex qua exitum quærit, ſemper *fulgur* præcedit, ſed ille prius videtur, quia viſus prævertit auditum.

4. Alia minus notabilia Meteora ignita ſunt, *ſydus diſcurrens*, quod accidit, cùm exhalatio longa, & parùm lata ſenſim, & ordinatim ſucceſſivè accenditur, & extinguitur eodem ordine, quo accendebatur, ut videmus in tramite pulveris tormentarii; & inde eſt, quòd videtur illa materia moveri, & diſcurrere. Dicitur *ſtella cadens*, quia deorsùm dejicitur ob reſiſtentiam alterius corporis. 2. *capra ſaltans*, ſcilicet exhalatio accenſa, quæ ex inconſtantia motus, & varietate figuræ ſpeciem exhibet *capræ ſaltantis*; ſucceſſivè, & per partes, & paulatim accenditur ſine ordine. 3. *Lancea*, eſt exhalatio longa, & minus lata, ac ſimul tota accenſa. Dicitur etiam *Jaculum*, *Trabes, columna, ignis perpendicularis, pyramis*, &c. quia horum figuram exhibet. 4. *ignis fatuus*; eſt exhalatio viſcoſa, & accenſa in infima regione aeris, cujus motum ſequitur; ideo ſequitur nos, aut præcedit, & huc, illucque diſcurrit; quia ſcilicet aere agitato facile trahitur, aut propellitur; ſolet ſæpius videri in cęmeteriis, vel prope patibula, vel in paludibus, propter materias viſcoſas, quæ ibi reperiuntur. Dicitur *fatuus*, propter inconſtantiam, & irregularitatem motus, accedit enim, recedit, ſaltat, inclinatur, in omnes partes. Videtur etiam, *ut Cereus ardens*, quicitò extinguitur.

Digitized by Google

5. *Ignis lambens* eſt exhalatio rara, & ſubtilis, ac inflammata, quæ animalium capillis adhæret, quaſi *lambens*, quia exhalant ſpiritus pingues, ex quibus hoc Meteorum formatur. 6. *Draco volans*, eſt exhalatio accenſa, & non uniformiter denſa, ſurſum tendens, ac ſcintillans, draconis ſpeciem exhibens. 7. *Caſtor*, & *pollux*, & *Helena*, ſunt exhalationes pinguiores, & viſcoſæ, & accenſæ, quæ ſolent apparere navigantibus circa antennas, vel alias partes navis, quia ex cera, & piſce, quibus naves inunguntur, aſcendunt formoſitates viſcoſæ, & pingues, quæ ſunt materia hujus Meteori. Si unica apparet, dicitur *Helena*, & cenſetur infauſtum omen, magnam tempeſtatem ominatur; quia cum hæc exhalatio in unum conglobatur, & ad ima deſcendit, ſignum eſt adeſſe multam, & craſſam, denſam, & bene compactam materiam, quæ antequam penitùs reſolvatur, vehementiores excitat ventos. Si verò exhalatio, & ignis geminus apparet, dicitur *Caſtor*, & *pollux*; eſt fauſtum omen, quia cum exhalatio ſit ſubtilior, & rarior, ſignum eſt eam fore brevi conſumptam, & ominatur tranquillitatem.

Quæres, *unde hæc ignem concipiant, & inflammentur?*

Reſpondeo ſublimiora poſſe inflammari ab igne æthereo, ſi adſit, ſed magis ex motu, à ſole, vel aliquo alio ſydere, non enim eadem eſt ſemper cauſa accenſionis.

Porro dantur etiam ignes ſubterranei, ut patet ex montibus *Etæna* Siciliæ, & *Veſuvio* Campaniæ, qui flammas identidem magno impetu evomunt, cauſaque horum eſt terra ſulphurea, & bituminoſa, quæ diſpoſitiſſima eſt ad ignem concipiendum, & incendi poteſt vel ex motu, & colliſione, dum agitatur in antris exitum quærens, vel per Antiperiſtaſim, vel virtute alicujus ſyderis, &c.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO IV.

De Meteoris lucidis, & apparentibus in aere.

IMpreſſiones igneæ, de quibus diximus in quæſtione præcedenti ſunt veræ, ac reales, & ignem verum continent, ſunt autem aliæ, quæ in ſubſtantia non ſunt igneæ, ſed apparent lucidæ, & coloratæ, & hoc fit ex ſola repercuſſione luminis, quod à corpore lucido diffuſum recipitur in ſuperficie, vel extremis partibus exhalationum, vel ex refractione luminis ejuſdem, quo fit, ut res in alio ſitu appareat, quam verè ſit in ſe, quia lumen ob inæqualitatem medii non fideliter repræſentatur oculo, ſicut baculus partim immerſus aquæ apparet fractus, aut curvus, cùm ſit rectus.

Certum quippe eſt, quòd ex diverſa reflexione, vel refractione luminis in corpus opacum incidentis naſcuntur colores. Radius autem alius eſt *rectus*, qui liberè per tranſparens corpus tranſit, verbi gratia per vitrum, vel aquam: alius reflexus, qui occurrens corpori opaco illud pertranſire nequit, ſed integer reſilit, ut pila reſilit à pariete: alius *refractus*, qui occurrens corpori partim diaphano, partim opaco, nec illud omninò penetrat, nec totus reſilit: ſed potius diſpergitur, ut cum projicis pomum putridum in parietem, (ſic exemplificat Scotus) [1] & tunc radius diverſos colores pingit in corpore, à quo refrangitur in oppoſitum, ut vides in vaſe vitreo aqua pleno, in quo radii ſolares recepti pingunt varios colores, atque etiam in pariete illi oppoſito, & hoc docet experientia, potiuſquam ratio, ſaltem nobis nota. Hinc in aere, & in nubibus apparent diverſæ impreſſiones colorum, & figurarum, v. g. *Iris*, *Hiatus*, *Vorago*, *Corona*, *Virga*, *Pareliæ*, *&c.*

Iris, dicitur à Philoſopho arcus diſcolor apparens ex receptione, & reflexione luminis ſolaris in nube rorida. Dicitur 1. *arcus*, quia de ratione ejus eſt, ut ſit figuræ circularis, & per hoc differt ab aliis meteoris apparentibus, & coloratis,

[1] *L.* 5. *q.* 8

& hoc ideò eſt, quia directè ſoli opponitur, ab ejus lumine efformatur, nec poteſt aliam inducere figuram, quàm circularem, & quidem nunquam ſemicirculum excedit, quia pars altera circuli debet incidere in profunditatem terræ, 2. *diſcolor*, & per id etiam differt ab aliis lucidis, quæ non exhibent varios colores, ſed purè lucidi ſunt, vel obſcuri, hi autem colores plurimi ſunt, ſed hi tres ſunt præcipui, *puniceus*, qui ſurſum, & circa periferiam: *viridis*, qui in medio, & *purpureus*, qui in inferiori parte interiori. Diverſitas hæc oritur ex diverſa commixtione lucis cum nube. 3. *Apparens*, quia colores non ſunt veri, ſed apparentes, ut communiter docent Philoſophi. 4. *ex reflexione luminis ſolaris*, quæ eſt cauſa efficiens Iridis, licèt enim lunam ſuam etiam efformet iridem, non tamen diſcolorem, ſed albicantem ob debilitatem luminis reflexi. 5. *in nube rorida*, quæque mox in pluviam reſolvenda eſt, nam hæc eſt cauſa ejus materialis.

Ut videatur, debet. 1. oculus eſſe medius inter ſolem, & nubem, 2. nubes debet eſſe interius opaca, & denſa, & in externa ſuperficie diaphana, & plana, non tamen perpolita inſtar ſpeculi, alioquin totam redderet ſolis imaginem: unde fit, ut quando ſol eſt in medio cęli, ſi reperiantur nubes hujuſmodi in oriente, & occidente, ambæ, & utrobique *irides* efformabunt, & ab eodem oculo ſucceſsive poterunt videri.

Accidit quoque, ut per unam *iridem* alia ſimiliter efformetur in nube oppoſita per reflexionem, ſed coloribus inverſis, ut fit in ſpeculis, atque etiam ex hac efformabitur tertia, ſed cujus colores tàm debiles appareant, ut vix quartam poſſit efficere: item accidit, ut quotquot nubem aſpiciunt ex diverſo ſitu, & diſtantia, ſinguli iridem advertunt, ſed in diverſis partibus nubis ob diverſam refractionem, & poſituram.

Iris ſignificat pluviam; quæ ſemper comitatur iridem, vel mox ſequutura eſt, ſed brevi poſtmodum intervallo ſerenitatem portendit, quia cum præcedit pluviam, ſignum eſt nubem eſſe aquis gravidam, & mox illas parituram, cùm verò ſequitur, ſignum eſt materiam pluvioſam minui.

Ex

Digitized by Google

Ex divina autem inſtitutione, non verò ex natura ſua ſignificat diluvium univerſale non amplius futurum.

Datur etiam Iris lunaris, ſed ut jam diximus, rarò accidit, & colores ejus non ſunt adeo vividi ob debilitatem luminis, nec propriè apparet niſi lux albeſcens.

Corona, ſeu *Halo*, ſeu, *Area*, eſt inſignis quidam circulus, qui circa Solem, & Lunam, aut aliud ſydus apparet, velut altera *iris*, ſed ab *iride* differt 1. quia eſt ſub ſydere, & mediat inter illud, & oculum. 2. quia eſt unicolor, ſaltem alii colores non multum apparent; ſæpiùs ſub Luna videtur, quàm ſub ſole, quia hic vel facilius nubes oppoſitas penetrat; vel diſſipat, quàm Luna, nubes porrò illa eſt etiam rorida, ſicut Iridalis, orbicularis verò apparet, quia in pari ſitu, & diſtantia reflexio fit ad Angulos pares.

Si *Halo* magis, ac magis denſetur, pluviam denuntiat, ſi ſtatim diſſipatur, ventos; ſi lentè diſpareat, ſerenitatem præſignat.

Parhelius eſt imago ſolis in nube collaterali, velut in ſpeculo expreſſa, ut videmus in aqua limpida; Dico, *Laterali*, quia nubes debet eſſe ad Latera Solis ad auſtrum, vel aquilonem in debita diſtantia. Debet etiam eſſe rorida, & verſus ſolem perſpicua, & polita, & à tergo opaca, & terminata; ut ſolis imaginem in parte anteriori receptam reflectere poſſit. Si contingant ex utroque ſolis latere tales nubes, & in ſimili diſpoſitione tres, imò plures videbuntur ſoles, unus realis, alii apparentes, & in imagine: quod non ſemel contigiſſe narrant hiſtorici. Idem contigiſſe dicitur de Luna, quæ ſuos etiam format parhelios., & dicuntur *paraſelenæ*.

Virga eſt radius ſolaris penetrans nubem inæqualiter denſam, & raram, verſus terram protenſus per lineam rectam, non verò curvam, ut Iris; plurali voce ſignificantur, & *virgæ* dicuntur, cum plures ſimul apparent, & pluviam indicant, quia nubes eſt rorida.

Hiatus, & *vorago* apparent in aere, cùm elevantur halitus conſtipati, & circa medium denſi,

& verſus extrema rariores, & directè poſiti inter lumen ſyderum lucidorum, & oculos noſtros, ſpeciem exhibent foveæ, quæ, ſi ſit ingens, dicitur *Vorago*, ſi parva, dicitur *Hiatus*, & id accidit, quia in extremis, & circumferentia ob raritatem, nubes luminoſa eſt, & in medio obſcura, & quaſi profunda ob opacitatem, obſcurum quippe cum minùs viſum feriat, remotius apparet, clarum verò propinquius.

Alia quædam quandoque apparuiſſe leguntur in aere ſpectacula; verbi gratia, *Confligentium militum cohortes*: ſed hæc divina potius, ac ſupernaturali virtute facta ſunt, quàm ordinaria naturæ ope. Diſputandum reſtat de harum impreſſionum coloribus, an veri ſint, an ſolùm apparentes. Pro quo ſit

CONCLUSIO.

Colores Iridis, & ſimilium Meteororum ſunt ſolùm apparentes. Ita communiter.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Apparentia colorum Iridis *non eſt aliud, quàm lux, vel lumen apparens per diaphanum denſum, & ideo radius luminis veniens à ſole tranſiens per partem guttulæ tenuiorem facit apparere colorem magis clarum, ſcilicet puniceum, dein tranſiens per partem æqualiter ſpiſſiorem facit apparere colorem viridem, & radius tranſiens per centrum guttulæ, ubi gutta eſt ſpiſſior, facit apparere colorem alurgum, qui eſt rubeus obſcurus: &, quod dicitur de una guttula, poteſt dici de qualibet.* Supponit ergo Doctor, nubem, in qua formatur, & apparet Iris, eſſe adunatam ex innumeris guttulis, quæ reflectunt lumen.

Magis directè docet, quòd *non eſt ibi aliquis color realiter exiſtens, ſed lux ſolis ibi videtur reflexè, & denſitas, ſive ſpiſſitudo nubis una cum lumine incorporato infra nubem, ita quòd iſta tria ſimul videntur, & per modum unius viſibilis, ſicut quando radius ſolis tranſit per vitrum rubeum, ſi flectatur ad parietem, apparet rubedo in pariete, & illud, quod videtur, non eſt aliud, quàm lux ſolis ſimiliter reflexus, ſed color parietis apparet directè*, &c.

Prob.

[1] *L.3.q.8.n.7.*

Digitized by Google

Prob. 2. Si eſſent veri colores, videretur undecumque idem color in eadem parte: ſed conſequens falſum eſt, ergo non ſunt veri colores. Min. patet experientia, nam ſinguli homines aliqualiter diſtantes vident ſuam Iridem, ita ut, uni appareat viridis, & medius idem arcus, qui alteri apparebat puniceus, aut rubeus, & alter non videt illum colorem, ubi alii vident, ſcilicet ſecundum varios ſingulorum ſitus. Prob. ergo maj. Nam veri colores oriuntur vel ex diverſa primarum qualitatum mixtura, ut volunt aliqui, vel ex varia mixtura lucis cum opaco, ut placet aliis: ſed undecumque veniant colores iſti, deberent iidem videri undecumque in eadem parte nubis, ergo, ſi colores iridis eſſent veri, videretur idem color undecumque in eadem parte. Prob. min. 1. experientia, nam verus color rubeus videtur ab oculo rectè diſpoſito, undecumque aſpiciatur, & in eadem parte, verbi gratia, albedo parietis, rubor vini, viriditas herbæ, &c. 2. quia in nube, quæ eſt purum Elementum, ſaltem ſubſtantialiter, non eſt mixtura primarum qualitatum, & ſi admittatur ad eſſe, ~~ſicut~~ & mixtura lucis cum opaco, neutra mixtura diverſificatur reſpectu diverſorum intuentium, ergo in quacumque mixtura fiant veri colores, certum eſt colores iridis non eſſe tales.

Objic. Senſus circa proprium ſenſibile non decipitur; ſed oculus percipit veros colores in iride, & colores ſunt proprium ſenſibile oculi, ergo in iride ſunt veri colores.

Reſp. 1. n. min. quoad 2. partem, vel ſic diſtinguo. Colores ſunt proprium oculi ſenſibile, ſeu objectum inadæquatum, conc. min. adæquatum, n. min. & conſeq. Lux, & lumen etiam eſt viſibile, ideò non eſt neceſſe, ut omne, quod videtur, ſit coloratum, ſufficit, ut ſit illuminatum.

Reſp. 2. n. min. quoad 1. p. Nam, quod videtur in iride, eſt lumen flexum, & refractum, & ſpecies colorum, ut cùm phiala aqua plena objicitur radiis ſolaribus, à tergo ejus videntur ſimiles colores, qui apparent in iride; idem eſt de imagine ſolis in aqua limpida, & tamen certum eſt, illam imaginem non eſſe verè coloratam, ſed tantùm habet veras ſpecies

Digitized by Google

coloris, quas verè, & realiter immittit in oculos; & ſic non decipiuntur, qui vident ſolem per ſpecies ſuas in aqua impreſſas, & ex aqua in ipſos reflexas. Ita eſt in iride; oculus videt ſpecies veras, & reales colorum, non veros colores.

Objic. 2. In nube eſt verus aliquis color, ergo quilibet alius eſſe poteſt, v. g. rubeus, viridis, &c. ergo de facto inſunt illi colores in iride, quandoquidem videntur. Prob. Ant. Nam in nube eſt quædam nigredo, ergo & verus color.

Reſp. cum [1] Scoto n. utrumque ant. Vel enim in nube nullus eſt color, ſicut nec in aere, nec in aqua, vel eſt valdè remiſſus: nigredo autem apparet ex defectu luminis, ut in aere de nocte, & in aqua valde profunda, quæ nigra apparet, quamvis non ſit, quia lux in profundum non penetrat.

QUÆSTIO V.

De Ventis, Turbine, Procella, & Terræ motu.

TAm abſtruſa eſt, quàm ſenſibilis natura, & origo ventorum; primum probant non ſolùm de illa variæ, ac pugnantes Philoſophorum ſententiæ, ſed etiam ſcripturæ ſacræ oracula, quæ cauſam eorum ſoli Deo tribuunt; qui *producit ventos de theſauris ſuis*, & *eſt creans ventum*, & S. Auguſtinus [2] utrumque docet dicens, quia *flat ventus, ſentis: qua cauſa flat, vel de quo theſauro rationis eductus, neſcis*. Præcipua difficultas eſt circa cauſas materialem, & efficientem, de quibus breviter dicemus, quæ probabiliora videntur.

CONCLUSIO I.

MAteria communis ventorum eſt exhalatio calida, & ſicca cum aliqua tamen admixtione vaporis. Eſt ferè communis.

Prob. 1. ex Ariſt. [3] *& Scoto*, quia *ventus, & pluvia conveniunt invicem per mutationem factam (quatenùs ſibi ſuccedunt, & in ſe invicem mutantur)* ergo

[1] *L. 3. q. 8. n. 9.* [2] *Auguſt. in pſal. 134.*
[3] *L. 2. q. 4. n. 2.*

Digitized by Google

ergo ventus eſt exhalatio calida, & ſicca. Patet Ant. magni venti faciunt ceſſare magnas pluvias, & è contrario, quia materia unius per alterationem cedit in materiam alterius. Prob. conſeq. Pluvia generatur ex vapore, & eſt frigida, & humida, ergo id, in quod permutatur, debet eſſe ex exhalatione, ergo debet eſſe calidum, & ſiccum, nam omnis permutatio eſt de contrario in contrarium.

Prob.2. ex eodem. Ventus eſt aer motus, ut volunt multi, vel vapor, ut dicunt pauci, vel exhalatio, ſed non eſt aer motus, nec vapor ſolus, ergo eſt exhalatio. Min. patet. Nec enim poteſt alia fingi materia, quàm unum ex iſtis. Prob. min.1. de aere etiam moto: ille enim motus aut eſſet naturalis, aut violentus; non naturalis, alioqui deberet eſſe continuus: *non fieret una vice, & ceſſaret alia*, inquit Doctor; nec violentus, quia deberet aſſignari cauſa talis motus, quo movetur aer modo in unam, modo in aliam partem.

Prob.2. de vapore. Nam ventus deſiccat, vapor verò humectat, & aer eſt indifferens ad utrumque, ergo ventus non eſt vapor, ſaltem purus.

Confir.1. de aere. Quia ſi ventus eſſet ſolus aer commotus, numquam deeſſet navigantibus, quia ſemper commovent aerem: & ſemper eſſet idem ventus ſaltem ſubſtantialiter: ſed conſequens utrumque eſt contra experientiam; nam ſæpe navigantes ſunt ſine vento, & fiunt venti diverſiſſimi, ut patet de Borea, & ſubſolano, qui habent diverſiſſimas proprietates.

Confir.2. de vapore, Nam ventus exſiccat, & diſſipat nubes, & pluvias, vapor humectat, & format nubes, ac pluvias, ergo ventus non eſt purus vapor, ſed exhalatio ſaltem ex majori parte.

Dico, *ex majori parte*. Nec enim negamus, quin interſint aer, & vapores; certè non poſſunt ſine magna aeris commotione huc, illucque diſcurrere vapores, nec exhalationes; hæc enim impetunt aerem, & ante ſe propulſant, ſicut & aliæ partes ejuſdem aeris ſequuntur, & occurrunt ad implendum vacuum; ſic non ita denſato agmine decurrunt puræ exhalationes, & vapores, quin in ſe contineant aeris partes multas. Similiter venti iidem non poſſunt eſſe

ex-

ex puris exhalationibus ſine admixtione vaporum, & maximè cùm terram humectant, & pluvias ſequuntur, aut relinquunt: nec videtur poſſe à terra tanta exhalationis copia elevari, quantam experimur in magnis ventis. Præterea venti ſæpè elevantur ex mari, quod præter exhalationes calidas, & ſiccas ex ſalſedine ortas, habet etiam humidas, ideò venti maximi humectant valdè. Sic facilè conciliantur Philoſophi, qui videntur diſcrepantes, & maximè Scotus, qui non loquitur, niſi de exhalatione, & videtur negare; aerem commotum eſſe materiam ventorum, loquitur ſcilicet de materia totali, aut principali, quæ eſt exhalatio.

Objic. 1. ex Ariſtotele, & Patribus, v. g. SS. Damaſceno, & Iſidoro, *ventos dici commotum aerem*, ergo ventus non differt ſubſtantialiter ab aere.

Reſp.n.conſeq. Id enim dicunt, non quòd ventus ſit ipſe aer: ſed quia aerem commovet, eſt ergo *aer commotus* non formaliter, vel materialiter, ſed effectivè.

Objic.2. Aer, cùm ſit levior mari, faciliùs commovetur, & fluit, ac refluit; ſed ille motus, ſeu fluxus, & refluxus aeris eſt ventus, ergo ventus eſt aer commotus.

Reſp.neg.min. Nam, ſicut fluctuatio maris non eſt ventus, ita nec fluctuatio, ſeu motus aeris.

Inſt. Aer flabello, vel follibus concitatus eſt ventus, ergo ventus non differt ab aere commoto.

Reſp.neg.ant. Commotio venti eſt naturalis, illa verò eſt artificialis, & aer ſic concitatus dicitur quidem ventus, ſed impropriè, ſicut aqua fluens ex dolio non dicitur propriè flumen.

Objic.3. Ex mari multi, & vehementes oriuntur venti, ergo venti ſunt vapores, non exhalationes. Prob. conſeq. Quia ex aqua non elevantur, niſi vapores humidi, & frigidi.

Reſp.neg.conſeq. & ant.prob.ejus. Nam, ut diximus ex mari propter ſalſedinem, & admixtionem terræ elevantur etiam exhalationes multæ.

Objic.4. Si materia venti eſſet exhalatio, omnes venti eſſent calidi, & ſicci; & quando flant venti, eſſet major caliditas, quàm aliis temporibus: ſed hæc ſunt falſa, & contra experientiam; nam aliqui ſunt frigi-

Digitized by Google

frigidi, & humidi, & aer ſæpè frigidior, ergo materia ventorum non eſt exhalatio.

Reſp. diſt. maj. Si exhalatio pura eſſet materia ventorum, & nihil officeret, conc. maj. ſi ſit aliqua immixtio vaporum, & intervenientes aliæ cauſæ humiditatis, & frigoris, neg. maj. & conſeq. Venti autem fiunt aliquandò ex mixtione vaporum, & inde frigeſcunt, & humidi ſunt; tranſeunt etiam ſuper nives, & glacies, ut venti Boreales, indeque frigeſcunt.

CONCLUSIO II.

Cauſa formalis ventorum eſt commotio lateralis.

Prob. ex [1] *Doctore*. Forma ejus, *inquit*, dicitur motus, ità quòd exhalatio dicitur ventus à motu ejus, quemadmodum corpus dicitur album ab albedine: quia, ſi exhalatio non movetur, vel ſi moveatur directè ſursùm, adhuc non dicitur ventus: ſed ſi moveatur directè deorsùm, vocatur *Ecnephias*; ſi circulariter moveatur deorsùm dicitur *Turbo*; ſi verò ad latus, & cum hoc quandocunque ad diverſas differentias poſitionis, tunc vocatur *ventus*.

CONCLUSIO III.

Cauſa principalis efficiens ventorùm eſt cœlum per ſuorum ſyderum influentias, & vires occultas: minùs principalis, & quaſi per accidens eſt frigiditas mediæ regionis aeris.

Prob. 1. *ex Scoto* [2] quoad utramque partem. Cauſa effectiva *motus ventorum eſt frigiditas* propellens exhalationem deorsùm. Sed ſecundum *Aſtrologos eſt verum*, quòd ad hoc faciunt *influentiæ*, & *ſpecialiter Conſtellationes*, quarum una nata eſt *movere exhalationem ab una parte*, & alia ad aliam (ecce rationem motus lateralis & tranſverſi ventorum, ſcilicet influxus diverſarum conſtellationum, quarum una trahit vel impellit exhalationem in unam partem, & alia in alteram.)
„ Quatenus verò ad id concurrit frigiditas aeris
„ ſic diſcurrit. Exhalatio calida, & ſicca elevata ſuperius

[1] *ibid. ar.* 2. *n.* 3. [2] *Ibid. ar.* 3. *n.* 6.

Digitized by Google

,, periùs à calore ſolis obviat frigiditati mediæ regionis, vel alterius vaporis frigidi interpoſiti, per quam ratione contrarietatis propellitur deorſùm; & , quia materia levis eſt, & ſeorſum inclinata, ideò movetur ad latus, &, una parte mota, propter levitatem alia faciliter impellitur una cum aere, & ſic continuatur ventus ille uſque ad magnam diſtantiam, quouſque materia ſic diſperſa per partes diverſas conſumatur à ſole.

Prob. 2. quoad 1. partem. Quia experientia docet ex certa ſyderum combinatione, ortu, & aſpectu excitari diverſos ventos; & ſicut mare fluit, & refluit ex impreſſione ſolis, & lunæ; ita ex ſimili impreſſione eorumdem, ac aliorum ſyderum exhalationes, & aer, poſſunt huc, illucque trahi, & impelli: & ſicut magnes trahit ferrum, ſic aliqua ſydera poſſunt trahere certas exhalationes, halitus, & vapores; quos ipſamet aſtra elevant à terra, & aqua. Denique aptior cauſa naturalis nequit aſſignari, & hæc congrua ſatis eſt, ergo rectè aſſignatur.

Prob. etiam quoad 2. p. Quia, ut patet ex diſcurſu Scoti, ſic facilè contingit aliquis motus lateralis halituum, & maximè ex Antiperiſtaſi, qua reſilientes huc, illucque ſpiritus illi magis incaleſcunt, ac dilatantur, & diſperguntur: ſed tamen cauſæ principales ſunt ſol, & alia ſydera, quæ, ut dixi, elevant illos halitus, & vapores trahunt, & impellunt in diverſas partes.

Cauſam finalem ventis aſſignat Scotus. 1. congregare nubes, dicente Ariſtotele, quod *cæcas attrahit nubes; ſicut avarus pecunias* 2. deferre nubes de una regione ad aliam, propter irrigationem terræ. 3. propter ſalutem arborum; quia, ſicut homo, & alia animalia præter nutrimentum indigent exercitio ad ſanitatem tuendam: ſic motus arboribus eſt ſalutaris, & fit per ventos, 4. purgant aerem, qui in nimia quiete inficitur.

Ventorum originem ponit præcipuè in montibus, licèt etiam ex vallibus aliquando poſſint oriri; quia montes ſunt loca aptiſſima ad generationem materiæ ventorum, ſcilicet exhalationum; quia ſunt in montibus loca concava, & poroſa ad modum ſpongiæ. & videmus de facto multos, & magnos ventos cir-

circa loca montuoſa propter multam copiam exhalationum. Inde veniunt Boreas, & Auſter, qui ſunt venti validiores. Hinc eſt, quòd ab una parte montis venit ventus unus, & alter ab alia parte oppoſita: qui venti ſunt contrarii, ergo ſignum eſt, ventos exire maximè à montibus.

Diſtinctionem ventorum, & multitudinem variè ſcribunt auctores, Ponunt 1. *Provinciales*, qui in una, eademque regione oriuntur, & intereunt, nec ultrà extenduntur; ſic *Iapyx* Calabriam infeſtat: *Atabulus*, Apuliam, *cotægius*, Pamphiliam; *Sciro*, Athenas; *Circius*, Galliam Narbonenſem; *Subſolanus*, Conimbriam, & ſic de aliis provinciis, quæ ferè omnes habent ſuum ventum. 2. *Generales*, qui ubique, vel ſaltem in plurimis provinciis, & regionibus regnant: & iſti maximè ſunt quatuor, quos vocant *Cardinales*, ſeu, *principes*; ut *ſubſolanus*, qui flat ab oriente, *auſter* à meridie, *zephyrus* ab occidente, & *Aquilo* à ſeptentrione. 3. *Collaterales*, qui velut à lateribus, ut euronotus inter ſubſolanum, & auſtrum: notozephyrus inter auſtrum, & zephyrum. *Thracrozephyrus*, inter zephyrum, & aquilonem, & *meſes* inter aquilonem, & ſubſolanum, & hos octo ſcilicet *cardinales*, & *collaterales* nautæ vocant *Rumbos*. Rursùs inter hos octo, alios medios ſexdecim aſſignant, & iterùm alios, de quibus vide apud auctores. Ventorum proprietates principales recenſentur aliæ, quæ quaſi ab intrinſeco, & à ſingulorum natura conveniunt: aliæ, quæ ab extrinſeco, & ratione locorum, à quibus flant, aut ſyderum, à quibus excitantur. Primæ ſunt *ſiccitas* in iis, qui ab exhalatione ſunt, & *frigus* in illis, qui ex vapore, & ſic qui ex utroque fiunt, ſunt frigidi, & ſicci, vel humidi. Unde ſubſolanus eſt calidus, & ſiccus, quia ſol oriens excitat illum, & per continuum aſcenſum ſuper orizontem reddit ſicciorem, & calidiorem: ideoque calices florum aperit, choleram generat, & incendit, & inde morbos, niſi accidentaliter, ſcilicet ex locis aquoſis, temperetur. Dicitur etiam *notus*, quia peſtilentiam ſolet generare. *Zephyrus* eſt frigidus, & humidus, quia ſol declinans ad occaſum non ita calefacit, exſiccat terram, ex qua *Zephyrus* elevatur, com-

computatur autem inter ſalubres. *Aquilo* eſt frigidus, & ſiccus; quia ſpirat ex regionibus frigidis, & ſiccis; præcipuè à montibus hyperboreis, unde *Boreas* appellatur. Ideò ſerenitatem inducit; quia conſtringit terram, ne evaporet, & vapores elevatos diſpergit, aut diſſipat. Eſt inter ventos ſaluberrimus, quia impedit pluvias; excludit halitus peſtilentes, quos generat auſter, & membra corporis quaſi coagmentat, & fortificat.

Turbo, & *procella* ſunt flatus, & ſpecies ventorum cæteris formidabiliores, & magis periculoſi. Turbo dicitur. 1. *Ecnephias*, ſeu *Procella*, qui eſt magnus ventus impetu horrendo directè ab alto in terram deſcendens abſque circulatione: &, quidquid ante ſe reperit, proſternens. Generatur ex magna exhalatione terreſtri in nube nimis frigida incluſa, quæ per Antiperiſtaſim calefacta quærit exitum, & inſtar fulminis è ventre nubis exploditur, & in terram dejicitur magno impetu. *Typhon* eſt ventus deſcendens à nube deorsùm, & circulariter; & rurſus aſcendens, eodem modo generatus, ac præcedens, differtque tantùm per illum motum circularem; qui venit ex pugna diverſarum nubium, vel partium ejuſdem nubis ad invicem. Quia conglobantur inter ſe, & impinguntur; & flatus hinc inde generati retorquentur inter ſe, cùm nullus alteri cedat, & ſic, vortice concitato, è nubibus deſcendunt, & ſe colligentes circulum faciunt, & ſimilem effectum cauſant, qualem videmus *Angiportis*, & ſtrictis viis, dùm pulvis rotatur à vento; ſolet eſſe hic ventus admodùm nautis formidoloſus; quia tanta vehementia ruit, ut ſuo gyro; & rota abſorbeat ſaxa, arbores, navigia, &, quidquid occurrit, in altum evehit, tùm præcipitat.

Præſter eſt ventus deorsùm cadens, ſive circulariter, ut *Typhon*, ſive rectè, ut *Ecnephias*, ſed eſt incenſus; & ideò comburens. Differt tamen à fulmine, quia non cadit cum tonitru, & minus flammæ habet, & plus venti. Contingit autem, cùm halitus illi ex Antiperiſtaſi, vel alliſione, inter ſe, aut ad nubes incenduntur.

Denique *Terræ motus* ſunt formidabiliores ventorum effectus; nam, ſicut ventus elevatus à terra cauſat tempeſtates; ſic infra terram incluſus cau-

Digitized by Google

cauſat terræ motus, ſeu motus quoſdam tremoris, quibus terra movetur modò in unam, modò in alteram partem, modò in duas dividitur, modò in plura foramina aperitur, modò præcipitatur, & deprimitur, modò elevatur.

Cauſa horum motuum præcipua eſt copia terrenorum halituum ſulphureorum in cavernis, ac viſceribus terræ genita, & incluſa, & exire conantium: Juvantur etiam à ventis exterioribus, & ab aliis, quos ſol, & aſtra in viſceribus terræ reſolvunt: ideò frequentiùs vere, & autumno contingunt; quia his temporibus magis abundant exhalationes. Cùm autem terra movetur per motum arteriæ animalis, &, ut *Diaſtole*, & *Syſtole*, erigitur, & deprimitur, vocatur *pulſus*, ſeu *ſuccuſſio*; cùm verò terra ad latera agitatur dicitur *Tremor*; ſi verò ad unum tantùm latus inclinat, dicitur *Inclinatio*.

Pulſus eſt omnium pernicioſiſſimus, quia continet effractionem, & nimia concuſſione trahuntur ædificia in ruinam. *Inclinatio* etiam peſſima eſt, ſi duret; quia ædificia à perpendiculo declinantia facile ruunt. Non ita eſt de *tremore*, quo ab uno ad aliud latus aguntur ædificia. Aliæ *terræ motus* affectiones, cauſæ, loca, præſagia: &c. videri facile poſſunt apud auctores.

QUÆSTIO VI.

De Meteoris Aqueis, nube, pluvia, Nive, Grandine, Glacie, &c.

Meteora aquea ex vaporibus formantur, ſcilicet elevantur ab aquis per virtutem ſolis, & aliorum ſyderum ad mediam aeris regionem, ubi per frigus condenſantur in nubes, congelantur in nives liquantur in pluvias, &c.

Nubes igitur eſt vaporum copia quædam humidiorum, & craſſiorum in media regione aeris, vel circa illam inſito frigore addenſata; ſeu aggregatum ex vaporibus, & exhalationibus in aere ſuſpenſis, ibique addenſatis. Suſtinentur in aere tum propria levitate, tùm attractione ſolis, & ſyderum. Dicuntur *nubes*, quia cœlum obnubilant, & quaſi tegunt.

Da-

Datur etiam *Nebula*, quæ eſt vapor gravior, & craſſior, nec adeò elevatur, ut nubes, ſed prope terram ſiſtit. *Nubes* dicitur ſterilis, quandò calore ſolis attenuata diſſipatur: fęcunda verò, ſi in pluvias, grandines, aut nives reſolvitur.

Pluvia eſt aqua è nube cadens; ſeu in quam nubes reſolvitur; unde cauſa ejus materialis *remota* eſt vapor; *proxima* autem eſt nubes. *Efficiens* ſunt corpora cęleſtia, à quibus elevantur, & ſic diſponuntur vapores. *Inſtrumentalis* ſunt frigus mediæ regionis, quo condenſatur vapor, & calor ſuperioris, & inferioris, quo urgetur frigus mediæ ad fortius agendum; *formalis ſubſtantialis* eſt forma aquæ; *Accidentalis* ſunt accidentia, & proprietates aquæ, ut forma, & figura guttarum, modus cadendi guttarum, &c. Quandò cadit crebrioribus, & minutioribus guttis, dicitur *Imber*; quandò grandioribus, & cum impetu, dicitur *Nimbus*; ſi guttis mediocribus cum mediocri impetu, *pluvia*. Adde *ſtillicidium*, quod eſt pluvia minutiſſimis guttulis ſtillans. Legitur aliquandò cecidiſſe in colore ſanguineo, aliàs lacteo; vel quia vapor erat imbutus his coloribus; vel ex ſyderum peculiari actione. Dicuntur cecidiſſe cum pluvia lapides, lanæ, carnes, lateres, ferra, vituli, ranæ, &c. qui hæc crediderit, quærat cauſas.

Nix, eſt nubes gelu firmata, ſeu congelata. Eſt ejuſdem materiæ cum pluvia, à qua differt per formam extrinſecam acceptam à congelatione, quam contrahit ex frigore mediæ regionis. Color ordinarius eſt albus, & quidem non ſolùm apparens, ſed verus, ac realis, quia ubique, undecumque, & ab omnibus idem videtur. Cauſa verò hujus coloris eſt frigus intenſum, ſicut calor intenſior eſt cauſa nigredinis; ut patet in habitantibus ſub zona torrida, qui ſunt nigri, ſicut habitantes in frigidiſſimis regionibus, & inter nives, ut lepores, & pernices, albeſcunt. Dico: *colorem ordinarium*; nam ex vetuſtate nix quaſi rubeſcit, & in Armenia dicuntur cecidiſſe nives rubeæ, fortè ex vaporibus, & exhalationibus ex terra rubea, & mineralibus minii, quibus ea regio abundat.

Nubes ordinariè prius in nivem reſolvitur, dein-

de

Digitized by Google

de in pluviam. Unde cacumina montium albeſcunt ex nive, dùm madeſiunt valles ex pluvia, & id propter frigus mediæ, & altioris regionis.

Grando eſt nubes, vel pluvia congelata; poteſt enim ex utraque fieri; & cauſa hujus congelationis poteſt aſſignari, 1. ex parte materiæ vapor aqueus natura ſua humidus, & frigidus cum admixtione aliqua terreſtrium halituum, qui conferunt ad ſoliditatem, & duritiem corporum; unde videmus, nivem ſale aſperſam congelari; ſcilicet propter ſiccitatem ſalis. 2. ex parte nubis, in qua ſunt iſti halitus; quæ ſcilicet eſt ad hanc congelationem diſpoſita. 3. ex parte efficientis, & eſt frigus extrinſecum ambiens vaporem cum influxu aliquo ſyderum, quæ excitant ventos frigidos.

Generatur *Grando* in media regione, & in infima; ideò videmus in granis ejus palliculas incluſas, quæ prope terram attolluntur. Si autem aqua congelatur ſtatim, ac nubes in pluviam converſa eſt, *grandines* ſunt groſſiores; quia guttæ aquæ nondùm ſunt ita diſperſæ. Si verò tardiùs, grani ſunt minutiores, quia guttæ aquæ, quò profundiùs cadunt, eò magis diſperguntur in minutiores guttas.

Glacies non longè differt à grandine; illa fit in aquis, & paludibus, iſta in aere.

Ros eſt modicus vapor parùm à terra elevatus, qui inſenſibiliter cadit, & in minutas guttulas congregatur ſuper res, in quas cadit.

Pruina eſt vapor ille ſubtilis, ex quo fieret ros, niſi citiùs exſiccaretur, aut diſſiparetur.

Serenum eſt exhalatio tenuiſſima à terra paululum elevata, quæ, recedente ſole; & calore ejus deſtituta, recidit; ob ſubtilitatem facile ſubit poros corporum, & illis nocet, maximè oculis, & capiti; impeditque nocturnam quietem per tales halitus.

Mel dixerunt aliqui *Sudorem* cęli; alii aſtrorum *Salivam*, alii purgantis aeris *ſuccum*, eſt tenuis, & ſubtilis, ac viſcoſus vapor, ſolis ardore mediocriter coctus, qui nocturno frigore reſolvitur in liquorem, cui admiſcentur plures herbarum, & florum exhalationes ſicciores; & hunc ſuccum apes colligunt, & in alvearia deponunt.

Sac-

Digitized by Google

Saccarum eodem ferè modo, & ex eadem materia generatur, concurrente præterea peculiari ſyderum, & cannarum influxu.

Manna eſt liquor quidam candidus, melleo ſapore, & inſtar mellis. Dicitur, *Ros melleus matutinus*, ex vapore rorido, & ex partibus terræ ſubtilioribus, mediocriter humidis. Non crediderim, hunc noſtrum eſſe ejuſdem ſpeciei cum illo, quem Deus ſubminiſtravit populo ſuo Iſrael in deſerto, quem puto miraculoſum fuiſſe. Viderint Theologi.

QUÆSTIO VII.

De ſalſedine, & motu, ſeu Æſtu maris.

Quia de iis ſolet acriùs diſputari, propriam inſtituimus quæſtionem, ut paulò attentiùs veritas inquiratur.

Suppono igitur 1. aquas maris, ut plurimùm, eſſe amaras, & ſalſas, & hinc maris nomen dicitur derivaſſe; ſcilicet ab amaritudine; dico, *ut plurimùm*: nam certum eſt etiam alicubi eſſe dulces, & ſaltem non tàm ſalſas, ſed mitiores, ut ſunt ſub polis, & zonis frigidis. Hæc autem ſalſedo non eſt illis aquis intrinſeca; quia multis modis habetur ex illis aqua dulcis, v. g. cùm per arenam tranſigitur, relinquit in arenis ſalſedinem. Sic, ſi vas cereum immergatur mari, per poros ceræ purgatur aqua, & intrat dulcis. Id etiam patet in fontibus, & fluviis ortis ex mari; patet ex aquis maris in olla ebullientibus, ex quibus vapores aquei, & dulces in ſpongia ſuperpoſita excipiuntur. Idem eſt de vaporibus è mari elevatis, qui in pluvias dulces reſolvuntur, &c. Quæ experientiæ ſuadent, ſalſedinem eſſe aquis illis adventitiam, ſcilicet partem illarum craſſiorem, & alteratam.

Suppono 2. cum Doctore, [1] & aliis, multiplicem motum notari in mari. 1. eſt ab ortu in occaſum, & diurnum motum ſequitur: ideò nautæ obſervant, citiùs abſolvi hunc motum, & ex Hiſpania in Americam iter conficiunt intra menſem: ex America verò in Hiſpaniam inſumunt tres, aut quatuor men-

[1] *L.2.q.1.a.n.8.*

Digitized by Google

menſes, quod tribuunt occultis cœli qualitatibus, v. g. motui primi mobilis, quod trahit cœlos inferiores, ignem, aerem, & ipſa maria; alii in unicum ſolem referunt, qui calore, & lumine ignem, aerem, & aquam ſecum rapit. 2. ab occaſu in ortum maximè in mediterraneo, quia, dùm impingit in littora oppoſita, refluere videtur in illud, à quo diſceſſerat. 3. eſt à ſeptentrione in auſtrum, & conſtat experientia nautarum, quòd ex Hollandia in Hiſpaniam faciliùs navigatur, quàm ex Hiſpania in Hollandiam, ac Daniam, & cauſa hujus triplex aſſignatur à philoſopho. 1. ſcilicet multitudo fluminum à ſeptentrione ad auſtrum decurrentium. 2. Altitudo terræ ſeptentrionalis præ Auſtrali, & 3. ſol, qui ſuo calore aquas auſtrales exſiccat, & minuit, occurruntque aliæ, ut occupent locum ab illis derelictum. 4. motus fit à ventis, modò ad unam, modò ad aliam partem aquas impellentibus, & iſte univerſalis eſt omnibus: ſed 5. omnibus mirabilior eſt *fluxus*, & *refluxus*, ſeu *æſtus* marinus, quo aquæ reciproca agitatione nunc ad littora eadem accedunt, modò recedunt, & in ſe redeunt, ac ſubſident, & hic maximè notatur in Occeano. Hujus autem æſtus adeò regularis quæruntur cauſæ, quas huc uſq; invenire non licuit: ideò vocat Cauſinus hanc difficultatē *ſepulcrum curioſitatis. Et certè maris inundantes tumores conſiderare permittitur, ſed recedentis intelligentia privamur*, inquit S. Auguſtinus. [1]

Non eſt idem in omnibus regionibus: variat magnitudine, tempore, duratione, ac celeritate. Tres potiſſimùm ſpecies notamus, unam, quæ bis quotidie accidit. 2. quæ ſingulis tantùm menſibus in novilunio, & plenilunio. 3. Quæ ſingulis annis Martio, & Septembri fit, & quidem non tantùm circa littora, & in ſuperficie percipitur, ſed etiam in medio, & profundo, ita ut videatur ebulliens, piſceſque ex profundo ad ſuperficiem pellit, & percipitur etiam circa quoſdam fontes.

Quædam etiam maria nullum æſtum habent, ſaltem perceptibilem, ut Meotis; Pontus Euxinus, Propontis, Ægeus, Caſpius: fluunt quidem, ſed non refluunt, ferè nullus percipitur in Mediterraneo, &c.

alia

[1] *L. 1. de mirab. S. Ser. c. 7.*

Digitized by Google

alia paulò majorem, ut litora Africana ad Uticam Tinetum, Hyponem, &c. Siculum, bis ſingulo quoque die naturali alternat æſtu. Fuiſſe olim tantùm in Adriatico circa Ravennam, & Aquilejam, ſcribitur, ut multa millia paſſuum occuparet, & ad litus Venetum dicitur occupare circa duo milliaria, & elevari tres, aut quinque pedes. In ora Provinciæ circa Maſſiliam in pedem integrum attollitur. Euripus inter Bæotiam, & Eubæam ſepties die, & ſepties noctu effluit, & refluit: &, ne longiùs diſcurram, mare ſpatio 24. horarum bis fluit, & refluit, bis ejus aquæ attolluntur, & bis detumeſcunt; ſingulis diebus una ferè hora tardiùs aſſurgit, ſicut videmus in ortu lunæ majori, ex parte ſingulis ſex horis effluit, & totidem retrocedit, ut in Adriatico, Belgico, Hollandico, Anglico, Luſitanico, Pacifico, & Gangetico; in aliis verò variùs eſt ordo, nam in Oceano Atlantico, & ad fauces Garumnæ in littore Aquitaniæ ſeptenis horis ſubit Oceanus, & quinis refugit. In Guinea juxta flumen nigrum & in Erytræo, quatuor horis tumeſcit, & octo detumeſcit, & ita de aliis. Jam ad cauſas deveniamus.

CONCLUSIO I.

Salſedo maris præcipuè venit à multa exhalationum terrenarum, ſiccarum, & aduſtarum copia, quæ in eo reperiuntur permixtæ aquis ejus, unde cauſa materialis eſt illa exhalatio, calor verò ſolis, & ſyderum eſt efficiens,

Prob. 1. ex Philoſopho, & [1] Scoto docentibus, ſalſedinem ex talibus exhalationibus generari. *Salſedo,* „ inquit Scotus, *generatur ex commixtione ſicci terre-* „ *ſtris cum humido. Prob. per experientiam. Quia lixi-* „ *vium eſt ſalſum propter commixtionem (cineris) ad* „ *aquam; quia aqua per colationem (per cineres) red-* „ *ditur colorata, ſpiſſior, & ponderoſior, quàm ante,* „ *quod non eſſet, niſi partes ſubtiliores cinerum eſſent ſi-* „ *bi commixtæ. 2. Urina eſt ſalſa propter commixtio-* „ *nem ſuperflui nutrimenti cum ſicco terreſtri rema-* „ *nente poſt digeſtionẽ, qualis eſt hypoſtaſis Urinæ. 3. de* ſal-

[1] *L. 2. q. 3. n. 2.*

Digitized by Google

ſalſedine ſudoris, quæ provenit ex commixtione humiditatis cum partibus terreſtribus ablutis à carne, quas defert ſudor diſtillando per carnem. Ideò dicit Ariſt. quòd ſudor eſt ablutio carnis. 4. ex ponderoſitate, & groſſitie aquæ ſalſæ, nam aqua ſalſa plus ponderat, quàm dulcis in quantitate æqualis propter terreſtreitatem admixtam aquæ.

„ Dixi, *præcipuè*. Nam certum eſt, quòd ad generationem ſalſedinis concurrit calor ſolis, & ſyderum, imo & ignis evaporantis id, quod dulce eſt, & ſubtile, & humidum, & ſic groſſum, & terreſtre remanet. Imò commixtio ſicci terreſtris cum actione caloris non eſt tota cauſa ſalſedinis, niſi materia fuerit propinqua diſpoſitioni ad ſalſedinem, ut patet de cineribus aduſtis. His autem ſuppoſitis, aſſerit inde oriri ſalſedinem maris.

Concluditque 1. quòd in mari ſunt partes plurimæ terreſtres, quæ deferuntur per flumina nec cadunt ad fundum, ſed per motum fluxus, & refluxus, & agitationem ventorum remanent ſemper commixtæ aquis marinis. 2. quod calor ſolis cum vaporibus reſolutis à terra, & aqua elevat exhalationes calidas, & ſiccas illis admixtas, quæ rurſus cadunt cum pluvia; atque per eandem actionem caloris ſubtile evaporatur, & craſſum remanet, ut patet tùm ex groſſitie maris, in qua navis plus portat, quàm in aqua dulci; tùm ex ponderoſitate aquæ maris, tùm ex eo, quòd, ſi vas ferreum perfectè obturatum immergatur mari, intrabit aqua dulcis per poros, ergo ſignum eſt dulcem eſſe ſubtiliorem, ſalſam verò craſſiorem; vas autem debet jacere in mari per diem naturalem.

2. Aſſerit, quòd [1] in mari eſt actio caloris reſolventis partes ſubtiliores, & adurentis craſſiores, ad quod etiam concurrit agitatio ventorum, per quam evaporantur eædem partes.

Addit tamen, aquas maris de ſe habere aliquam diſpoſitionem ad tales qualitates, quas non habent aliæ aquæ. Quod non dicit poſitivè, & aſſertivè, ſed permiſſivè. *Poteſt imaginari*, inquit, *cauſa ſalſedinis maris, quòd aqua maris determinat ſibi de ſua* natu-

[1] *Ibid. n.6.*

Digitized by Google

natura ſalſedinem, & commixtionem exhalationis; quam immediatè conſequitur ſalſedo, per quam convertit ſaporem.

Prob. 2. Quia certum eſt, eas cauſas, ſcilicet exhalationes, & calorem concurrere, & nullæ aptiores, nec probabiliores poſſunt afferri; ergo illæ ſunt veræ cauſæ materiales, & efficientes ſalſedinis. Ant. patet quoad 1. partem experientiis allatis; quoad 2. patebit ſolutione objectionum, ſeu refutatione aliarum opinionum.

Prob. 3. aliis experientiis. Nam aqua ſalſa eſt calidior, calefacit, & exſiccat; & ideo non congelatur. 2. eſt cæteris gravior. 3. graviora ſuſtinet pondera, levatque corpora, nec tam facilè immerguntur, adeò ut dicatur eſſe in Palæſtina Lacus, qui hominem, vel animal vinctum ſuſtinet. 4. Si partes illæ terreſtres excolantur, dulceſcunt aquæ, ut patet de fontibus ex mari fluentibus. 4. loca marina ſunt calidiora, ſeu minùs frigida. 5. aqua ſuperior eſt ſalſior inferiori; ergo ſignum eſt, ſalſedinem oriri ex materia illa terrea, calida, & ſicca.

Objic. 1. contra utramque partem. Si ſalſedo eſſet ex illa materia, & ex illo calore, aqua omnium lacuum, & ſtagnorum eſſet ſalſa, ſed hoc eſt falſum, & contra experientiam; ergo alia eſt cauſa materialis, & efficiens ſalſedinis. Prob. maj. In lacubus deberet calor cauſare ſimiles exhalationes, eſt enim par ratio, ergo &c.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. & ratio diſparitatis eſt, ex Scoto, quia de illis aquis continuè partes reſolvuntur, nec permanent, ſed novæ ſemper aquæ ſuccedunt, & ſic ſol non poteſt aquas illas alterare ad ſalſedinem; ad hoc enim requiritur longa actio ſolis. Hæc ratio valet à fortiori de fontibus, & fluminibus, quæ ſunt in perpetuo fluxu.

Inſt. Sunt aliqui fontes ſalſi, ergo vel non ſufficit ſolutio, vel ſalſedo eſt ab aliis cauſis.

Reſpondeo neg. conſeq. Nam ſalſedo illa venit à mineralibus ſalſis, per quæ tranſeunt, aut ab ipſo mari, à quo exeunt aquæ, & perveniunt ad fontes, antequam depoſuerint ſalſedinem, ſeu materias illas ſalſas.

Inſt. 2. Cur ergo ſalſedo maris non proveniet ab iiſdem

Digitized by Google

iiſdem mineralibus?

Reſpond. Nos non negare, quin etiam concurrant; ſed quia non eſt probabile, talia mineralia ubique reperiri, nec adeſſe alibi in tanta copia, ut poſſint ſufficere ad imprimendam tantam ſalſedinem in tantis aquis, ideò cauſas alias aſſignamus.

Objic. 2. Incredibile eſt, tantam eſſe copiam exhalationum ad conſervandam, vel inferendam ſalſedinem adverſus tot fluviorum dulcium incurſum, & quòd efficiens ullum creatum poſſit cauſare tot exhalationes, ergo gratis aſſeruntur tales cauſæ, & potiùs id contribuendum eſt Deo ſoli.

Reſpond. neg. ant. Si non eſt incredibile vaſtiſſimas regiones aeris incaleſcere à ſole, ab aſtris, & igne, adeò ut ſuprema ſit calidior, & infima calefiat à terra, & reflexione radiorum, dùm media eſt frigidiſſima: quantò magis id credetur de aquis marinis, quæ non tàm vaſtæ ſunt, & quibus præterea ſubſunt ignes ſubterranei ingentes, cum mineris prædictis?

Objic. 3. Oceanus ſeptentrionalis, medio anno, ſolis luce, & calore orbatur, recipitque aquas fluviorum nivales, & glaciales, & tamen nihil tunc amittit de ſalſedine, ergo ſalſedo non venit ab illis cauſis.

Reſpond. neg. conſeq. Nam ſalſedo tunc conſervatur ex commixtione aliarum aquarum ſalſarum; agit fortiùs calor in fundo per antiperiſtaſim: adſunt etiam ignes ſubterranei; continuant influxum mineralia ſalſa, nec ceſſant penitùs alii influxus cœleſtes.

Inſt. Si hæc ratio valeret, aqua ſalſior eſſet in fundo, quàm in ſuperficie; tùm quia ſalſedo reddit graviorem aquam; tùm quia ibi calor agit fortiùs; ſed hoc eſt contra experientiam, ergo non juvat calor ignis ſubterranei, nec Antiperiſtaſis. Min. prob. experientia. Nam in fundo maris dicuntur hauriri aquæ dulciores.

Reſp. neg. maj. Nam, ut dixi, exhalationes, & ſpiritus illi trahuntur ſuperiùs per actionem ſyderum: & agitationem ventorum, ac per motus ipſos maris permiſcentur, ſicut in agitatione liquoris in vaſe permiſcentur fęces cum ipſo liquore.

Quæres, *de cauſa finali*, ſeu *de utilitate ſalſedinis.*

Digitized by Google

Reſpond. non unam eſſe, nec mediocrem ſalſedinis marinæ utilitatem. 1. enim utilis eſt ad piſcium nutrimentum, & conſervationem; eſt enim ſalſedo, velut oleum, & pinguedo, ex quo fit, ut extracti brevi moriantur, & ſint eſui ſalubriores, quàm fluviales; quia ſalſedo abſumit ſuperfluos humores. 2. Ne ipſa aqua putreſcat. 3. Ad commodiorem navigationem: aquis enim marinis navigia, & pondera meliùs ſuſtentantur propter illarum craſſitiem, & gravitatem. Unde commodiùs ibi natant homines, nec tam facilè immerguntur, ut diximus. 4. ad ſalis confectionem, & uſum: quippè ex aquis marinis conficitur. Salis autem utilitas omnibus nota eſt.

CONCLUSIO II.

P*Robabilius eſt, maris æſtum ſyderibus, & inprimis lunæ adſcribendum*. Dico, *inprimis*; nec enim negandus eſt aliorum ſyderũ, & maximè ſolis influxus; nec influxus voraginum, ventorum, halituum, &c.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Luna, inquit, *per ſuum motum, & influentiam eſt cauſa effectiva fluxus, & refluxus maris*. 1. quia per experientias fluxus ille fit determinatè luna oriente, quouſque perveniat ad circulum meridianum; fit etiam fluxus luna exiſtente in parte oppoſita, & in reliquis duabus quadris fit refluxus. Ecce quomodò bis intra 24. horas fit æſtus maris juxta motum lunæ. 2. quia luna habet dominium ſupra corpora humida, ergo ſupra mare, & quidem à fortiori, cùm ſit maximè humidum. Prob. ant. experientia, qua conſtat, quòd in corporibus animalium cerebrum, medulla, ſanguis, pinguedo, & hujuſmodi partes abundè augentur, & minuuntur juxta incrementum, & decrementum lunæ; item medici obſervant, quòd, qui morbis humidis, v. g. pituita, infeſtantur, vehementiùs laborant juxta varios lunæ aſpectus, & conjunctiones, ergo ſignum eſt, hunc planetam influxum, & dominium ſpeciale habere in aquas, & corpora humida.

„ Confir. hoc ex Lincolnenſi explicante articula- „ tim

[1] *L. 2. q. 2. n. 5.*

Digitized by Google

„ tim, quomodò id fiat. Nam luna intra 24. horas
„ circuit firmamentum, motuſque ille ſecatur in 4.
„ partes; quarum ſingulæ ſex horis conficiuntur. 1.
„ eſt à puncto ſui ortus ad punctum meridiei. 2. Eſt
„ à puncto meridiei ad punctum ſui occaſus. 3. à
„ puncto occaſus ad punctum noctis directum oppo-
„ ſitum puncto meridiei. 4. à puncto mediæ noctis
„ ad punctum ſui ortus. Cùm ergo luna intrat pun-
„ ctum ſui ortus verſus meridiem, elevat aquas, &
„ fit fluxus per ſex horas: cùm deſcendit à puncto me-
„ ridiei ad occaſum reſpectu noſtri horizontis, deſi-
„ nit elevare, & aqua ſibi relicta refluere incipit per
„ ſex horas: cùm aſcendit à puncto occidentis ad
„ punctum mediæ noctis oppoſitum meridiei aſcen-
„ dendo reſpectu horizontis oppoſiti, rursùs elevat
„ aquas, & incipit alter fluxus per ſex alias horas:
„ cùm denique ab hoc puncto quaſi deſcendit ab al-
„ tero hemiſphærio, & redit ad 1. punctum ortus
„ ſui reſpectu noſtri, deſinit elevare aquas, & fit re-
„ flexus per ultimas ſex horas: ergo fluxus, & reflu-
xus ſequitur periodos motus lunæ; & hoc maximè
patet in Oceano.

At in mediterraneo notatur alter æſtus, qui eſt menſtrualis; nam à novilunio ad plenilunium creſcit mare, & à plenilunio ad deliquium, ſeu finem menſis lunaris refluit, ergo ſignum eſt lunam cauſare hunc motum.

Prob. denique. Quia non poteſt aſſignari probabiliùs alia cauſa talium motuum, & certum eſt, quòd illi maximè ſequuntur motus lunares, ergo ita eſſe dicendum eſt.

Objicies 1. Si luna cauſaret hos motus, id eſſet vel per motum, vel per lumen; ſed neutrum dici poteſt, ergo non cauſat. prob. min. *de lumine*. Nam luna in deliquio non lucet, &, dùm luſtrat oppoſitum hemiſphærium, non lucet in noſtro: & tamen in illis caſibus non ceſſat æſtus apud nos, ergo illum non cauſat per lumen. *Prob. de motu*. Quia ratione epicyclimodò tardiùs, modò velociùs movetur; & tamen æſtus maris eſt regularis, ergo hic non venit ex motu lunæ, ergo nullatenùs eſt à luna.

Reſpond. neg. min. & conſeq. Nam id cauſat per virtutem ſuam ſpecialem, per quam impelluntur

aquæ ab una parte in aliam, virtus autem hæc illi eſt propria, & nobis ignota, [1] ſicut & aliæ ejus virtutes, & aliorum ſyderum, quas Deus nobis occultas eſſe voluit.

Objic. 2. Si motus iſte eſſet à luna, non eſſet regularis; ſed motus hic maris eſt regularis, non autem motus, nec lux lunæ, ergo non eſt à luna. Prob. maj. Effectus ſequitur cauſam, ergo ſi motus, & lumen lunæ non eſt regulare, ita erit de æſtu maris, ſi eſt ejus effectus.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Supponit enim hoc argumentum, quòd æſtus maris cauſetur à luna per lumen, & per motum, quod falſum eſſe mox dicebamus.

Inſt. Si per virtutem occultam, & ſpecificam luna moveret mare, omnia maria ſic moverentur; imò & omnia humida ſic elevarentur, & deprimerentur; ſed non omnia ſic moventur, ergo non moventur per illam virtutem. Patet min. experientia, & ex dictis. Prob. maj. Ab eadem cauſa naturali veniunt ſimiles effectus, ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. & rationem ejus. Poſitis iiſdem diſpoſitionibus, conc. maj. ſi ſint diverſæ diſpoſitiones ex parte materiæ, & ex aliis concauſis, neg. maj. alia igitur maria, nec fontes, nec flumina, nec lacus, nec corpora humida non ſunt æqualiter diſpoſita, ſicut nec aliæ concauſæ. Nam aliæ ſunt rariores, aliæ denſiores, alia fluunt, ut flumina, & fontes, & aliquot maria, ut Mæotis, Pontus-Euxinus, Propontis, Caſpium, & Ægæum, quæ fluunt in Mediterraneum, Caſpius quidem occultò meatu, alia aperto; ideò non fluunt, nec refluunt: quia motu decurſus impeditur tumor, qui ſpiritibus concitari poſſet.

Inſt. Saltem non poteſt reddi ratio, quomodo tàm frequentes motus cauſet in Euripo præ cæteris, illud enim dicitur ſepties fluere, & refluere in die; ergo iſte motus non eſt à luna.

Reſp. neg. conſ. Nam, licèt Ariſt. non viderit, alii viderunt, hos motus Euripi non eſſe veros fluxus, & refluxus, ſed eſſe agitationes inſtar ventorum, & venire à flatibus, & aliis diſpoſitionibus hujus freti.

Quæ-

[1] *Scotus ibi d. 9.*

Digitized by Google

Quæres, *num etiam alii planetæ, & ſydera concurrant.*

Reſp. affirmativè cum Scoto. Quia, inquit, *quandoque eſt intenſior, & quandoque remiſſior, quod non poteſt eſſe, niſi ſecundum quod luna reſpicit ſolem, vel aliquam ſtellam, qua fortificatur actio ejus, hoc etiam facit diverſitas ſignorum Zodiaci, & partes ejus, quia cum luna eſt in aliquo ſigno humido, fluxus, cæteris paribus, eſt major.*

Quæres 2. *quis ſit finis horum motuum.*

Reſp. Conſervatio ipſius maris à corruptione, quam contraheret per nimiam quietem.

De fontibus, & fluminibus.

QUÆSTIO VIII.

FOntes, & flumina non ſunt propriè meteora, ſed aquæ elementares: aut, ſi ſint mixtæ, id habent à venis terræ, per quas tranſeunt, & à quibus accipiunt varias *dotes*, *virtutes*, & *qualitates*, ſicut liquores retinent odores, & ſapores vaſorum. Quæ tranſeunt per venas, ſeu terram ſulphuream, ſunt calidæ, quæ per nitroſam, ſalſæ, quæ per auri fodinas, nutritivæ, quæ per argillam, pingues, &c.

Quoad originem autem certum eſt, quòd in variis terræ partibus, & præſertim in rupibus, ſunt cavernæ, ſeu ſpecus aere, & vaporibus plenæ, qui vapores frigore conſtipati facilè fiunt aquæ, & iſtæ per occultas earumdem rupium, ac terræ venas exitum reperiunt, & inde fontes, & flumina oriuntur.

At non ea eſt omnium origo, cùm enim tanta ſit fontium, fluviorum, & lacuum copia, tota terra deberet ſpecubus, ſeu cavernis illis eſſe referta. Et id colligitur non ſolùm ex ratione, ſed etiam ex Scriptura dicente, quòd [1] *omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterùm fluant.* Scilicet, ideò per concurſum tot fluviorum mare non inflatur, nec redundat, quia, dum ex una parte illas aquas excipit, ex alia emittit.

Dices. Quare ergo aquæ fluviorum, & fontium omnium non ſunt ſalſæ, ut aquæ maris?

[1] *Eccl.* 1.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Quia in terræ venis ab meatibus per colantur, & purgantur, & ſic ſalſuginem ibi cum craſſioribus exhalationibus amittunt. Fontium diverſitates, virtutes, qualitates mirabiles relinquimus hiſtoricis.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Meteoris terreis.

SÆpè diximus, quòd in terra generantur *ſpiritus*, *halitus*, *exhalationes* calidæ, & ſiccæ, quæ retinent eandem formam ſubſtantialem, ſed induunt varias accidentales, ſuntque materia diverſorum meteororum, quæ ſuſpicimus in aere, & ſentimus ſub aquis, ac in viſceribus ipſiuſmet terræ. De prioribus hucuſque diximus, de his poſterioribus pauca reſtant.

Principalia, & terribiliora ſunt *terræ motus*, *ventus*, *ignes ſubterranei*, & *hyatus*, ac *mugitus*, de quibus etiam diximus, alia, ut *foſſilia*, ſeu *lapides*, & *metalla*, non ſunt propriè meteora, ſeu *mixta imperfecta*, ſed *perfecta*, & proprias habent formas ſubſtantiales diſtinctas à formis ſubſtantialibus Elementorum, in quo mixtum perfectum ab imperfecto ſecernitur: dicuntur ergo *mixta perfecta inanimata*.

Porrò hæc *mixta* generantur ex terra, alia quidem in terra, alia verò extra terram. Priora dicuntur *foſſilia*, quia ex terra effodiuntur, poſteriora naſcuntur maximè ex corporibus animatis, ut *fructus*, *ſemina*, *lanæ*, &c. Vel arte fiunt, ut *vinum*, *oleum*, &c.

Aliquæ terræ ſunt *foſſiles*, quæ inſerviunt figulis, ut *argilla*, *Gypſus*, & *porcellana*: aut fabris, & pictoribus, ut *ocra*, & *creata*, & *aliæ coloratæ*: aut medicis ut *lemnia*, quæ ſanguinem ſiſtit, *Bolum*, *Himenum*, &c.

Inter *foſſiles* etiam ſunt *ſucci* pingues, & inflammabiles, ut *ſulphur*, *bitumen*, *gummi*, *ſales*, *alumen*, *vitriolum*, *nitrum*, *ſalpetræ*, &c. Alia *foſſilia* ſunt mineralia, ut *lapides*, *metalla*, & *metallica*.

Lapides ſunt foſſilia dura, & ſicca, difficilè liquabilia, & malleo non ductilia. Alii ſunt naturales, ut ſaxa, alii pretioſi, ut Gemmæ, &c. qui lumen ſuſcipiunt, & reddunt. Ut *Jaſpis*, *Sapphirus*, *Adamas*, *Sardius*, *Chryſolitus*, *Topazius*, *Agates*, *Turca*, *Carbunculus*, *Opalus*. Materia *vulgarium* eſt terra humi-

do

Digitized by Google

do viſcoſo mixta, & compacta, *Gemmarum* verò eſt aqua mixta ſucco Terreſtri. Adſunt quidem & aliæ Elementorum virtutes; ſed Terreæ prædominantur.

Metalla ſunt foſſilia, corpora dura in viſceribus terræ genita, quæ malleo tundi, vel igne liquefieri poſſunt, & in hoc differunt à lapidibus. Horum *cauſa materialis* eſt halitus pinguis mixtus ex vaporibus, & exhalationibus, & coagulatus per frigiditatem, & ſiccitatem. In his, quæ liquantur, prævalet vapor, ſeu humiditas: in aliis, ut in *ferro*, prædominatur terra. Horum *cauſa efficiens*, poſt Deum, eſt virtus ſolaris, & ſyderum: unde ſingulis aliquod tribuitur, v. g. *Saturno* plumbum; *Jovi* ferrum; *Soli* aurum: *Veneri Æs*, *Mercurio* argentum vivum; & *Lunæ* argentum, quia ſinguli illi planetæ ſpecialiter dominantur ſingulis illis metallis. His addunt aliqui *Electrum*, quod eſt mixtum ex auro, & argento: *Auricalchum*, quod non differt ab ære: non ſunt ergo propriè metalla diſtincta, imò & *argentum vivum* eſt potiùs materia metallica, quàm perfectum metallum.

Metallorum proprietates ſunt 1. *concretio*, quæ fit vi frigoris inſiti. 2. *liquabilitas*, vi caloris externi: at liquefacta non humectant, nec adhærent propter ſiccitatem nimiam admixtam humiditati. 3. *Ductilitas* propter humidum, ſive mixtum, & non penitùs liquatum. 4. *Aduſtibilitas*, quatenùs metallum in igne tandem evaporatur. 5. *Color*, nitens, & ſplendidus in auro: albus in argento, ſtanno, & plumbo: & citrinus in aere. 6. *Sapor*, aſper, & mordax.

Quæres, *an metallum imperfectum, ut Æs, in aliud perfectius, v. g. in aurum, per artem poſſit mutari.*

Reſp. id quidem difficile, & rariſſimum: impoſſibile verò nulla ratio demonſtrat. Ars igitur illa, quæ *chymica* dicitur, vana eſt, ac pernitioſa, tàm privatis, quàm reipublicæ. Et hæc de meteoris potiùs indigitaſſe, & narraſſe, quàm tractaſſe, aut diſputaſſe ſufficiat. Eſto igitur hic ad Dei Opt. Max. & Virginis Deiparæ, ac Seraphici Patris noſtri Franciſci gloriam.

Finis 2. Partis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005654231

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google